


6. 79





DE NOTIS MINISTRORVM LIBRI DVO.

Oppositi Iacobi Zaborouii, in cœtu Caluinistico Ministri, responsioni futili ad Nodum Gordium.

AVCTORE

MARTINO SMIGLECIO SOC: IESV, SS. Theologiæ Doctore.



Cum gratia & priuilegio S. R. M. & facultate Maiorum.

CRACOVIÆ,
Excudit Franciscus Cesarius impensa propria.
Anno Domini, M. DC. XVII.

Illustriss. & Reverendiss. Domino.

D. LAVRENTIO GEMBICKI

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS gratia Archiepiscopo Gnesnensi, Legato Nato Regni Poloniæ Primati Primoque Principi.

Nuper proxime Illustr.me & R.me Domine, cum mihi ex itinere reduci datus est in manus Zaborouii cuiusdam liber aduersus Nodum Gordium, quem contra no- [illegible] ante du- [illegible] etum e genuinis Ecclesiæ, & Ministrorū [illegible] hominis mihi ante ignoti [illegible] occasio inde nonnulla delibo, mirari primum cœpi [illegible] ria, quæ facile se ingerebant Conciliorum, & SS. Patrum testimonia: gratulari deinde mihi [illegible] paulo & modestiorem aduersariorum [illegible] quibus [illegible] rissimum [illegible] deserto cum idem hunc Zaborouium [illegible] tem, venerandam Patrum [illegible] Quare vbi primum [illegible] opus ea curatius discutiendum [illegible] Doctorū testimonia ipsis explicatis voluminibus conferenda duxi, expendo. Ibi vero Deus bone, quæ non [illegible] & mutila, quæ non intercisa [illegible] quis denique

Illustriss: & Reuerendiss: Domino,

D. LAVRENTIO GEBICKI

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS

gratia Archiepiscopo Gnesnensi Legato Nato Regni Poloniæ Primati Primoque Principi.

AVTOR S. & F.



Nnus prope est, Illustme & Rme Domine, cùm mihi ex Italia redeunti datus est in manus Zaborouii cuiusdam liber aduersus Nodum Gordium, quem contra nostri temporis sectarios septennio antè, ductum è genuinis Ecclesiæ, & Ministrorũ Notis validissimè strinxeram. Arripui hominis mihi antè ignoti librum auidiùs; &, dum oculis hinc inde nonnulla delibo, mirari primùm cœpi non infrequentia, quæ facile se ingerebant Conciliorum, & SS. Patrum testimonia: gratulari deinde mihi æquiorem paulò, & modestiorem aduersarium, quàm essent Ariani, quibus cum potissimùm his annis pro domo Dei scribendo, decerto; cùm viderem huic Zaborouio Sacrosanctam Conciliorum maiestatem, venerandam Patrum canitiem nondum planè viluisse. Quare vbi primùm ab itineris iactatione conquieui, opus accuratiùs discutiendum sumo, laudatorum Ecclesiæ Doctorũ testimonia, ipsis explicatis voluminibus confero, trutino, expendo. Ibi verò Deus bone, quæ non trunca, & mutila! quæ non interuersa nefariè, omissa subdolè! quas denique

malas artes deprehendo, vt non facilè sit statuere agantne indignius cùm antiquitate Ariani, dum Græcæ Latinæq; Ecclesiæ Doctorum autoritatem planè apertèque conculcant, & Thrasonicè vno spiritu agmina Dei viuentis difflant; an, qui priscorum calculos recipere videntur, nostri, si diuis placet, Euangelici, dum eorũ scripta fædissimè lancinant; atq; adulterant; euidentissima distorquent; probatissima respuunt; & obscuris, si quæ interdum sunt, sese conantur obuoluere. Quanquam quid aliud expectandum sit ab iis, qui veritatis præsidio destituti, mendacium posuerunt spem suam? Quid hominum scriptis parcant, qui tabulas Dei digito exaratas, sicubi non faciunt ad palatum, configere, & obliterare non timent? Mihi certè vehemens suspicio fit, Zaborouium ex Philippo Mornæo famoso plagiario, aut alio simili, multa quæ ex Patribus adducit transcripsisse. Et sanè gregalem illum suum nimis quàm videtur habere familiarem. Vtvt res habeat, Zaborouium miror, cuius imitatus sit impudentiam, non eiusdem exitum pertimescere. Nam vt omittam alios à nostris Doctoribus toties refutatos, & imposturæ conuictos, certè Mornæus ille homo Gallus, tum à Peronio Ebredunensi Episcopo, nunc S. R. Eccl: Cardinale, falsi reus plus millies peractus est: damnatus etiã à suæ quoq; sectæ arbitris coram Henrico IV. Rege Christianissimo; inter quos Casaubonus vir eorum iudicio eruditissimus, consederat. Simile inquam Theta ad sempiternam ignominiam metuat aduersarius: nisi fortè pergant Euangelici omnem arenam defugere, vti non ita pridem cœperunt; cùm Lublini ad disputationem publico scripto ab vno ex nostris euocati publicè congressum deprecari non erubuerunt. In suo igitur sibi cæno coaxẽt. quod vnũ superest, libris editis in publicum tamen iudicium pertrahantur. Atque adeò omnia circumspicienti nullum tuo tribunali sanctius, Præsul Ill^me. nullum grauius occurrit iudicium, cui me potissimum sistam. Cuius enim magis intersit, de Ecclesiastica inter Polonos cõ-

trouersia cognoscere, quàm Ecclesiæ Polonæ Primatis? Quod si nomen omne Ecclesiasticum quasi scopulum aduersarius perhorrescit; agnoscet certè Reipublicæ nostræ Primum Principem: non detrectabit nisi peruicax, Viri, in omni iudicio exercitatissimi, doctrina, prudentia, rerum vsu spectatissimi, audire sententiam. Denique vt res ipsa, & causa te iudicem non deposcerent, sponte tamen mea, non alium huic operi patronum quærere debui. Postquam enim per omnes honorum gradus, te merita tua ad primum in Senatorio ordine thronum, sapientissimo Regis iudicio euexerunt, decuit me qualicunq; opere, quod primum è tuo Collegio Archidiœcesano in lucem prodit, nouam hanc tibi dignitatem gratulari; neque tibi magis, quàm Gnesnensi Ecclesiæ, quàm Reipublicæ vniuersæ. Omninò enim ea de tua eruditione, sapientia, diuini honoris zelo, omnibusque ornamentis insignita virtute apud bonos omnes viget opinio, vt felicissimam amplissimi muneris administrationem à te sibi certò spondeant: tibique vltima hæresis in hac diœcesi fatiscentis trophæa voueant. Quam expectationem non solùm, vt sanctis desideriis foueas, sed rebus ipsis magis ac magis in dies explere pergas, auctorem Fidei ac consummatorem IESVM obsecrare non desistam.

Calissii, in Collegio tuo Archidiœcesano, Anno reparatæ salutis, M. DC. XVII. Pridie Cal: Maii.

Decem verorum Christi & Ecclesiæ Ministrorum Notæ.

I. Missio.
II. Sacra Ordinatio.
III. Potestas remittendi peccata.
IV. Potestas offerendi nouæ legis sacrificiũ.
V. Potestas Eucharistiam conficiendi.
VI. Sacramentorum legitima administratio.
VII. In vera Christi Ecclesia ministerium.
VIII. Verbi Dei integritas & incorruptio.
IX. Euangelii fructificatio.
X. Miraculorum gloria.

NOTA.

Falsificationes plurimæ Zaborouii, in citandis Sanctorum Patrum testimoniis notantur in margine littera F.

CAPITA LIBRI PRIMI.

CAP.

CAPITA LIBRI SECVNDI.

CAP.

LIBRI SECVNDI.

XX CAP.

CAPVT XI.

CAPVT XII.

CAPVT XIII.

CAPVT XIIII.

CAPVT XV.

CAPVT XVI.

CAPVT XVII.

CAPVT XVIII.

LIBRI SECVNDI.

DE NO.



DE NOTIS MINISTRORVM LIBER PRIMVS.

In quo quatuor primæ notæ Ministrorum examinantur.

Veros Ministros ex legitima missione secundùm Scripturas dignoscendos esse.

CAPVT PRIMVM.



Loriatur Zaborouius quæstionem illam de Notis Ministrorum, quam *Nodum Gordium*, hoc est Euangelicis omnibus insolubilem inscripsimus, esse pridem ab illis dissolutam; quod docuerint de Doctoribus ex prædicatione & doctrina, non de doctrina ex Doctoribus, aut ex eorum legitima missione iudicium faciendum esse. Quis credat tam inepto responso, quod non solum Scripturis, sed etiam rationi aduersatur, tantæ quæstioni satisfactum esse? Etenim Scripturæ clarissimè docent ex legitima Prædicatorum missione veritatem prædicationis colligendam esse; ita vt nemo cuiquam credere teneatur, aut possit, quòd veram doctrinam doceat, nisi eum à Deo missum constiterit. Docet id expressissimè Paulus illis verbis; *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Si enim Paulus non inueniebat modum, quo aliquis veram doctrinam prædicare posset, nisi esset legitimè à Deo missus: quomodo Euangelici inuenient? Si igitur Pauli sententia standum est, non ex doctrina & prædicatione de Doctoribus, sed è contrario ex legitima Doctorum missione de eorum doctrina & prædicatione iudicium

Ex missione prædicatoris doctrinæ veritas æstimanda.

faciendum est alioqui nó erit verum; *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Obijcere enim possent Euangelici Paulo veros prædicatores posse dici & esse etsi non mittantur, si veram doctrinam prædicent; itaque ita se inuenisse modum, quem Paulus non inueniebat, vt quis prædicare possit, etiamsi non mittatur. Quod si eludi argumentum Pauli non potest, fatendum est, falsum omnino esse illum modum ex doctrina de Doctoribus iudicandi absque eorum legitima missione. Siquidem de ipsa doctrinæ veritate, cùm in controuersiam adducitur, iudicium certum fieri non potest, nisi ex Doctorum qui à Deo missi sunt qualitate. Eorum enim qui non sunt à Deo missi doctrina & Scripturæ interpretatio semper incerta est & fallax, quippe quæ humana opinione & auctoritate, quæ fallere potest, tota nitatur, vt mox patebit.

Ita Christus suam doctrinam probat. Idem probatur Christi auctoritate & exemplo. Etenim Christus ipsa *veritas & sapientia Patris,* etsi ex Scripturis suam prædicationem abundè confirmare potuerit, sibi tamen credi nolebat, nisi se esse à Deo missum miraculis comprobaret. ita vt *Ioan: 10.37.* de sua missione & doctrina loquens dixerit. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, etsi mihi non vultis credere, operibus credite.* Et *Ioan 15. 24. Si opera non fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Si igitur doctrinæ Christi, non tenebantur Iudæi credere, etiamsi Scripturas, quæ de illo testimonium perhibebant, adduceret, nisi miraculis se esse à Deo missum probaret: siquidem doctrina Christi, etiamsi verissima in se esset; Iudæis tamen de eius veritate & Scripturarum indubitata interpretatione constare non poterat; nisi ex miraculis eum, qui doctrinam illam tradebat, & Scripturas interpretabatur, cognoscerent esse à Deo missum· qui fieri potest vt Ministris Euangelicis Scripturas interpretantibus fidem habeamus ob nudam illorum asseuerationem sine alio miraculorum testimonio? Nā etsi Scriptura in se sit vera, non tamen necesse est veram esse interpretationem, quam illi ministri affingunt. Quare si exemplum & doctrinam Christi sequimur, necesse est vt non ex doctrinæ qualitate de Doctoribus, sed ex illorum legitima missione de doctrina iudicare debeamus.

Ita Apostoli. Idipsum Apostolorum quoq; exemplo docetur. Nam ij etsi Scripturis essent instructissimi, & secundùm veritatem Scripturas interpretaturi erant: Christus tamen illos miraculorum potestate instructos

misit;

misit; vt & se à Deo missos ostenderent, & fidem suæ doctrinæ ac Scripturarum interpretationi facerent: alioqui quamdiu auditoribus persuasum esset illos humano spiritu & sapientia Scripturas interpretari, tam diu fidem omnino certam & indubitatam adhibere illis minime possent. Quare & S. Augustinus verissime Manichæis Scripturas pro sua hæresi torquentibus respondit. Se non solùm illis credere non posse; sed ne ipsi quidem Euangelio, nisi Ecclesiæ auctoritas accederet. *Euangelio, inquit, non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ auctoritas commoueret.* Etenim in Ecclesia sunt homines à Deo missi, & à DEO immediatè missorum veri hæredes, diuinumq; suæ missionis testimonium habent. quocirca meritò Ecclesiæ auctoritate, & ad non credendum Manichæis, & ad credendum Euangelio, vti ab ipsa Ecclesia exponitur, se commoueri dicebat; alioqui nihil est quod hominem de Fidei veritate, & Scripturarum vero sensu certum possit reddere. *Ita Augustinus.*

Iam verò, si ratione rem expendamus, quis non videt non posse ex doctrina de veris Doctoribus iudicari, nisi constet doctrinam quam prædicant esse veram. At esse veram constare non potest; nisi constet eos qui ipsam docent esse à Deo missos. Si enim missi sunt, diuinum suæ doctrinæ testimonium habent: si missi non sunt, humano spiritu & opinione, quæ falli facilè potest, ducuntur. *Doctrina an Doctoris esse nota possit.* Aiunt ex Scripturis innotescere doctrinæ veritatem. At cùm Scripturas aliter exponant Luterani, aliter Caluinistæ, & Ariani, vnde constabit Scripturas hoc vel illo sensu exponendas? Qui enim sensus videtur Luteranis verus; Caluinianis & Arianis videtur falsus. Ex qua controuersia apparet, non quis sensus absolutè sit verus, sed quis secundùm huius vel illius opinionem huic vel illi videatur verus. Cùm verò dicunt ex spiritu Scripturarum verum sensum illarum cognosci, in idem relabuntur. 1. Nam alium spiritum Scripturarum iudicant Luterani, alium Caluinistæ, alium Ariani. vnde non constat quis ex tot spiritibus sit verus spiritus Scripturarum, sed quilibet opinione sua, quem existimat esse spiritum Scripturarum credit esse verum, quod non est nisi spiritu Scripturarum vero sed putato: spiritus autem putatus est mera hominis de spiritu opinio. quocirca dum spiritu putato nituntur, opinione sua nituntur, quam falli & fallere posse nemo non videt. 2.

Deinde, si quicunque suam doctrinam ex Scriptura eo, qui sibi videtur, sensu probat, legitimus prædicator censendus esset, & eius do- 3.

ctrina pro vera Euangelij doctrina habenda; fieret profectò vt, cùm diuersis diuersa & sæpe opposita ex scripturis videantur, diuersa quoque & opposita Euangelia essent in mundo. Aliud nimirum Euangelium Luteri, aliud Zuinglij, Caluini, Socini. Euangelium enim sine legitimo sensu, non est Euangelium; cum alio autem sensu est aliud Euangelium. Cùm igitur alium sensum habeat apud Luterum, alium apud Caluinum, tot erunt diuersa Euangelia, quot expositores & hæretici diuersi. Omnes enim hæresum auctores ex Euangelij varia interpretatione prognati ac propagati sunt. Quod si diuersa Euangelia, diuersæ quoq; Fides erunt, contra illud Apostoli; *Vna Fides, vnum Baptisma.* Quin etiam sequeretur nullum in mundo esse Euangelium de quo certò constet esse verum Euangelium. Nam si absq; sensu legitimo Euangelium non est Euangelium, sed Euangelij quidam cortex: sensus autem Euangelij legitimus is habeatur, qui cuiq; Scripturas per Scripturas exponenti occurrerit: sequetur nullum esse certò Euangelium verum. quia constare non poterit qui sensus ex tot diuersis & contrarijs sensibus sit legitimus Euangelij sensus, & secundùm quem sensum Euangelium sit verum Euangelium.

Multa essent Euangelia pugnantia, & nullum certum.

4. Adhuc, cùm omnes hæretici ex scriptura suas hæreses confirmēt & quidem tanta contentione, vt alter alteri nullo modo cedat, non potest haberi ea regula certa ad dignoscendam veram à falsa doctrina & de veris Doctoribus iudicandi, quin potiùs ea regula ad omnem incertitudinem & dubitationem inducit animum; quòd ea omnes ad suos errores confirmandos vtantur.

Magis dubiū auget hæc regula.

Tandem eiusmodi conficio argumentum; Nota cuiusq; rei debet esse certa & indubitata, non controuersa & anceps: cùm igitur res sit maximè controuersa quo sensu quæ scriptura accipi debeat, quamdiu humanis opinionibus agetur, non potest inde certa iniri ratio verum Prædicatorem & veram prædicationem cognoscēdi. Quare aut nunquam certi erimus de vera doctrina per hanc regulam; sed sicut paruuli fluctuantes circumferemur omni vento doctrinæ, semper discentes & nunquam ad scientiam peruenientes. quod tanquam absurdum horret Apostolus; aut certe diuinitus quærenda est veræ prædicationis & doctrinæ certitudo, quæ sanè aliunde haberi non potest Scriptura ipsa teste quàm ex legitima ministrorum à Deo missione.

Porrò nostrum hoc argumentum tantò maioris ponderis esse debet, quòd eo quoq; Sanctus Petrus contra Simonem Magum disputans vsus

tans vsus sit, vt testis est Clemens *in primo Recognitionum libro.* Cùm enim Simon doctrinam Christi esse inconsonantem & veritati repugnantem probare vellet, & idcirco Christum verum Prophetam non fuisse: Petrus è diuerso ostendit non ex doctrinæ consonantia vel inconsonantia verum Prophetam iudicari debere; quod quæ inconsonãtia videntur nonnullis, apud alios maiori ratione vtentes habent consonantiam; & idcirco solùm inconsonantia videntur quia non intelliguntur. Porro vnicam esse viam ad cognoscendum an quis consonantia vel inconsonantia loquatur, si ostendatur is qui loquitur esse verus Propheta. Si enim inuenitur verus Propheta esse, omnia quæ videntur inter se esse contraria constat habere consonantiam sed non intelligi. Sed placet idipsum verbis S. Clementis, tanquam disputationis huius oculati testis, adscribere. Sic igitur, inquit, Simon Magus; *Non opus habeo hoc discere abs te, sed quomodo sibi ista conueniant. Si enim inconsonans ostendetur, simul etiam Propheta non esse docebitur. Tum Petrus; Sed si,* inquit, *priùs ostendero eum Prophetam: hoc quod videtur esse inconsonans, non erit. neq; enim ex consonantia quis Propheta esse probatur; quia hoc multis possibile est facere. Quod si consonãtia Prophetam non facit; multò magis nec inconsonantia; quia multa sunt quæ videntur quidem inconsonantia nonnullis, habent tamen profundiore ratione in semetipsis consonantiam. Sicut & aliqua videntur habere consonantiam; discussa diligentiùs inuenientur inconsona. Hac de causa aliam non puto meliorem esse viam ad horum discrimen, nisi vt priùs cognoscamus si is, qui locutus est ea quæ sunt inconsona, Propheta sit. Si enim inuenitur Propheta esse, omnia illa quæ videntur sibi esse contraria, constat habere consonantiam, sed non intelligi. De his ergo probamenta rectiùs requiruntur.* Ex quo patet ab initio ipso Ecclesiæ apud ipsos Apostolos eam disputandi rationem probatam fuisse, vt non ex doctrinæ qualitate de Doctoribus iudicaretur. hoc enim fallax & incertum, ac varijs opinionibus expositum est; sed ex legitima Doctorum à Deo missione: illamq; hæreticorum regulam semper fuisse; hanc vero Apostolicam atq; Catholicam esse.

Argumentũ hoc Apostolicum est.

Quid? inquies, nunquamné ex doctrinæ veritate fieri poterit de Doctoribus iudicium?

Respondeo. cùm de doctrinæ veritate vel sensu diuinitus non constat, sed opinionibus & expositionibus hominum res agitur, nunquam ex doctrina posse certum omninò & non fallens haberi iudici-

um. Hac enim ex causa tot hæreses multiplicantur. quia pro sua quisque opinione hoc verum, illud falsum existimat. Nam licèt Scriptura sacra res diuina sit, & infallibilis: tamen de eius sensu variæ sunt hominum opiniones, incertumq; quæ opinio Scripturis maximè consentanea sit habenda. Licèt enim sua cuiq; opinio vera videatur; alijs tamen & falsa & Scripturis contraria videtur. Et hanc rationem maximè vrsit S. Petrus contra Magum; quòd quæ nonnullis inconsona videntur, alijs meliore ratione vtentibus consona apparent; & ideo inconsona videntur, quia non intelliguntur. Iam verò si semel de doctrinæ veritate vel sensu diuinitus constiterit, quòd scilicet eo sensu sit ab Apostolis vel alijs hominibus a Deo missis exposita & credita, sic ex doctrina potest rectum & non fallens de Doctoribus iudicium haberi. Hanc enim rationem S. Ioannes *in sua epistola secunda* inter falsos & veros Doctores discernendi tradidit. *Si quis*, inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert; nolite vocare eum in domum; nec Aue ei dixeritis.* Et Paulus *ad Gal. 1. 8. Licèt nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Manifestum enim est quod semel est diuino testimonio comprobatum ab ijs qui à Deo missi sunt, falsum esse nunquam posse.

Quando nota Doctoris est doctrina?

Verùm hoc modo ex Scriptura doctrinam veram probare nihil aliud est, quàm ex Scriptura, prout est ab hominibus à Deo missis exposita, probare. hoc verò idem est quod ex legitima hominum à Deo missione, & verum scripturæ sensum, & veram secundùm Scripturas doctrinam cognoscere. Et hoc est quo aduersarios vrgemus. Sicut enim ex scriptura opinione cuiusque exposita nihil certi in Fide stabiliri potest: ita ex eadem scriptura ab hominibus à Deo missis exposita perfecta certitudo haberi potest.

Fides hæreticorum non ex Scripturis.

Dicant autem quidquid volunt Euangelici, etiamsi Scripturas crepent, Fidem tamen suam non ex Scripturis sed ex opinione propria deducunt. Quantumuis enim iactent se ex Scripturis omnia inferre; tamen cùm ea inferant ex scripturis propria opinione & existimatione expositis, quid hoc aliud est, quàm suam Fidem ex opinione propria deriuare? siquidem Scripturarum sensus, qui est anima Scripturarum, nonnisi ex opinione ab ipsis habetur. Vnde etiam velint nolint fateantur necesse est, ex doctrina sola, quam ex Scripturis se docere putant, non posse se suos Doctores veros esse ostendere: sed necessarium est, vt eos diuinitus missos comprobent, si eorum doctrina

pro vera

pro vera haberi debet. *Quomodo* enim *prædicabunt nisi mittantur?*

Non igitur soluerunt ea ratione Euangelici Nodum de missione Ministrorum, dicendo ex doctrina veros ministros iudicandos esse; sed magis seipsos eo Nodo implicuerunt, cùm ea quæ respondent, subsistere saluis Scripturis, & ratione, nullo modo possint. Magna vero temeritate & impudentia Zaborouius in ipso initio, quasi rem euicerit, probra & conuitia in Missam, Imagines, Sanctos, Purgatorium libere iactat: Missam, quæ Christi adorationem & oblationem continet, execrandam idololatriam vocat; vnam speciem Cœnæ Domini detestandam abominationem; Imaginum cultum, & Sanctorum inuocationem, veram superstitionem; Purgatorium fictum focum. Hæc enim ab homine propria opinione dementato, & ex animi impotentia, probris potiùs quàm rationibus agente, proficisci nemo non videt. id quod etiam ex ijs quæ in hoc libro à nobis adducentur, manifestum fiet.

Innodauit se Zaborouius enodasse putans.

CAPVT SECVNDVM.

Veros ministros, in quantum à Deo missi sunt, falsum docere non posse.

VErentur Euangelici, ne si eos qui à DEO missi sunt duces sequantur, in errores aliquos ipsorum ductu incidant. quod sibi persuadeant eos errare, & falsum docere posse. at immeritò. Etenim Ministri in quantum à Deo missi sunt, falsa docere non possunt. habent enim DEI testimonium in se. Nam & ij qui immediate à DEO mittuntur, mittuntur cum miraculis, quæ esse sufficientia doctrinæ & veritatis testimonia nemo dubitat, præsertim si in doctrinæ confirmationem edantur. Alioqui nec Christus, nec Apostoli qui miraculis suam doctrinam comprobàrunt, sufficiens suæ doctrinæ testimonium dedissent. Qui verò mediate à DEO mittuntur, quia ad eos & eorum doctrinam qui à Deo immediate missi sunt referuntur successione perpetua, tam personarum, quàm doctrinæ; eodem diuino testimonio gaudent; ac proinde propter diuinum testimonium, quo ea quæ docent confirmare facilè possunt, falsum docere non possunt.

Missi à Deo, habēt ab ipso testimonium.

Hoc

Hoc verò diuino missionis testimonio sicut Catholicæ Ecclesiæ Ministri meritò gloriari possunt : ita Euangelici minimè. Nam etsi Euangelici se suamque doctrinam in Apostolos referre conantur; nullam tamen certam eius rei probationem afferunt; sed solùm proprij capitis testimonium. nimirum quod ex Scripturarum collatione sibi is sensus Apostolicæ doctrinæ esse videtur. Qui modus colligendi si necessariò verus esset, verũ quoq; esset quicquid ab hæreticis omnibus & singulis vnquã dictũ est. Hæretici enim omnes hoc modo suos errores ex Scripturis colligunt & confirmãt: Catholici verò non priuata opinione, nec proprij capitis commento, sed traditione certissima Ecclesiæ & omnium seculorum testimonio, suam doctrinam ad Apostolos referunt. ita Scripturas intelligentes sicut Apostolos intellexisse perpetua & indubitata traditione acceperunt; habentq; tot doctrinæ ab Apostolis acceptæ testes, quot fuerunt omnium seculorum Patres & Doctores. Hi enim eam quam nunc profitemur doctrinam, non solùm omnibus seculis constantissimè tradiderunt, sed etiam ab Apostolis esse acceptam, & ad nos deductam luculenter testificati sunt: quemadmodum & sensum Scripturarum non eum esse, quem itidem Scripturis Euangelici affingunt, sed quem mundus vniuersus ab Apostolis edoctus ad nostra vsq; tempora retinuit : & de manu in manum dedit.

Doctrina Catholicorũ ab Apostolis tradita.

Quanquam idipsum res ipsa quoq; loquitur. Etenim Apostolica doctrina, quæ nunquam interire, sed ad finem vsq; mundi continuari debuit, non alia potest esse, præter eam, quam Catholici profitemur. Nulla enim alia præter ipsam est ab Apostolorum temporibus ad nos vsq; perpetua successione deriuata : nec vlla alia vnquam est, præter ipsam pro Catholica & Apostolica Fide à toto mundo habita : deniq; nullus ei alius auctor, à quo cœperit, præter Apostolos assignari potest. quod argumentum fusiùs *primo de erroribus Arianorum libro capite primo* prosecuti sumus.

Nec vlla alia potest esse Apostolica.

Patet igitur Catholicos Ministros, cùm suam doctrinam certissima ratione ad Apostolos referant, in ea doctrina fidelibus tradenda errare non posse. neq; enim dubium esse potest eam doctrinam quæ ad Apostolos certissima ratione refertur esse verissimam. Ministros verò Euangelicos cùm fallacissimam regulam sequantur suam doctrinam ad Apostolicam doctrinam referendi, nempè Scripturarum cum Scripturis priuato iudicio factam collationem; aut semper errare, aut si fortè aliquando non errent, certam eius rei fidem facere non posse.

Certum errare non posse Doctores Catholicos.

Vnius

Vnicus tantùm modus est falsum docendi, si is qui mittitur ab ijs à quibus missus est in doctrina dissentiat; & aliã doctrinã præter eam ad quam docendam missus est doceat. nempe quæ non sit Ecclesiæ doctrina, sed illi potius aduersa; nec ab Apostolis certa successione & traditione deduci possit; ac proinde nec ad Deum referri. Non est autem mirum Ministrum tunc errare: quia in ea doctrina docenda diuinæ missionis testimonio destituitur. nec eam tanquam missus à Deo docet. Nos enim non alia ratione ministrum non posse falsum docere contendimus: nisi quòd diuinitus ad docendum missus est. Si igitur eam doctrinam doceat ad quam docẽdam à Deo missus non est, quãque diuino testimonio siue immediatè siue mediatè comprobare minime potest, mirum non est in ea docenda posse labi & errare, vtpote quæ à priuata ipsius opinione non à Deo proficiscatur.

quamdiu non dissentiunt ab Apostolica doctrina.

Non rectè verò Zaborouius interpretatur veros Ministros falsa docere non posse, nimirum quatenus veri sunt & veritati & Scripturis adhærescunt. Hoc enim ipsum est quod quærimus, vnde id constare possit, quòd ministri in prædicando à veritate & scripturis non dissentiant, nec falsum doceant? Quod cùm Zaborouius non docuerit, nos cum Paulo id ex legitima missione constare dicimus. *Quomodo enim prædicabunt nisi mittantur? Rom: 9.* Sensus enim eorum verborum est; Quomodo constabit eos vere & absq; erroris suspicione prædicare, nisi mittantur? Etsi enim fortè eorum prædicatio vera esset: id tamen nobis constare non potest, nisi constiterit eos esse à Deo missos. Quemadmodum igitur ij, qui missi non sunt, eò quòd missi non sunt, non possunt nobis fidem facere, quòd verè & absq; errore prædicent: ita si fuerint legitimè missi, certam fidem ex diuina missione facient se verè & sine errore prædicare: quia, vt dictum est, ea prædicant quæ possunt diuino testimonio immediatè vel mediatè confirmare; cùm ab ijs missi sint, & eorum doctrinam proponant, qui sunt ab ipso Deo immediatè missi; & quorum doctrina est miraculis, diuinisq; testimonijs confirmata.

incertũ verò non dissentire non missos.

At obijcit Zaborouius plurimos ex ijs qui à Deo missi sunt in varios errores lapsos esse; & alijs errandi auctores extitisse, tam in veteri quàm in nouo Testamento. Nam & Aaron *Exod: 32. 2.* fecit vitulum conflatilem: & Phassur Ieremiam Prophetam percussit, & in carcerẽ coniecit. *Ierem: 20. 2* Apud Esaiam etiam *56. 10.* DEVS pastores ordinarios vocat speculatores cæcos & ignorantes intelligentiam. In nouo verò

uo verò Testamento Apostoli post acceptum Spiritum sanctum *Io: 20.* regnum Christi carnale somniârunt *Act: 1. 6.* Petrus non rectè ambulauit ad veritatem Euangelij *Gal: 2.14.* Ioannes errauit volens adorare Angelum. *Apoc: 22. 8.* In Actibus etiam *20. 29.* dicitur; *Intrabunt lupi rapaces, & ex vobis ipsis viri loquentes peruersa.* At nihil hæc contra nos faciunt. Nos enim eos, qui missi sunt, nonnisi in ijs docendis ad quæ misi sunt, & pro quibus docendis diuinæ missionis testimonium siue immediatè, siue mediatè producere possunt, errare non posse affirmamus. in alijs verò quæ diuinæ missionis testimonio probari non possunt errare posse non negamus; vt si suam non ab Apostolis per Ecclesiam traditam doctrinam doceant; multò verò magis errare possunt in moribus & factis. Quanquam Petro & successoribus eius singulare quid à Christo promissum est, vt in proponenda vniuersæ Ecclesiæ doctrina, tam Fidei quàm morum, ob specialem Spiritus sancti assistentiam, errare non possint, tanquam inuiolabilis totius Ecclesiæ petra & fundamentum constituti: vti infrà *in 2. libro* ex professo docebimus.

Errant aliquado Ministri, at non in his ad quæ docenda missi.

Iam verò vt in particulari ad singula respondeam, dico Aaronem in vitulo conflando nihil Dei nomine egisse: neq; tanquam à Deo missum, sed potiùs contra Deum ad satisfaciendum populo duræ ceruicis. ac proinde mirum non est tam turpiter errasse. Phassur etiam cùm in Ieremiam iniurius fuit, facto non doctrina errauit; fuitq; is abusus potestatis sacerdotalis. Quod idem de illis speculatoribus cæcis dicendum est. quanquam in illis, non tam error circa res Fidei, quàm ignorantia practica rerum ad officium ipsorum spectantium, & ex ea consequens omissio muneris sacerdotalis, arguitur.

Aaron & Phassur non Dei nomine egerunt tunc

Quod ad Apostolos attinet. ij *Ioan: 20.* Spiritum sanctum solùm ad remittenda peccata acceperant; non autem ad docendam omnem veritatem. hoc enim ad diem Pentecostes reseruabatur, dicente Christo; *Cùm venerit Spiritus sanctus, docebit vos omnem veritatem. Ioan: 16. 13.* ideoq; non est mirum Apostolos tunc aliquas carnales de regno Christi opiniones habuisse. nondum enim erant edocti omnem veritatem.

Apostoli antequam Spiritum sanctum accepissent, errârunt.

Simulatio verò illa Petri si aliquis error fuit, fuit error facti non doctrinæ. De doctrina enim inter Apostolos constabat legis veteris obseruationem tunc non fuisse ad salutem necessariam; quod & ipse Petrus in Concilio primo Apostolorum decreuit *Act: 15. 10.* ne tamen offen-

Petrus non errauit.

offenderentur Iudæi, retineri ad tempus potuisse. quia igitur Petrus in præsentia Iudæorum subtrahebat se à gentibus quasi cogens exemplo suo gentes iudaizare & legem obseruare; idcirco ea simulatio, quòd induceret scandalum, & eam opinionem in gentilibus, quasi lex vetus esset ad salutem necessaria, erat non secundùm veritatem Euangelij; non quòd contra veritatem Euangelij doceret aliquid Petrus, sed quòd modo suo procedendi, hoc est, subtrahendo se in gratiam Iudæorum à gentibus, faciebat illis suspicionem quasi Euangelium ex se requireret obseruationem Mosaicæ legis. qui est facti error non Fidei. quia in facto eius non in doctrina. imò & in facto nonnisi per accidens & præter omnem eius intentionem. Quo etiam modo cùm Ioannes in Apocalypsi Angelum quem Christum esse existimabat vti multorum est opinio adorauit, fuit is error facti non doctrinæ: quanquam & in facto non errauit formaliter. Mens enim eius erat formaliter recta ob intentionem Christum adorandi non Angelum; solumq́; materialis error erat, qui sine vlla eius qui ipsum admittit culpa potest accidere. *neq; Ioannes.*

Deniq; cùm ex hominibus à Deo missis fiunt lupi rapaces & peruersa loquentes, quid mirum est, cùm id non quatenus missi sunt, sed quatenus missioni prorsus renuntiant, faciunt. Non enim debent missionis priuilegia ijs qui ipsam abijciunt patrocinari. *Apostatæ iã desinunt esse Doctores.*

Iam cùm assero DEVM nonnisi per Ministros à se constitutos nos docere, & nobis loqui, ideoq́; ipsos falsa docere non posse. Zaborouius ait me errare. quid ita? quia etiam per verbum suum scriptum nobis loquitur. Verùm Zaborouius nec assertionem meam intellexit; nec argumentum soluit. Cùm enim de ea locutione agam, qua DEVS ad homines per homines loquitur, iure potui dicere DEVM non per quosuis homines, sed per solos Ministros ad id munus singulari ratione deputatos nobis loqui. Non igitur excludo verbum Dei, sed solùm alios homines qui Ministri non sunt. Sed esto. vis argumenti est adhuc integra, quæ in eo est, quod cùm DEVM loqui falsum repugnet, siue per seipsum loquatur, siue per suos Ministros; repugnabit quoq; ministros, quatenus per eos DEVS loquitur falsum loqui. Ait quidem Zaborouius, tunc DEVM nobis per Ministros loqui, cùm verbum Dei purè docent; cùm verò traditionum humanarum aliquid admiscuerint, non Dei vox est, sed hominis: sed non aduertit nobis constare non posse Ministros verbum Dei purè docere, aut Deum per os eorum loqui, nisi prius constet eos esse à Deo missos. *Quomodo* enim *prædicabunt* *Deus cùm loquitur nobis per homines, loquitur per missos à se. ideo falsum loqui nequeunt.*

cabunt nisi mittantur? Hac enim via ordinariè cognoscimus aliquid esse verbum Dei; quia homines à Deo missi ita asserunt. Quare non ex verbo Dei cognoscimus veros Ministros, sed ex veris Ministris, hoc est, à Deo missis, verbum Dei; vti proximè ostensum est. Neq; verò aliquid tantùm, sed totum quod nobis Dei nomine loquuntur, est verbum Dei, siue illud sit scriptum, siue traditum. Non minùs enim vnum quàm alterum est Dei verbum. vt *in secundo libro* ostendemus.

Doctorum Ecclesiæ doctrina omni suspicione libera.

1. Porrò argumenta nostra ex scripturis deprompta infirmare conatur Zaborouius; sed frustra. Nam dum locum *ad Eph: 4. 12.* vrgeo, in quo dicitur DEVM posuisse in Ecclesia pastores & doctores, ne simus paruuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ: indeque concludo tales doctores in Ecclesia positos esse, quorum doctrina sit infallibilis & indubitata. alioqui si de ea dubitare liceret, essemus semper fluctuantes sicut paruuli: & circumferremur ventis doctrinarum. Hoc argumentum cum soluere non posset, nudè solum negat tales pastores errare non posse. verùm negantem ratio manifesta redarguit. Illa enim doctrina, quæ non facit nos fluctuare, nec circumferri quouis vento doctrinæ, est infallibilis, & certo vera. Talis est doctorum in Ecclesia à Deo positorum, teste Paulo. ergo est infallibilis. & ex consequenti doctores Ecclesiæ, quatenus à Deo constituti & missi, non possunt errare: alioqui hæc ipsa cogitatio qua suspicaremur doctores posse docere falsa, faceret nos fluctuare, & circumferri alijs doctrinæ ventis.

2. Quo etiam modo locus *Act: 20. 28.* à me vrgetur. Si enim Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. regi autem fideles in doctrina Fidei debent, omninò necessarium est, vt fideles omninò sibi persuadeant suos doctores falsa docere non posse; alioqui nec firmi in Fide ac constantes, nec quieti, & securi in conscientia vnquam esse possent. Nam cùm opponit Zaborouius, posse ex ijs fieri lupos rapaces, & peruersa loquentes; id verum quidem est: sed ij tūc missioni renuntiant, & ea docent ad quæ diuinæ missionis testimonium non extenditur. cùm eam doctrinam nec ipsi miraculis comprobarint, nec ab alijs comprobatam acceperint.

Iam quod ad locum *Matth: 18. 17.* attinet; *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus;* putat se egregiè respondisse Zaborouius, cùm ait, eo loco non agi de doctrina & Fide, sed de censura morum, & correctione fraterna, de quē compositione litium

ne litium inter fideles, per senatum Apostolicum. At non difficile est ostendere agi de potestate Ecclesiæ lites cuiusuis generis, siue ratione Fidei, siue ratione morum inter fideles exortæ fuerint, terminandi. Etenim vniuerse omne peccatum, quo quis ab altero offenditur, subijcit Christus Ecclesiæ iudicio. Atqui non minùs offenditur quis à fratre, cum is in rebus ad mores spectantibus delinquit; quàm cum pestilentem de Fide & religione opinionem disseminat, & fratribus perniciem æternam parat: (sermo enim Hæreticorum vt cancer serpit, inficitque sensim totum Ecclesiæ corpus, ni illi statim occurratur) quinimo tantò magis peccatis contra Fidem offenditur frater, quantò maius malum est quod animæ affert interitum, quàm quod corpori: quodquè non vnius tantùm ruinæ est causa, sed toti communitati fidelium plurimùm nocet. Quare non solùm peccata morum, sed etiam peccata contra Fidem, subiecta sunt Ecclesiæ potestati. Et sanè in veteri Lege iudicium de Religione & Lege sacerdotum iudicio subiecit Deus; ita vt qui superbiens non obediret sacerdotis imperio, morte mori debuerit. *Deutor: 17. v.3. & 12.* cur ergo non idem in Lege noua credendum est Christum voluisse? Adhæc ea iudicandi potestate contra Hæreticos vsos esse Apostolos constat. cùm eos propter suas hæreses damnârunt, & à communione fidelium præciderunt. vt in Paulo & Ioanne perspicuum est. Iure itaque optimo ex dicto loco deducitur atque probatur Ecclesiæ Ministros (quibus obedire ita præcipit Christus, vt inobedientes pro ethnicis & publicanis haberi voluerit) falsa docere non posse, quatenus sunt à Deo missi. alioqui si falsa docere possent, dubitari meritò posset, an illis obediendum esset. erranti enim vel errores pręcipienti nemo obedire tenetur. Non igitur immeritò hunc locum Achillem nostrum appellat Zaborouius. est enim insuperabilis, & portæ Luteranæ non præualebunt aduersus eum.

Peccata morũ & dogmatũ iudicat Ecclesia.

1.

2.

3.



Quod verò scripsi. si Ministri falsum docere possent, fore vt ea falsitas Deo ipsi tribueretur, negat id sequi Zaborouius. Quicquid enim boni in ministerio fit, Deo tanquam causæ primæ omnis boni tribuendum est: si quid verò mali admissum fuerit, causis secundis, id est, Ministris inhæret. quòd ij, cùm libero arbitrio ad bonum & ad malum plerumq; ferantur, decipi, ac ita errare facilè possint. At bene respondisset Zaborouius, si bonam doctrinam bene ad rem accommodare didicisset. Etenim causis secundis tunc vitium tribuitur,

Error Ministrorum tribueretur Deo.

1.

cùm propria virtute operantur: at si nonnisi virtute causæ primæ agunt, si quis defectus esset in opere, is in causam primam non in secundam referendus esset. Ita vero hìc accidit. Cùm enim Ministri tanquam à Deo missi docent; nihil ex suo conferunt, sed solùm id, quod à Deo siue immediatè siue mediatè acceperunt populo Dei proponunt, diuinum testimonium siue immediate siue mediatè ipsis exhibitum pro sua doctrina proferentes. Si igitur in hac ipsorum doctrina aliquis error vel falsitas esset; ea non in ipsos, sed in Deum referéda esset; non enim suo sed Dei nomine, & Deo ipsis attestante doctrinã illam proponunt. Tunc verò solùm Ministri errare possunt, cùm non tanquam à Deo missi, sed ex proprio sensu & iudicio loquuntur.

Quocirca futile est illud Zaborouij argumentum: cùm in Ministros veros cadat peccatũ, errorẽ quoque cadere posse. Neque enim Ministros peccare & errare posse absolutè negamus, cum ex se aliquid operantur; sunt enim naturâ peccato & errori obnoxij: sed solum tunc id fieri posse inficiamur, quando tanquam missi à Deo loquuntur: tunc enim Deus ipse per os illorum loquitur, & ipsi diuinum do-
2. ctrinæ exhibent testimonium. Alioqui & Apostoli erant homines naturâ peccato & errori obnoxij; neque tamen, cùm miraculis suam doctrinam comprobarent, errare tunc poterant.

3. Adhæc 1. *Thessalonic: 2 13. Gratias*, inquit Paulus, *agimus Deo, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed sicuti verè est verbum Dei.* Si enim verorum Ministrorum verbum accipiendum est, non vt verbum hominum, sed vt verè verbum Dei, perspicuum est veros Ministros falsum non docere. alioqui verbum illorum tanquam falsum vel falsitati subiectum non esset eo loco habendum, quo verbum Dei. Negat quidem Zaborouius exemplum Pauli, tanquam particulare & extraordinarium, in omnes Ministros deriuari debere: verùm non aduertit, quòd quemadmodum Pauli verbum ideo accipiebatur vt verbum Dei, quia miraculis & se à Deo missum & doctrinam suam esse verè verbum Dei comprobabat: ita & mediati Ministri, cùm suam doctrinam ab Apostolorum doctrina tot miraculis comprobatam euidentissimè referunt, omnium seculorum vti diximus testimonio, an non æquè merentur, vt verbum illorum habeatur, tanquam Dei verbum? Non igitur est à particulari ad vniuersale, nec ab extraordinario ad ordinarium argumentatio, sed à pari & simili. Eadem enim miracula,

quæ

quæ doctrinam Apostolorum esse verè Dei verbum testificabantur; testantur quoque eam, quam ab Apostolis traditione omnium seculorum acceptam nunc Ministri Ecclesiæ prædicant esse verè Dei verbum. siquidem vna & eadem est doctrina, ab Apostolis promulgata, & ad nos traditione omnium seculorum transmissa. Neque timeat Zaborouius, ne Ministri nunc à Scriptura dissentiant. Si enim suam doctrinam ab Apostolis esse acceptam omnium seculorum testimonijs probauerint, eo plane modo, quo doctrina Apostolica scripta probatur; constabit manifestissimè ipsorum doctrinam Apostolicæ scriptæ non repugnare. alioqui Apostolica doctrina secum ipsa pugnaret. Timeat potiùs suis Euangelicis, ne doctrina ipsorum, & Scripturæ noua quam excogitârunt expositio, Apostolica non sit: eò quòd cum tradita ab Apostolis doctrina non consentiat. Tam enim certum est eam doctrinam esse Apostolicam, quæ traditione perpetua Ecclesiæ comprobatur esse Apostolica: quàm certum est ea quæ habemus scripta Apostolica esse verè Apostolica. vtrumque enim ex eadem Ecclesiæ traditione habetur, & æquè credi vel non credi debet.

Miracula ab Apostolis edita doctrinam nostram approbant.

Frustra igitur toties cantilenam illam repetit. Ministros in tantum audiendos esse, in quantum à Scriptura non recedunt. Nunquam enim recedent, si testimonium suæ missionis proferant, & suam doctrinam ad Apostolos totius orbis testimonio & traditione referant. cui traditioni si nolint acquiescere Euangelici, non acquiescant etiam Scripturis, quas esse verè Scripturas sacras, & quatuor Euangelia esse verè Euangelia, non sciunt nisi ex Ecclesiæ traditione.

Non dissentiunt ab oraculis qui se à Deo missos probant.

Neque dicere possunt hanc traditionem esse certam, illam incertam. Vtraque enim est certissima; quippe non solum testimonio, sed & moribus Ecclesiæ omnium seculorum comprobata. Semper enim in Ecclesia ex traditione Apostolica Baptismus paruulorum fuit vsitatus; & Baptismi forma certis verbis prolata; & septem sacramenta, festa item, & cultus sanctorum, & alia permulta, ex traditione Apostolica profecta.

Consuetudines Ecclesiæ omnes certæ.

Quanquam, si velit Zaborouius Ministros ex solis Scripturis probare debere suam doctrinam esse diuinam, fallitur. Nisi enim ex traditione & testimonio Ecclesiæ constet Scripturæ hunc & non alium esse legitimum sensum, nunquam priuata opinione cuiusquam eò peruenietur, vt animus conquiescat, & sit omninò certus: cùm priuata de Scripturis opinio non vna sit, sed pro ingeniorum varietate varia.

Ministri veri ex miraculis probari non possunt.

Et res

Et res ipsa loquitur omnes hæreticos priuatis hisce Scripturæ interpretationibus nunquam finem controuersiarum facere, sed digladiari quotidie, & suas ad inuicem interpretationes damnare, quantumuis æquè hæ ac illæ ab ipsis ex Scripturis eliciantur: sæpe etiam suas priores interpretationes reuocant, & corrigunt, & nunquam ad agnitionem veritatis perueniunt.

Frustra etiam metuit, si Ministris absolutè credatur in omnibus, latissimum aperiri campum nobis seducendis, & compendiariam ad brutam obedientiam viam. Neq; enim absolutè in omnibus credendum esse Ministris dicimus; sed in ijs duntaxat, in quibus Apostolicæ doctrinæ testimonium ex traditione certissima Ecclesiæ proferunt. ad hoc enim missi sunt, vt Apostolicam doctrinam, perpetuo omnium seculorum & Ecclesiæ vsu comprobatam prædicent. Porrò hic non est nobis seducendis campus, sed nimiam in nostris opinionibus licentiam coërcendi, & in ordinem redigendi: vt quod ad Apostolicam doctrinam certò referri non possit, non admittatur, nec pro articulo Fidei habeatur: quales sunt quàm plurimæ Euangelicorum opiniones, quas ex Scripturis se elicere opinionis suæ dementati iudicio credunt contra totius antiquitatis & omnium seculorum fidem.

Non in omnibus ijs habenda fides.

Neq; etiam censeri debet bruta omninò & asinina vt ipse loquitur, sed sapientissima & Christiano homine digna obedientia, si fideles Ministris, quos à Deo missos, & diuino munitos testimonio cognouerint, absolutè obediant, & subiugent (vt monet Paulus) intellectum in obsequium Fidei. Brutum enim propriè id dicitur, quod sine ratione est. At cùm fideles Ministris à Deo missis credũt, non sine ratione, sed cum summa ratione credunt, ob Apostolicæ doctrinæ omnium seculorum testimonio comprobatæ auctoritatem, etiamsi discursus circa Scripturas facere nec sciant, nec velint. Brutum potiùs, & contra omnem rationem est, priuatam opinionem Fidei & testificationi omnium Sanctissimorum & doctissimorum ex omni antiquitate Patrum anteferre; & Fidem ac salutem suam in tam fragili fundamẽto collocare, quale est priuatum cuiusque iudicium.

Credulitas orthodoxorũ sapientissima

Ex verbo, inquit, Dei edocti sumus nos conditionaliter debere iudicio Ministrorum acquiescere. At in Synagogis Euangelicis verbũ Dei Caluinisticum tales conditiones docet. Nos in verbo Dei vero talem conditionem non legimus, sed absolutè iubemur obedire Ecclesiæ Ministris, quos constat esse à Deo missos, & diuino testimonio munitos:

& sine exceptione vlla.

nitos. *Qui vos audit me audit.* & ; *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* & verbum Ministrorum non vt verbum hominum, sed vt verè est verbum Dei iubemur accipere. Nam quod *Deutor: 17. 10.* dicitur ; *Facies quodcunq; dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius:* illa particula *Iuxta legem eius* non conditioné denotat, sed qualis doctrina futura sit eorum qui præsunt loco Domini exponit, vt eis intrepidè & securè obediamus. quia nimirum certò secundùm legem Dei sunt nos docturi.

Probãdos spiritus si ex Deo sunt, nec omni spiritui credendum esse Scriptura testatur. At non ostendit hanc probationem fieri debere more Euangelico ex Scripturis priuata opinione expositis. *Scriptura* enim *propria interpretatione non fit*, vt docuit Petrus. Longè certior & securior est illa probatio, si spiritus priuati cum doctrina, quæ omnium seculorum testimonio habita est Apostolica, conferantur. Vnde etiam fiet, vt sit *rationabile obsequium nostrum*, quod Paulus monet *Rom: 12 1.* quid enim magis rationabile, quam toti antiquitati, seu omnibus Sanctissimis & doctissimis Patribus de doctrina Apostolica testantibus fidem habere? *Probatio ministerij non est ex oraculis propria opinatione expositis.*

Tandem Zaborouius ita argumentatur ; Si Ministri in doctrina errare non possunt, omnia eorum dicta & scripta erunt canonicæ auctoritatis. Non sequitur, Zaboroui, esse canonicæ auctoritatis, sed solum fundari in canonica auctoritate. Neque enim si Prædicatores ea doceant, quæ manifeste in Scripturis continentur, sequitur eorum omnia & singula verba esse canonicæ auctoritatis; sed solum fundari in canonica auctoritate ; & esse de ijs rebus, quæ sunt canonicæ auctoritatis. Etenim vt alicuius dicta sint canonicæ auctoritatis, non satis est quod sint de ijs quæ sunt canonicæ auctoritatis ; sed etiam requiritur vt omnia & singula eius verba à Spiritu sancto siue dictante siue assistente proficiscantur ; ita vt non solùm ex rebus dictis, sed etiam ex dicente, qui ex peculiari assistentia Spiritus sancti dicat, quæ dicit, habeant canonicam auctoritatem. Porrò qui legitimè missi sunt, ea quidem dicunt quæ in auctoritate canonica fundantur, quæq; vel ab Apostolis tradita, vel ab Ecclesia cui assistit Spiritus sanctus definita aut declarata sunt: tamen quia ea suis non Spiritus sancti verbis, hoc est immediatè a Spiritu sancto profectis dicunt, dicta eorum non sunt canonicæ auctoritatis, licèt in canonica auctoritate fundentur. *Ministrorum dicta nõ sunt omnia canonica.*

Cum verò addit ; Si Concilium nisi approbetur à Papa ; quin etiam si ipse Papa Concilium approbans errare potest : sequitur reliquos ordinarios errare posse. Inprimis falsum assumit, Concilium in ijs docendis, quæ ex Apostolica traditione ab Ecclesia recepta aut definita sunt, errare posse. In *Concilia non errant in doctrina ab Apostolis tradita.*

ijs enim nec Concilium, nec vllum particulare Prædicatorem errare posse, ex dictis manifestum est; idq; solum hic vrgemus. Nam in alijs rebus quæ ex traditione Apostolica certa non habentur, nec ab Ecclesia vniuersa recepta sunt, posse errare Concilia sine approbatione Papæ, non diffitemur. quia tunc sua, non ea, ad quæ prædicanda missi sunt, prædicant. Si tamen Concilia fuerint à Papa approbata, nequaquam in vlla re errare possunt. cùm ea approbatio sit approbatio Spiritus sancti, Ecclesiæ & capiti ipsius assistentis, & declarantis ac definientis omnem, de qua dubium esse potest, veritatem iuxta Christi promissa. Deinde iterum falsum assumit cùm ait Papam Concilium approbantem errare posse. Non enim de Papa vt est priuata persona loquitur, sed vt est approbans concilium, & publicum in Ecclesia officium gerit. quo modo nec in approbando concilio errare, nec aliquid quod falsum sit Ecclesiam docere potest. Est enim Christi priuilegio petra Ecclesiæ firmissima, aduersus quam portæ inferi præualere non possunt. Et non solùm in errorem labi non potest, sed omnem ab Ecclesia errorem propulsat, propulsauitq; semper. Omnes enim hæreses, quotquot in Ecclesia fuerunt à Papa reprobatæ, & condemnatæ sunt.

multò minus Papa.

CAPVT III.

Luterum & Caluinum à Deo missos non esse rectè à Catholicis probari.

CAtholicorum commune argumentum est, quo Luterum & Caluinum à Deo missos non esse, ac proinde pseudoprophetas & pseudoapostolos esse hac ratione manifestissimè demonstrant. Qui enim à Deo mittuntur, ij vel ordinariè, vel extraordinariè mittuntur: ordinariè à legitimis Ecclesiæ Ministris: extraordinariè verò ab ipso Deo: prior illa dicitur missio à Deo mediata quia per homines; posterior immediata quia à solo Deo. At Luterus & Caluinus ad docendum Euangelium, neq; ordinariè neq; extraordinariè sunt missi. Non igitur vllo modo sunt à Deo missi. Si enim dicat Euangelici esse se ordinariè missos: dicant à quibus ordinarijs sunt missi, cùm omnibus ordinarijs restiterint: & contra doctrinam omnium qui tunc erant ordinariorum prædicauerint. Sin extraordinariè; producant miracula, vel aliud diuinum testimonium; non enim in re grauissima, quæ salutem omnium concernit, credi cuiq; absq; testimonio fas est.

Huius argumenti maiorem propositionem insufficientiæ accusat Zaborouius

boroüius. deest enim, inquit, tertiũ membrum. nempe cùm aliqui partim ordinariè partim extraordinariè mittuntur: cuius specimen haberi ait in Ioanne Baptista, qui ex parte fuit ordinarius, quia Leuites natione; ex parte extraordinarius, quia ab ipsis se separauit in deserto, & contra ipsos docuit, vocans eos genimina viperarum *Matth* 3. 7. At fallitur Zaborouius. Nam missionis genera distincta sunt tantùm duo, vt Luterus etiam, & Caluinus fatentur: tertium verò illud genus à Zaborouio additum, non est ab illis duobus distinctum cum ex illis duobus conflетur, & accidentaliter tantùm non essentialiter ab illis differat. vitium verò diuisionis esse Logici docent, talia membra assignare, quorum vnum in altero contineatur essentialiter. Deinde illud tertium membrum ad subdiuisioné non ad ipsam diuisioné pertinet: nam missio ordinaria subdiuiditur, in ordinariam tantùm, & in eam quæ est extraordinariæ coniuncta: similiter extraordinaria subdiuiditur in eam quæ est coniuncta ordinariæ, & eam quæ non est coniuncta.

Missio non est nisi aut ordinaria aut extraordinaria

At non solùm contra regulas Logicas Zaborouius: sed multò magis in assignanda suæ opinionis ratione. Ioannem enim Baptistam dum ait esse ordinariè missum, si id intelligat de missione ad prædicandum Christum venturum, falsum quiddam & incredibile ait. Quis enim credet, capitales Christi hostes Annam & Caipham, qui tum erant ordinarij, & Principes Sacerdotum, quando ea missio Ioanni obtigit. (*Luc*: 3. 2.) Ioannem misisse ad Christi aduentum prædicandum? Si verò de alia quapiam missione ad officium Leuitarum pertinente intelligat, vt indicant illa verba [quia Leuites natione erat] non ad rem loquitur. Nam Leuitica missio ad munus Leuiticum obeundum nihil habet cum ea missione, quæ erat ad Christi aduentum prædicandum, commune. Non enim Leuitarum officium erat Christũ venturum prædicare.

Ad Christum prædicadum Ioannes non missus ordenariè.

1.

2.

Ait deinde non minori ineptia: Luterum, Zuinglium, Bucerum, Oecolampadium fuisse partim ordinariè partim extraordinariè missos. Ordinariè, quia in Ecclesia Romana in qua aliquis ordo fuit ordinati sunt. Extraordinariè, quia singulari Spiritus sancti afflatu impulsi tam arduum reformationis negotium frendente mundo agresіi sunt.

Luter. Calu. &c. no missi ordinariè.

Verum multa hic ineptè dicuntur. Ineptum est & inopinatum dicere, homines Hæreticos & ab Ecclesia excommunicatos, ad docendum ab eadé Ecclesia missos esse. Nusquam enim auditum est Ecclesiam eos, quos pro Hæreticis habet, ad prædicandum Euangelium vnquam misisse; & ijs, quos per excommunicationem omni munere Ecclesiastico, & communione cum cæteris fidelibus priuat, munus longè præstantissimum Euangelium prædicandi commisisse. Similiter ineptum est missionem ad docendum Euangelium dedu-

1.

2 um deducere ex ordinatione. In ordinatione enim Catholica datur potestas consecrandi & offerendi corpus & sanguinem Domini pro viuis atque defunctis, potestas item remittendi & retinendi peccata: non vero potestas prædicandi Euangelium. vnde non quicunque rite ordinati sunt, eo ipso ad prædicandum Dei verbum missi censentur; sed peculiari missione indigent, vt eis peculiaris potestas verbum Dei docendi demandetur, sine qua pro nō missis habentur. neque hoc nisi ignorantissimus rerum Ecclesiasticarum negare potest.

3 Deinde esto, ea potestas verbi Dei prædicandi in ordinatione conferatur: ea tamen non esset ad prædicandum verbum Dei secundùm doctrinam Luteranam, Caluinianam, Arianam; sed secundùm doctrinam Catholicam ab Apostolis ad nostra vsque tempora omnium seculorum testimonijs deriuatam. quinimo in missione Catholica hoc præcipuè iniungitur, vt hæreticæ omnes doctrinæ euellantur, & verbo Dei profligentur.

4 Ineptum & illud est: ordinem Luteranum & Caluinisticum, ex ordine qui est in Ecclesia Catholica probare. sunt enim hi ordines inter se contrarij. ordo enim Catholicus spectat ad ea munera & functiones, quas Luterani & Caluinistæ cane peius & angue execrantur: quales sunt consecrare & offerre corpus Christi in altari, & iudicialiter remittere peccata. ordo verò Luteranus & Caluinisticus ad eas functiones pertinet, quas Ecclesia Catholica detestatur & condemnat: qualis est Scripturarum sensu priuato & hæretico interpretatio, & Sacramentorum falso & Luterano ritu administratio.

Quàm igitur ineptum est ex ordine Catholico Luteranum ordinem deducere, cùm potius hunc ille penitus destruat? Quanquam cum Zaborouius verum ordinem in Ecclesia Catholica agnoscit veritate cogente, eo ipso ordinem in suis cœtibus nullum fuisse, sed mendicatò ab Ecclesia Catholica seu Romana acceptum fateri cogitur.

neque extra ordinariè. Iam verò vt Luterum, & alios, extraordinariè quoque missos ostendat: ait eos singulari Spiritus sancti afflatu impulsos ad reformationis negotium aggrediendum fuisse.

1 Quid insulsius? Vnde enim hunc singularem Spiritus sancti afflatum probat? aut quod de cœlo testimonium profert? rem enim tantam sine diuino testimonio credere, nefas est, & periculo plenissimum. Sic enim cuiuis liceret suos errores afflatu Sancti Spiritus colorare, & alios in fraudem inducere. Et Sanctus Ioannes nos admonet, ne omni Spiritui credamus, sed probemus Spiritus si ex Deo sunt: probare autem aliter non possumus, nisi ex diuino testimonio: *quis enim cognouit sensum Domini, nisi Deus ipse reuelet? ea enim quæ in Deo sunt, nullus scit nisi spiritus eius.* Et quemadmodum, si

quis veniat dicens se à Rege missum ad aliqua conficienda & constituenda, nemo tam stultus inuenietur, qui nudis eius verbis fidem adhibeat; sed testimonij causa literas patentes exposcet, sine quibus nullam dicenti habebit fidem: quantò magis in rebus ad Fidem & salutem spectantibus, ea prudentia vti oportet, ne cuiquam, iactanti se Spiritu Dei afflatum, si diuino testimonio credamus. Hac enim de causa passim Deus conqueritur de falsis prophetis, qui se Spiritu Dei impulsos, & à Deo missos mendaciter iactant in perniciem & ruinam multorum. quibus etiam plurima & grauissima comminatur mala, apud Ieremiam *cap: 29. v. 27. 31.* Quocirca cum neq; Scriptura, neque ratio permittat, vt cuiuis dicenti se Spiritu Dei impulsum, absq; alio Dei testimonio fidem habeamus; neq; Lutero seu Zaborouio pro Lutero idem dicenti æquum est fidem adhibere. nam omnes Hæretici, æquè ac Luterus, se Spiritu Dei agi iactitant: quia tamen nullum pro se diuinum testimonium proferunt, nullam fidem apud nos merentur. alioqui si Lutero propter nuda ipsius verba credendum esset, omnibus Hæreticis æquè credendum esset.

At ne Christus quidem proprio suo de seipso testimonio credi voluit: *Si*, inquit, *ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.* Quomodo igitur Luteri testimonium de seipso verum erit? nunquid maior Christo Luterus censeri debet? aut quod Christi auctoritas non euicit, cuius testimonium de seipso non poterat non esse verissimum, Luteri euincet auctoritas? 2.

Quodsi Zaborouius putat Luterum, eò quòd tam arduum reformationis negotium fremente mundo aggressus est (sic enim loquitur) non potuisse Spiritu sancto non afflari: sciat hoc idem quosuis Hæreticos dicere posse; & eodem modo, quo Euangelici, probare se esse mundi reformatores, & à Spiritu sancto id munus perficiendum accepisse. Quemadmodum igitur ipsis non credunt Euangelici, neq; credere debent, quantumuis Scripturas crepent; ita nec Euangelicis idem crepantibus alij credere tenentur. Cũ enim res ista sit valde controuersa & periculi plena, quænam sit censenda vera reformatio Ecclesiæ, & quilibet ad suam opinionem Scripturas trahat: nunquam ea controuersia finietur, nisi adsit diuinum testimonium, quod litem istam dirimat. 3.

Diuinum testimoniũ Lutero, & al. similibus necessarium.

Et vt directè tandem rem istam exponam: Dico propter quatuor causas, Luterum in hac quam prætendit reformatione diuino testimonio eguisse. Primùm, quòd valdè incertum & controuersum est, an ista quam moliebatur Religionis reformatio, esset vera & legitima reformatio, an fucus tantùm reformationis, & secundùm ipsius tantum opinionem reformatio, secundùm autem veritatem abominanda deformatio. Nam licèt hoc dicat

1. Luterus, mundus tamen totus reclamat: reclamant & ipſi Euangelici, Zuingliani nimirum & Caluiniſtæ, qui Luterum non Spiritu ſancto afflatum, ſed diabolis plenum, & hæreſiarcham ipſo furioſo dæmone deteriorem non ſemel faciunt: vt patet ex epiſtola Miniſtrorum Zuinglianorum ad Luterum. Porro Iuriſperiti docent ex re dubia & controuerſa nulli ius acquiri, ſed probare priùs debet ius ſuum certò & manifeſtè, vt illi actio in rem aliquam cōcedatur. quod quia non fecit Luterus, nullum quoq; ius ad reformandam Religionem habuit. Probare quidem contendit ex Scripturis ſuam reformationem: tamen cum Scripturas ex propria opinione contra totius antiquitatis fidem interpretatur, probat ſibi, non nobis. nos enim non ſolùm probationes ipſius non admittimus, ſed ex Scripturis, & ex totius antiquitatis teſtimonio probamus ipſius reformationem eſſe veriſſimam deformationem. ea enim, quæ tanquam ſingulariſſima Religionis decora omnibus ſeculis in Eccleſia ſunt habita, ſua iſta reformatione auferre vult. nempe Miſſam, Cōfeſſionem Sacramentalem, ſeptem Sacramenta, Sanctorum inuocationem, Imaginum vſum, Orationem pro defunctis, & alia plurima. Niſi igitur diuinum teſtimonium pro ſua reformatione producat, teſtimonium ipſius pro ſeipſo non eſt verum, & pro nullo habendum ex Chriſti ipſius decreto. ac proinde tanquam ex re non probata ſed cōtrouerſa nullum ius ad reformandum potuit habere.

Euangelici non eſſent cōtenti hac probatione.

Et ſanè ſi Arianus quiſpiam ad Euangelicos veniret Scripturis ſimiliter vt Luterus inſtructus, & reformare eos vellet, vt Chriſtum eſſe verum & naturalem Deum abnegent: dic Zaboroui, eſſetiſnè tam ſtulti, vt talem reformationem admitteretis, qua ad abiurandum verum Deum cogeremini? Reclamaretis profectò pleno ore, & reformatorem illum non Spiritu ſancto ſed dæmone afflatum diceretis. cur ergo plus veſtro reformatori Lutero concedendum eſt, qui ſolis Scripturis ſua opinione expoſitis, ſuam reformationem probauit? quod itidem Ariani & omnes Hæretici faciunt. eſtq; per ſe incertiſſimum & fallaciſſimum id probandi genus, quippe omnibus Hæreticis commune. Si certum eſſet ex aliqua auctoritate irrefragabilli Scripturas illo modo intelligendas eſſe, poſſet & deberet ea probatio valere plurimum: at cum nullam talem auctoritatem pro ſe proferre poſſit Luterus, probatio ipſius nulla eſt probatio. Quod ita verum eſt, vt ne Chriſtus quidé ipſe, qui verum ſenſum Scripturarum omnino tenuit, ea probatione priùs voluerit vti, quàm miraculis & teſtimonijs diuinis ſibi auctoritatem conciliaſſet: quantumuis enim vera locutus fuiſſet, tamen creditum illi non fuiſſet, niſi diuinum pro ſe teſtimonium habuiſſet. Tantùm valet ad Scripturæ interpretationem, vt ei credi debeat, diuinum teſtimonium.

Altera

Altera causa est, propter quam Luterus in hoc negotio reformationis diuino testimonio eguit: quòd eam reformationem, non suo priuato sed Dei ipsius nomine, & ex Spiritus sancti afflatu se facere iactaret; vti etiam Zaborouius asseruit eum fuisse à Deo extraordinariè & immediatè missum. Omnis autem ratio postulat, vt qui nomine alicuius negotium aliquod tractare aggreditur, proferat literas patentes, quibus testificetur id sibi negotium tractandum ab alio commissum esse: id ni faciat nulla ei fides adhibebitur, nec ad vllos tractatus admittetur. Cùm igitur nullas tales patentes literas à Deo habuerit Luterus, nullum miraculum, nullum de cœlo testimonium; meritò nulla ei fides adhiberi debuit; nec ad reformationem quasi Dei nomine faciendam admitti.

2 *quia Luter Dei nomine venisse se dicebat.*

Accedit etiam tertia causa: quòd ea reformatio seditiosè à Lutero instituta sit. Nam tota eò spectabat, vt subditi contra legitimos suos Superiores consurgerent, eisq; obedientiam denegarent: vt Episcopi & Pastores omni suo iure spoliarentur: vt bona & fundationes antiquissimæ pro Romanæ Ecclesiæ Sacerdotibus factæ à suis legitimis possessoribus ablatæ in profanos Ministros conuerterentur: vt templa & altaria, in quibus Deo quotidie sacrificabatur, euerterentur, desolarentur, & in Synagogas Satanæ commutarentur. denique vt Catholicæ Religionis vsus omnis è mundo tolleretur; & eius obseruatores pœnis, carceribus, cruciatibus exquisitis, morte deniq; conficerentur. Perficiunt id egregiè Luterani & Caluinistæ, vbi rerũ potiuntur, vti in Belgio, Hollandia, Anglia, Gallia, Germania videre est; vbi talibus crudelitatibus contra Catholicos sæuitum est, quales neq; Nero, neq; Diocletianus reperit. Euangelicorum vox illa est; EVANGELIVM SITIRE SANGVINEM. Quis igitur seditiosum hoc & sanguinarium Euangelium à Deo inspiratum credere queat, & eius prædicatores diuino, & non potiùs cacodæmonis afflatu, ad illud prædicandum accessisse? Non enim Deus est dissensionis, sed pacis & charitatis: dæmon autem *homicida fuit ab initio*, Christo teste. Certè si quis hoc modo ad reformandam Rempublicam accederet, vt omnia iura antiquissima abrogata cuperet, aduersus legitimos Magistratus rebellionem excitaret, subditos à debita obedientia suorum dominorum auerteret, & ipsam Reipub: formam immutare vellet: nonnè is manifestus turbator, & tanquam Reipub: hostis ab omnibus haberetur? & pro præmio, non gratiam, sed patibulum & crucem malam reportaret?

3 *quia seditiose egit.*

Friuola verò est illa responsio; Luterum Antichristi regnum euertisse, atq; adeo in opere sancto versatum fuisse. nam neq; Catholicam Ecclesiam esse regnum Antichristi vnquam probare potuerunt Euangelici, nisi impudentissime

Luterani nũquam probârunt Ecclesiã

Romanam esse regnum Antichristi: neq; armis illud expugnari debet.

impudentissimè calumniando: neq; regnum Antichristi armis & crudelitate, sed mansuetudine potiùs & diuini verbi virtute more Apostolico euerti debuit. denique tota vis diaboli nunquam efficiet, vt Ecclesia Catholica illis vnquam hæresibus opprimi & extingui possit Christi promissis freta; qui aduersus eam portas inferi nunquam præualituras esse pollicitus est. quod reipsa hactenus impletum est. Non enim potuerunt eam opprimere innumeræ hæreses per hos mille sexcentos annos: quin potiùs eas omnes ipsa oppressit; & de omnibus gloriose triumphauit. multò minus id poterit hæresis Luterana & Caluiniana, quæ ipsa potiùs in mundo in dies magis ac magis extinguitur; Ecclesia verò Catholica augetur nouis regnis & prouincijs, etiam in orbe nouo.

Luter sanguinarius.

Neque verò dicere quis potest Luteri sectatores sæuisse in Catholicos omni crudelitatis genere; ipsum tamen Luterum nihil tale docuisse aut admisisse. Proferam ex scriptis ipsius aliqua, quæ sanguinolentum hunc spiritum erga Catholicos manifestè testantur. Nam *tomo 1. in lib: contra Silvestrum Prieratem*, sic scribit; *Si fures furca, latrones gladio, hæreticos igne tollimus: cur non magis hos Magistratus perditionis, hos Cardinales, hos Papas, & totam istam Romanæ Sodomæ colluuiem, quæ Ecclesiam Dei sine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, & in eorum sanguine manus nostras lauamus?* Quid clarius? Certè si Apostolos ignem de cœlo descendere cupientes ad absumendos illos malos homines Christus sic increpuit, vt diceret: *Nescitis cuius spiritus sitis:* quid putamus diceret in Luterum, arma, sanguinem, & excidium aduersus legitimos Magistratus spirantem? Et verò tanto odio in Papam, Imperatorem, & Principes Catholicos flagrabat, eorúmqué interitum perpetuò cupiebat, vt prohibere ausus fuerit, ne contra Turcam quisquam pugnaret aut contribueret, donec isti omnes per Turcam expugnarentur & interirent. Ita enim scribit *tomo 2. in assertione articuli sui 34 Præliari aduersus Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.* & infra; *Qui habet aures audiendi audiat, & à bello Turcico abstineat, donec Papæ nomen sub cœlo valet.* & *in admonitione contra duo edicta Cæsarea* sic scribit; *Ne prorsus obsequentes simus* (Principibus) *pugnando aut contribuendo aliquid contra Turcam, quandoquidem Turca decuplo prudentior & probior est, quàm sint nostri Principes.* Denique in eodem *tomo 2. in lib: aduersus falsò nominatum ordinem Ecclesiasticum*, ita loquitur; *Obijcient*, inquit, *periculum esse, ne excitetur tumultus contra Episcopos & Principes Ecclesiasticos. En respondeo: Scilicet ideo negligetur verbum Dei, & peribit totus populus.* Ita nebulo iste nesciuit alium modum prædicandi verbi Dei & saluandi homines, quàm armis, tumultibus, & sanguine Principum Christianorum.

Ibi qué

Ibi qué mox legit ſuum decretum contra omnes Epiſcopos & Principes Catholicos, nempe vt omnes qui rem, honorem, ſanguinem, vitam impendunt ad eos euertendos, ſint filij Dei habendi: qui verò eis obediunt & ſubditi ſunt, hi Satanæ miniſtri cenſeantur.

Ex his itaque perſpicuum eſt, Luteri ſectatores magiſtri ſui ſpiritu, & ſeditiones contra legitimos Magiſtratus mouiſſe, & tantùm Chriſtiani ſanguinis effudiſſe. quem ſpiritum cùm Chriſtus non eſſe ſuum luculenter teſtatus ſit. *Luc: 9. 55.* quis non videt, Luteri Euangelio non eſſe credendum, niſi diuinum teſtimonium ſuæ miſſionis adferat?

At opponet fortè Zaborouius Catholicos quoq; ire in Hæreticos, eos qué igni tradere comburendos. Verùm magna eſt in hoc inter Luterum & Catholicos differentia: quia quod Luterus nullo iure fecit, hoc Catholici iure optimo faciunt. faciunt enim vt legitimus Magiſtratus facit: illi verò vt ſeditioſi faciunt & rebelles. Quemadmodum enim, cùm Magiſtratus legitimi contra rebelles & ſceleratos procedunt, non faciunt id vt ſeditioſi, ſed vt veri iudices & vindices malorum, *non ſine cauſa gladium portantes Rom: 13. 4.* qui verò nulla legitima poteſtate ſanguinem fundunt; & tumultus excitant, ij inuaſores & ſeditioſi habentur: ita qui in Eccleſia nulla poteſtate legitima probata, niſi ſuo proprio teſtimonio ſanguinem fundunt, inuaſores & ſeditioſi haberi debent: cùm verò legitimus Magiſtratus rebelles & apoſtatas punit, iuſtiſſimè id facere cenſendus eſt.

Catholici iure multant hæreticos.

Quarta denique ratio eſt Chriſti ipſius doctrina. Is enim tales reformatores, qui veniunt ad nos in veſtitu ouium, intus autem ſunt lupi rapaces, tanquam pſeudoprophetas cauere multò ante præmonuit. Non enim eos cauere iuſſit, qui mittuntur, ſed qui veniunt: nam illi literas quaſi patentes ſuæ integritatis & doctrinæ miſſionem legitimam habent; hi verò nihil tale proferunt, meritò qué ſunt de mendacio ſuſpecti. Ait verò, illos venire in veſtitu ouium, hoc eſt honeſtam aliquam & in ſpeciem piam & ſanctam rationem prætendentes intrinſecus verò eſſe lupos rapaces: veniunt enim vt oues; exeunt vt lupi. An non tribus his notis Luterum & eius aſſeclas deſignare voluit? Luterus enim ſe eſſe à Deo miſſum nullis vnquam ſolidis rationibus probare potuit, niſi à proprio ſuo teſtimonio ductis: venit igitur, non miſſus eſt. venit autem in veſtitu ouium, ſub ſpecie libertatis Euangelicæ vindicandæ, puri puti verbi Dei prædicandi. Verùm ſub hac ſpecie quæ mala non induxit? Nam libertatem Euágelicam, non in ſeruitute peccati amouenda, vti Scriptura docet, ſed in liberatione ab obedientia Superiorum legitimorum, ab obſeruatione præceptorum Eccleſiæ, à ieiuniorum & aliarum carnis afflictionum obligatione, à debito confitendi peccata, & ſimilibus conſti- 4.

Luter miſſũ ſe à Deo nũquam probauit.

bus constituit. quæ libertas quid aliud est quàm mera licentia quiduis impunè faciendi? Nam sicut in Repub: esset summa impunitas & licentia, si pœnæ tantùm fori diuini & alterius vitæ delinquentibus proponerentur; nec vlla ab hominibus irrogari posset: ita & in Ecclesia si nulla auctoritas esset homines ad officium cogendi, & pœnis coërcendi; summa impunitas, & ex ea dissolutio ac effrenis licentia sequeretur. Atque ita sub specie libertatis veram libertatem, quæ in immunitate a peccato cõsistit, Luterus abstulit.

licentiā scelerū induxit.

Denique licet Luterus veniens ouem referret, & nihil turbulentum aut crudele prima facie exhiberet; tamen postquam ingressus auctoritatem apud suos obtinuit, tam ferocem se lupum exhibuit, vt in sanguine Catholicorum manus non semel lauerit; aliosqué ad idem feritatis lupinæ genus excitauerit, vt ex ipsius verbis paulò antè docuimus.

Exemplum parentis imitantur filij. Cùm enim Luterani ad Catholicos veniunt, & sub Catholicorum sunt potestate; vestitum ouium præferunt: pacem pollicentur: confæderationem in Religione deprecantur: fratres & amicos fidelissimos se futuros spondent: at cum semel Catholicos suæ potestati subiecerunt, dentes ostendunt feritate lupina; in templa Catholica inuolant: bona Deo & Catholicis vsibus dicata deuorant. Parochos & Sacerdotes eijciunt: vsu Religionis Catholicæ interdicunt: & repugnantes carceribus premunt: bonis spoliant: exilio mulctant: morte deniq; tollunt è viuis. Vt verò fucum faciant, aiunt se non prætextu Religionis ista facere, sed ob inobedientiam mandatis Principum: quæ mandata cùm sine violatione Fidei Catholicæ impleri non possint, eodem res recidit, ac si directè ob vsum Religionis Catholicæ id facerent. Cùm igitur in Luterum ea omnia quadrent, quæ in pseudoprophetas mandato Christi cauendos conueniunt: meritò à Lutero testimonium diuinę missionis requirimus, ne fortè ex eorum numero sit, quos fugiendos Dominus mandauit.

Luteri posteri lupi ouilla pelle tecti.

CAPVT IV.

Eos, qui ad reformandam Ecclesiam extraordinariè mittuntur, miraculis, vel alio diuino testimonio indigere immeritò Euangelici negant.

Cvm non possint Euangelici suæ missionis auctorem Deum ostendere, omnibus ingenij viribus persuadere nobis conantur rem prorsus incredibilem

dibilem. nempe eos qui ad reformandam Ecclesiam mittuntur, nec miraculis, nec aliquo diuino testimonio egere. Et quidem certum est, si ij qui reformant sunt ordinarij Pastores, quibus ex officio ordinario talis reformatio secundùm modum sibi concessæ potestatis incumbit, eos nouis miraculis non egere: quia sunt ordinarij Pastores & missionem suam legitimam eorũ à quibus missi sunt testimonio comprobare possunt: & ad eos qui diuinitus missi sunt & miracula ediderunt, referre. At si extraordinaria missio sit, hoc est immediate ab ipso Deo, non ab hominibus, dicimus necessariò requiri vel miracula noua, vel aliud quodpiam singulare diuinum testimonium, propter quatuor causas in capite præcedenti allatas. alioqui sine diuino testimonio nullo modo constare poterit missionem illam à Deo esse. vnde tota auctoritas missionis illius concidet.

Plures, inquit Zaborouius, dare possumus extra ordinem missos, qui nulla miracula ediderunt. vti in Ezechiele, Ieremia, Osea, Amos, Sophonia, Abdia, Ioël, Malachia, & Ioanne Baptista manifestum est, qui nulla miracula ediderunt.

At non aduertit me dicere, vel miracula, vel aliud diuinum testimonium requiri. Quos igitur mittit immediatè Deus: aut illis potestatem miracula patrandi confert, vt in Moyse & Apostolis perspicuum est: aut alio signo visibili eos esse à se missos demonstrat, vt in missione Prophetarum factitatum est. Multis enim modis Prophetæ à Deo mittebantur. Aliqui enim à Prophetis à Deo missis oleo vngebantur & eis diuina voluntas declarabatur: vt factum est cum Eliseo, qui ex præcepto Dei ab Elia in Prophetam vnctus est, ex eodem cornu olei quo Reges vngebantur: *3. Regũ: 19. 16.* Alij mittebantur insiliente in eos Spiritu Domini, & eos extra se faciente, & excitante ad vaticinandũ: tales fuerunt illi 70. viri de quibus *Num. 11.* dicitur: *Cumque requieuisset in eis Spiritus, prophetauerunt:* huiusmodi etiam erat grex ille Prophetarum, ad quos Saul erat à Samuele missus, vt in eum quoque insiliret Spiritus Domini, & prophetaret *1. Regum. 10.* Quod etiam contigit lictoribus, quos miserat Saul ad capiendum Dauidẽ in Naioth Ramatha. *Cùm enim vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium, factus est etiam Spiritus Domini super illos, & prophetare cœperunt etiam ipsi. 1. Reg: 19.* Saul item quærendo Dauid hoc modo prophetauit coram Samuele spoliando se vestimentis suis, & canendo nudus tota die illa ac nocte. vnde & exiuit prouerbium, *Nũ & Saul inter prophetas?* Hac etiam ratione Dauid legimus prophetasse, cùm saltans & ludens deducebat Arcam Domini, & cantores qui psallebant cum illo erãt prophetantes *2. Reg: 6. & 1 Paralip. 15. & 16.* Denique & Apostoli die Pentecostes lapso visibiliter in eos Spiritu sancto hac ratione *loquebantur*

Varia testimonia Dei missionis extraordinariæ

2.

3.

varijs linguis magnalia Dei, ita vt quasi extra se facti, velut ebrij musto viderentur.

4. Alij porrò mittebantur Deo solùm sanctitatem illorum demonstrante. Quorum enim sanctitas diuinitus nobis demonstratur, ab eis falsitas omnis & erroris suspicio abesse debet. Quomodo Ioannis Baptistæ sanctitatem Deus ab ipsa eius natiuitate declarauit, ita vt stuperent omnes dicentes; *Quis putas puer iste erit? quia manus Domini erat cum illo.*

His igitur & similibus modis, Deus ijs quos mittebat testimonium dabat visibile. Cùm enim illa missio per se inuisibilis esset, debuit signo aliquo visibili patere: alioqui constare non poterat, an esset à Deo. frustra qué Deus in Scripturis conquestus fuisset de ijs qui falsos Prophetas sequebantur, si nullum erat signum quo dignosci possent, qui à Deo missi essent qui verò non.

Prophetas omnes missos cum testimonio manifesto.

Quocirca etsi Prophetæ illi, quos adducit Zaborouius, non legantur vlla miracula edidisse: quia tamen more communi Prophetarum fuerunt à Deo missi, visibili aliqua ratione Deo ipsis testificante, ideo testimonium suæ missionis à Deo habuerunt. Et quamuis in particulari de ijs non legatur, quo ritu à Deo sint missi (non enim omnia quæ facta sunt Scriptura commemorat) tamen satis est, quòd eos & Prophetas fuisse à Deo missos, & pro talibus à populo receptos, Scriptura testatur. Nam eo ipso intelligitur more communi Prophetarum, hoc est, signo aliquo sensibili fuisse à Deo missos. nisi enim visibili aliqua ratione id populo constaret, fieri non poterat, vt populus prudenter crederet eos esse Prophetas à Deo missos.

Iam verò cùm ratione ex absurdo petita Zaborouius vrgeretur: quod nulla ratio permittit, vt in re Fidem & salutem concernente cuiuis fides adhibeatur dicenti se à Deo missum: alioqui Arianis quoque & quibusuis Hæreticis æquè credendum esset: ridiculè respondit; Non quæritur, inquit, quid dicant, sed quid verè dicant. Ariani enim dicunt, sed non probant ex dogmatum suorum veritate. Quid enim? nunquid hoc ipsum Luteranis ab Arianis obijci non potest, quòd dicant, & non probent? Nam sicut Luterani putant se probare Scripturis sua opinione expositis, ita idem putant & Ariani: ergo aut vtrisque probantibus æquè est credendum, aut neutris. Vnde enim constat Luteranis dogmata sua meliùs ex Scripturis probare quàm Arianos; aut veriùs Scripturas ab illis quàm ab istis exponi, nisi ex proprio de seipsis testimonio? Deinde, cùm probatio æquè est incerta ac id quod probatur, omnium consensu vitiosissima est eiusmodi probatio: non enim ignotum ex ignoto, sed ex noto probari debet: atqui Euangelici probant suam missionem ex dogmatum suorum veritate. quod æquè incertum ignotum qué est, ac id quod probandum proponitur: non igitur nisi vitiosissimè probant. Probant enim

Probatio æquê incerta Luteranorũ

dogmatum

dogmatum veritatem ex Scripturis sua opinione intellectis. atqui hæc probandi ratio non solùm incerta est, sed etiam fallax & periculosa: vnde enim constare potest secundùm vnius opinioné potiùs, quàm secundùm alterius, Scripturas exponendas esse; cùm humanæ opiniones & incertæ sint, & sæpe de eadem re contrariæ? cùm qué omnes Hæretici hoc probandi modo suas hæreses ex Scripturis confirment, omnium Hæreticorum quantumuis inter se pugnantium probatio esset admittenda: singulis enim sua probatio videtur vera. quare aut singulis credendum esset; aut ex tali probatione nunquam certitudo in qua animus conquiescat haberi poterit.

Adhæc satis ex Apostolo ostendimus, non ex prædicationis veritate quæ nobis incerta est, sed ex missione verum prædicatorem cognoscendum esse. *Quomodo* enim *prædicabunt nisi mittantur?* Priùs enim est mitti à Deo quàm prædicare. & ex illo hoc inferendum esse testatur Paulus. Alioqui si sine missione potest esse vera prædicatio, falsum erit quod Apostolus vrget; *Quomodo prædicabunt nisi mittantur.* Nam quod ait Zaborouius: In Ecclesia legitimè constituta missionem antecedere tempore prædicationem, attamen Ministerij legitimi animam esse veram prædicationem: id verum quidem est non posse à vero Ministerio abesse veram prædicationem: neque enim quisquam mittitur à Deo ad falsum prædicandum. Sed hanc veritatem prædicationis à nobis non posse cognosci nisi ex legitimæ missionis testimonio cum Paulo asserimus. Cùm verò ait Zaborouius; Si tu vel millies ordinatus (dicere debuit missus) esses, & falsa doceres, vtique pseudopropheta esses; impossibilia loquitur. Neque enim à Deo missus in ijs docendis ad quæ missus est, falsa docere potest: nam cùm falsa docet, ea docet ad quæ docenda se esse à Deo missum siue immediatè, siue mediatè, probare non potest. Si igitur ostédit se à Deo missum, in eo falsa docere non potest.

ex doctrinæ veritate, de qua non constat.

Missus à Deo non potest fallere in ijs, in quibus missus est.

Vrgetur verò Zaborouius alio quoque absurdo: quòd, si ex solis Scripturis de doctrinæ veritate fieri debeat iudicium, consequens sit, vt populo iudiciũ de vera & falsa Scripturæ interpretatione deferri debeat: quod est omnium errorum seminarium. quomodo enim rudis populus de rebus difficilimis, circa quas etiam doctissimorum ingenia digladiantur, certum facere iudicium potest? Ad id Zaborouius directè quod responderet non habebat; sed solùm ait Scripturam per Scripturam exponendam esse, obscuriora loca per illustriora. At hoc ipsum est quod quæritur an populus sit tanti iudicij, vt vel Scripturam per Scripturam, obscuram per clariorem interpretari certò possit: vel de Ministrorum expositione scripturam hoc modo interpretantium certò decernere. si enim hoc non possit; non poterit quoque certus esse ex Scripturis de veritate doctrinæ. si autem dicatur posse; id non solùm absque

Vulgo daretur de doctrinæ vertate iudicium absurdissimè.

quia hanc illud cognoscere nō potest.

 verisimi-

veriſimilitudine, ſed etiam cum maxima abſurditate tribui populo poteſt? *Scinditur* enim *incertum ſtudia in contraria vulgus*. & quod populus Arianus veriſsimum iudicat, hoc populus Luteranus falſum eſſe decernit.

Vultis, inquit Zaborouius, auditores veſtros ſine omni iudicio eſſe, quò faciliùs illis brutam & irrationalem obedientiam perſuadeatis. Falleris, Zaboroui. Nolumus enim populum ſine iudicio eſſe: ſed ſapientiſsimè iudicare, eam tantùm doctrinam ſequendam eſſe, quam eſſe Apoſtolicam ex Apoſtolorum traditione omnium ſeculorum teſtimonio clariſsimè conſtat. Neque brutam & irrationalem obedientiam ipſis perſuademus, quos volumus cum Paulo ſubiugare intellectum in obſequium Fidei: etiamſi nec id quod docetur ratione aſſequantur, neq; Scripturarum certam & exactam notitiam habeant. quæ eſt cœleſtis planè & rationalis obedientia nobis in Scripturis commendata. Quid enim rationabilius, quàm id, quod diuinum eſſe conſtiterit, ſine alia diſquiſitione ſequi? & obedire Deo eſt ſumma ratio & ſapientia: quam ſi Euangelici haberent multò ſapientiores eſſent, neq; tot erroribus in deuia ruerent.

Nulli conſtat antiquã doctrinam doceri ab Euangelicis.

Iam verò rationem illam Mornæi, qua oſtendit ab Euangelicis miracula exigenda non eſſe, quòd non nouam doctrinam inducant, ſed antiquam reſtaurent, valde probat Zaborouius. ſed immeritò. Nam hoc ipſum eſt in controuerſia, an Euangelici non nouam doctrinam inducant, ſed antiquam reſtaurent: vel potiùs antiquam corrumpant, & nouam introducant. Si enim certò conſtaret eos non inducere nouam doctrinam, ſed antiquam reuocare, proculdubio non eſſent ab eis noua miracula exigenda: conſtaret enim eam doctrinam prædicare, quæ multò antè fuiſſet miraculis & diuinis teſtimonijs comprobata. At cùm id non conſtet, imò conſtet contrarium, ex totius antiquitatis teſtimonio (cui enim de antiquitate doctrinæ, quàm ipſi antiquitati magis credendum eſt?) quis non videt nullum Euangelicos antiquæ doctrinæ teſtimonium habere, niſi à ſeipſis? quod teſtimonij genus ineptum & abſurdum eſt. Cedo enim, vbi doctrina Luterana vel Caluiniana, eo modo quo ab ipſis traditur, cum omnibus ſuis articulis per mille ſexcentos annos viſa eſt vel audita? quis auctor ex tota antiquitate proferri poteſt, qui eam vel docuerit totam, vel ſcriptis conſignatam ad poſteros tranſmiſerit? Habemus ſanè ex antiquitate aliquas hæreſes aliquibus temporibus extitiſſe, & pòſt interijſſe: at Luteranam & Caluinianam hæreſim, nulla vnquam ætas vidit, nulla vel tenuis memoria ipſam aliquando extitiſſe teſtatur: quomodo igitur antiqua doctrina cenſeri debet, de qua nulla in antiquitate memoria vel mentio? Quare cùm ex antiquitate de doctrinæ ſuæ antiquitate nullum teſtimonium adducere poſsint; ſolo proprio iudicio

conſtat verò nouam doceri.

dicio suam doctrinam antiquam esse testificantur. Nam quum aiunt se doctrinam antiquissimam ex Apostolicis scriptis docere: id non aliunde quàm ex sui cerebri opinione probant. Quæro enim, vnde ipsis constat scriptorũ Apostolicorum hunc esse proprium & germanum sensum, cum tota antiquitas contrarium ex scriptis Apostolicis senserit? Nihil aliud afferre possunt, nisi quòd sibi ita videatur Scriptura intelligenda. quod quid aliud est, quàm sui capitis testimonio probare, & in eo Fidei suę fundamentum absurdissimè collocare? Quid ènim? an non idem dicunt omnes alij Hæretici? quibus de se testificantibus cum non acquiescant Euangelici, ipsis quoq; Euangelicis eadem ratione acquiescendum non est. Pari enim ratione vtriq; probant, scilicet ex propria opinione: seu quod ipsis videatur eum Scripturarum sensum esse.

Magis verò ridicula est Zaborouij probatio. Legitimè, inquit, a Deo missi sumus; quippe cum Dei veritatem ex professo doceamus. Ministri enim diaboli ex professo veritatem docere nequeunt; cùm in multis mentiantur: Ministri verò Euangelici ex professo in omnibus articulis veritatem docent. Quis non videt hic Zaborouium pro concesso sumere, quod probandum est? Vnde enim constat Euangelicos ex professo, hoc est, in omnibus veritatem docere? hoc enim præter ipsos nullus credit: & probationes quas afferunt, sophisticas atq; Scripturæ contrarias esse omnes alij demonstrant. Dicent ex Scripturis id constare. si de Scripturis sensu Luterano expositis intelligant, fateor. Nam, si de Scripturis secundum sensum totius antiquitatis intellectis loquantur, oppositum constat. vnde ergo suum sensum esse sensum verum & Apostolicum probabunt, nisi ex proprio testimonio; nempe quòd sibi ita ex Scripturis videatur. quo etiam modo Ariani probabunt suas hæreses ex Scripturis sibi videri veras. Dicent Arianos dicere sed non probare. at sicut Euangelici sibi videntur sua ex Scripturis probare, ita & Ariani sibi videntur probare. vnde igitur certò constabit illos non hos Scripturas verè intelligere?

Vera doceri ab Euãgelicis nemo credit præter ipsos.

En vides, Zaboroui, quomodo vestra quam affertis Scripturæ interpretatio, in proprium cuiusq; iudicium & testimonium resoluatur. de quo illud Christi dici potest; *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meũ non est verum.* Nam etsi Christus de seipso non poterat nisi verum testimonium perhibere: tamen hominum respectu non erat ita verum vt fidem faceret, nisi alio claro & illustri diuino testimonio comprobaretur. Quare, cum vos nullum aliud præter vestrum de bona Scripturæ interpretatione testimonium adferatis, testimonium vestrum non est verum; nec tale quod fidem vllam mereatur.

Hoc genus probationis doctrinæ propriæ ipse Christus repudiat.

Obijciebat

Obijciebat Mornæus exemplum Helciæ *4. Reg: 22. & 23.* & *Esdræ 2. Esdræ 8.* qui ex libro legis reformârunt Ecclesiam nullo miraculo facto. verùm ea obiectio nihil iuuat aduersariorum causam. tum quia, quod illi iure fecerunt, hoc aduersarij iniuria sibi vsurpant: tum quia illi in sua reformatione eos tantùm errores tollebant, qui extra omnem controuersiam, & omnium opinione errores erant. & Scripturas de quarum sensu apud omnes constabat, pro regula reformationis statuebant. quorum nihil in reformationẽ istam Luteranam & Caluinianam quadrare potest. Nam quod ad primum attinet: nemini dubium est eum, qui iure aliquid facit, rectè facere; nec alia probatione opus habere, nisi iuris sui exhibitione. Helcias igitur & Esdras iure illam reformationem fecerunt; quia legitima potestate: erant enim ordinarij & legitimi Pastores. Neque nouis miraculis opus habebant, cùm manifeste constaret eos fuisse legitimè missos, & ratione officij ordinarij id potuisse facere. Constabat etiam omnibus eos non nouam, sed antiquam doctrinam docere; ad antiquum autem doctrinam antiqua miracula sufficiunt. Ministri verò Euangelici nullo iure reformationem Ecclesiæ aggresſi sunt, sed temere & vsurpatè: nam neq; ab ordinarijs Ecclesiæ Pastoribus misſi sunt; neq; ipsi ordinarij Pastores fuerunt. Quocirca cùm ordinarium testimonium suæ misſionis producere non posſint, meritò ab illis extraordinarium requiritur, hoc est miracula. alioqui sine testimonio nudis verbis credendum non est, dicentibus se esse à Deo missos.

Nullum par exemplum habent Euãgelici.

At inquit Zaborouius, Luterum, Oecolampadium, Zuinglium, Bucerum, priuatos non fuisse. quia & Presbyteri, & Doctores Theologiæ fuerunt. quasi verò idem sit, esse Presbyterum vel Doctorem in scholis, quod esse missum ad prædicandum Euangelium. Presbyteri enim sunt legitimi presbyteri, si eis conferatur potestas ad consecrandum & offerendum corpus & sanguinem Domini, & ad remittenda iudicialiter peccata in confesſione. hoc enim forma ordinationis sonat. vt verò sint Prædicatores legitimi, debet illis conferri potestas prædicandi verbum Dei, non secundùm priuatos sensus, sed secundùm doctrinam eorum à quibus misſi sunt: hoc est, secundùm eam doctrinam quam semper & omnibus seculis tenuit Catholica Ecclesia. Similiter aliud est esse Doctorem in scholis, aliud in Ecclesia. Nam ijs qui in scholis doctoratu insigniuntur, fit potestas cathedras scholasticas non Ecclesiasticas conscendendi, & in scholis non in Ecclesia docendi: illa què potestas confertur etiam à Principibus & Dominis secularibus, hæc verò ab ijs solis qui Ecclesiæ præsunt. Quamuis igitur Luterus, Zuinglius, & alij Presbyteri fuerint legitimè in Ecclesia Catholica ordinati; non tamen idcirco fuerunt legitimi ad prædicandum Euangelium. cum hæ potestates in Ecclesia

Sacerdotij & magisterij diuersa officia.

Ecclesia sint distinctæ, & innumeri sint apud nos Presbyteri, quibus nulla facta est potestas Euangelium prædicandi.

Quanquam etiam quod ad potestatem Presbyteri attinet, ea Lutero nihil profuit: siquidem eam ipse eiurauit; ea qué legitime nunquam in sua apostasia vsus est. Cùm enim potestas ordinis sit solùm ad consecrationem & oblationem Corporis & Sanguinis Domini, & ad absolutionem iudicialiter à peccatis, quos actus semper est execratus Luterus: non potuit illi ad aliquid ea potestas prodesse. Cui enim potestati quis sponte renuntiat; aut eius vsu ab Ecclesia per excommunicationem interdicitur (vti in Lutero factum est) non potest iure eius auctoritate se tueri. Similis ratio est de doctoratu. Doctores enim Scholastici scholis præficiuntur, non Ecclesijs: alioqui omnes ludimagistri essent Ecclesiæ Doctores. non igitur ex doctoratu scholastico vera missio ad prædicandum Euangelium concludi potest. Quare cùm doctores Euangelici mittantur ad Euangelium docendum: nequaquam ea missio legitima & diuina censeri debet. quomodo enim sunt à Deo legitimè missi, cum non à legitimè missis mittantur? Quum enim ipsi non sint missi a Deo, nec alios mittendi ius & potestatem habent: sine potestate autem legitima non potest missio dici legitima. Deinde cum mittuntur ad euertendum Euangelium, non ad inducendum mittuntur. quæ enim secundùm Euangelium hucusque credidit mundus, facto ab Apostolis initio; ea isti nouo suo Euangelio demoliri & tollere iubentur. Deniq; si Luterus censeatur à Deo missus ad prædicandum Euangelium, certè Zuinglius non poterit dici à Deo missus: aut si is concedatur missus, ille missus dici non poterit: cùm isti duo contraria Euangelia prædicauerint; vti ex eorum continua de præcipuis Fidei articulis pugna perspicuum est. Quemadmodum ergo duo contraria Euangelia non possunt esse simul vera: ita nec duorum contrariorum Euangeliorum prædicatores possunt esse ambo veri.

Sacerdotiũ Lutero nil profuit.

neq; doctoratus, tam illi, quàm alijs.

1.

2.

3.

Quod vero ad alteram rationem attinet, propter quam Helciæ & Esdræ exempla Euangelicos non iuuant: certum est Helciam & Esdram in ijs rebus reformasse Ecclesiam, quas non ipsorum tantùm, sed omnium opinione constabat esse malas, & legi diuinæ contrarias. & eam doctrinam induxisse, quam omnium opinione constabat fuisse secundùm legem Dei. At Euangelici non eas res tollunt ab Ecclesia, quas omnibus constet esse malas: imo quæ semper in Ecclesia pro bonis singularibus à tota antiquitate sunt habita; vt est Missa, veritas Corporis Christi in Eucharistia, confessio Sacramentalis, & alia; ea ipsi mala iudicant: neque ex ijs Scripturis id probant, quas ita intelligendas omnibus constet; sed quæ ipsorum tantùm opinione ita sint intelligendæ. Vti igitur in ijs quæ certò & omnium opinione mala sunt tol-

Euangelici damnant, quæ omnibus alijs probata.

sunt tollendis licita & bona est reformatio, siue consentiat populus, siue dissentiat: ita in rebus controuersijs, de quibus certo non potest affirmari quòd malæ sint, & ex illis Scripturis de quarum sensu controuertitur, non est licita reformatio; præsertim priuata cuiusq; auctoritate, nisi diuina accedat auctoritas. alioqui seditiosis omnibus pateret ampla via Rempub. reformationis prætextu perturbandi: prætendũt enim ij semper aliquam speciem boni, cùm tamen nihil nisi perniciem Reipub. moliantur.

Nõ repererũt Ecclesiam malè constitutam quoad dogmata.

Torquet se hic in omnem partem Zaborouius. concedi enim si Remp. bene constitutam priuatus quis reformare vellet, turbator merito haberetur. at, inquit, Ecclesia Romana non fuit bene constituta. Sed petit principium Zaborouius. hoc enim ipsum est quod quæritur an Romana Ecclesia quoad res Fidei fuerit non bene constituta. Soli enim Euangelici & Apostatæ id asserunt: omnes alij negant. Quin & antiquitas omnis reclamat, quæ eos omnes articulos Fidei credidit, quos nunc tenet sancta Romana Ecclesia. neque verò vlla ex re magis colligi potest bonus Ecclesiæ status, quàm si veteri Ecclesiæ & toti antiquitati sit conformis. Neque vero Euangelici hanc de statu malo Ecclesiæ aliunde probare possunt, quàm ex propria opinione, seu ex Scripturis proprio sensu expositis? quæ probatio nullius momenti haberi debet. An enim non omnes Hæretici hoc modo Ecclesiam calumniari possunt proprio iudicio excæcati? an Euangelicis hoc idem alij non possunt obijcere? nunquid igitur propterea ab alijs se reformari permittent? Neque illud simile Zaborouij aliquid habet ponderis. Si, inquit, intempesta nocte ordinarij vigiles somno vinoqué sepulti iacuerint, hostis vero vrbem inuasurus mœnibus scalas admouerit; sit licet ex infima plebe, qui populum ad defensionem excitàrit non solùm ab eo cuius auctoritate id fecerit non quæritur, sed hostibus ab vrbe repulsis postea illi præmia decernuntur: ita fecit Luterus, & alij, ordinarijs Ecclesiæ vigilibus somno sepultis. Multum sanè hoc simile est dissimile. Neque enim Luterus hostes vllos ab Ecclesia repulit, sed induxit: neque hostibus externis, sed Magistratui domestico & ordinarijs Ecclesiæ Pastoribus bellum intulit; & ciuile in Ecclesia bellum concitauit: neq; certissima aliqua mala ab Ecclesia reiecit; sed ea, quæ maxima sunt Ecclesiæ bona, & quæ pro bonis à tota antiquitate sunt habita, sustulit non Scripturis veris, sed proprio iudicio armatus quod omnes seditiosi facere consueuerunt. Meritò igitur tanquam turbator & perduellis ab omnibus haberi debet, & omnium malorum Ecclesiæ causa. neque vt præmia illi decernantur cogitandum, sed potiùs vt debitas perfidiæ & impietatis suæ pœnas luat agendum.

Hostes in Ecclesiam induxerunt.

Negat quidem Zaborouius, Luterum cum suis sectatoribus bellum in

Ecclesia

Ecclesia excitasse, & homines ab obedientia suorum legitimorum Pastorum, & ab antiqua Fide auertisse. Sed qua fronte, ipse Luterus sit testis: is enim contra Papam & Episcopos classicum cecinit, cùm eos omnibus armis impetendos, & manus in eorum sanguine lauandas, proclamauit; Turcisque tam diu non resistendum, donec Papa, & Episcopi, & Catholici Principes de medio tollantur. vti supra verba ipsius produximus. Quantum verò post ea in Catholicos ab Hæreticis sæuitum; quantum sanguinis ob Fidem Catholicam effusum; quot Martyres extremo supplicio affecti; is solùm ignorare potest, qui quid in Belgio, Gallia, Anglia gestum sit, & etiam nunc geratur, ad se pertinere non putat. Veriùs ergo nostrum simile Luteranis seruit. An enim, qui dolo & fraude armatus prætextu libertatis & reformandæ Reipub: populum ad seditionem excitaret, & Magistratus legitimos excusso iugo ad necem quæri mandaret; & omni lege abolita licentiam omnibus quiduis faciendi sub specie libertatis permitteret; is turbator & seditiosus ab omnibus iustissimè habendus esset? quid enim illi ad rationem turbatoris deesset? Talis fuit Luterus & nunc sunt Luterani. colorem enim Euangelij prętendunt, re autem vera Euangelium euertunt, & Ecclesiam perturbant. Frustra verò idem crimen Christo & Apostolis obiectum esse gloriatur Zaborouius. Nam illis quidem per calumniam: Lutero autem summa ratione reipsa & veritate loquente, ipsoq; Lutero testificante, id criminis obijcitur. alioqui latrones quicunque simili ratione gloriari possent, sua scelera Christo quoq; & Apostolis obiecta fuisse. *id probāt ipsis clamat Gallia, Belgium, Anglia.*

Si, inquit Zaborouius, omnium consensus ad reformationem expectandus esset, reformatio nunquam sperari posset. At non meminit Zaborouius triti sermone prouerbij: Alienam domum reformare nemini licere, nisi facta à domino domus expressa vel tacita potestate; extra quam priuatus quispiam si quid attentet, falcem mittere alienam in messem iudicatur. Alia ratio est de ijs qui præsunt. His enim ratione officij incumbit mala à Rep. propulsare, siue consentiant siue dissentiant subditi: habent enim auctoritatem pro se diuinam. Neque pertimescendum est reformationem nunquam secuturam: habet enim suæ Ecclesiæ curam Deus: ei qué vel per ordinarios Pastores, vel per eos quos extra ordinem mittere solet suo diuino testimonio munitos prospicit: illum qué Spiritum veritatis, quem Ecclesiæ suæ promisit in æternum, nunquam denegat modis à sua diuina prouidentia constitutis. tantum qué abest, vt ad reformandam suam Ecclesiam intrusis & priuatis hominibus vtatur; vt de ijs in Scriptura conquestus sit semper; & alijs cauendos præceperit. *Aliorum reformatio, inuitis illis vetita priuato. 1.* *2.*

Pergit Zaborouius. Nunquam, inquit, euinces Missam priuatam, Transsub-

Ritus & dogmata Catholica antiquissima.

Transsubstantiationem, Sanctorum inuocationem, Purgatorium intra sexcentos à Christo annos in Ecclesia Dei pro bonis habita esse. Verùm talpa cæcior sit, qui hæc vel in Belarmino non legat, vel ab ipsis Centuriatoribus nó addiscat. vel si Confessiones ipsas Augustini, Hieronymi, Ambrosij, Gregorij in ordinem redactas legere placeat, non aduertat. Frigidè verò respódet Zaborouius extenuans Centuriatorum Magdeburgensium scripta: quod in suis centurijs candidè notârint, quibus seculis ad errores aliquos facta sit inclinatio. non enim aliquos Fidei Catholicæ articulos in quibusdam tantú seculis adnotârunt, sed in omnibus seculis Romanam & Catholicam Fidem obseruârunt, & veritate vrgente confessi sunt: licèt vt hæretici homines nostræ Fidei articulos næuos & errores nominare non sint veriti. Lege, Zaboroui, non lippis & dormientibus oculis centurias ipsorum; & fatebere quod dico.

Ineptiæ Zaborouij cætera.

Adducit præterea Scripturas aliquot. *Cauete à fermento Pharisæorum. Matth: 16. 11. Exite de Babylone, populus meus; ne fortè accipiatis de plagis eius. Apocal: 18. 4. Secede ab eis qui sunt eiusmodi. 1. Tim: 6. 3.* ex quibus inepte collegit Luteranos meritò fideles ab Ecclesia abducere potuisse. Nam cùm mala aliqua esse in Ecclesia Christi, vel Apostolorum testimonio, citra controuersiam constat, quis dubitat à talibus cauendum & fugiendum esse? At cùm pseudoapostolus aliquis (vt Luterus) nullo diuino testimonio munitus, temere effutit, & proclamat, hæc vel illa in malis habenda, quæ tota Ecclesia pro bonis habet: nullo modo impostori credendum est.

Meritò respuimus reformationem Euangelicorum.

Quòd vero dixi, Ecclesiæ Catholicæ Pastores reformationem Euangelicam nolle: non quia nollent videre reformatam Ecclesiam: sed quia reformatio, quam vrgent Euangelici, non sit reformatio, sed deformatio, contraria verbo Dei, doctrinæ & traditioni Apostolorum. Hic carpit & cauillatur Zaborouius: quasi innuam Ecclesiam Romanam esse in Fide deformatam. cùm non absolutè dicam Pastores Catholicos reformationem cupere: sed si ea esset vera reformatio, illam proculdubio non renuerent.

Cœnam Christi deformat.

Cùm verò ait, Nos Cœnam Domini deformâsse mutilata vna ipsius parte; viderit vter magis deformet Cœnam Domini: an qui in vna specie totum Christum agnoscens alteram speciem non esse omnino necessariam confitetur, nihil integritati & fructui Sacramenti detrahendo: an verò is, qui Corporis & sanguinis Christi veritatem in vtraque specie denegat, vtrúque tamen Symbolum esse ad sumptionem Sacramenti necessarium fingit. Nunquid enim non multò grauius est totum Christum à Sacramento auferre quàm alteram speciem? præsertim cùm Christus ita instituerit; vt siue vtraque sumatur, siue altera tantùm; integra ratio Sacramenti & fructus habeatur. sed de hoc infra copiosiùs.

Ait por-

Ait porrò, ad reformationem opus non esse, vt mala ab omnibus sciantur esse mala; sed satis esse si probatæ fidei & integritatis viri euicerint mala esse. porrò in Catholica Ecclesia mala esse multi, inquit, viri boni viderunt; & reformatioenm à Deo ordinarijsq; Pastoribus precibus flagitârunt: hos autem bonos viros nominat, Bernardum, Baptistam Mantuanum, Franciscum Petrarcham, Ferum, Vicelium, Ioachimum Abbatem, Cornelium Episcopum Bitontinum, Ioannem Sarisburgensem, Petrum de Æliaco, Cassandrum, Caranzam. Agedum, Zaboroui, si isti viri boni fuerunt & fide dignissimi, cur igitur reformationem vestram damnantibus non assentiris? quis enim istorum non Catholicæ Fidei professor fuit? quis Fidem Catholicam corrigendam esse docuit? quis capita Fidei Luteranæ probauit, & ad reformandam Ecclesiam esse necessaria duxit? At quia vnum pro altero loqui didicisti; scias ex me, Zaboroui, hos viros, non in Fide Catholica, sed in moribus reformationem postulâsse: vt ea ipsa verba eorum, quæ adducis, loquuntur. Si igitur verbis ipsorum ad probandam in Fide Catholica reformationis necessitatem abuteris; falsator es, & iniuriosus in viros tam bonos & præstantes. Si verò reformationem tantùm in moribus probare vis; nihil ad rem loqueris: cùm de reformatione in Fide, qualem vos facere voluistis, sit modò inter nos quæstio.

Nemo dogmata Ecclesiæ Romanæ instauranda censuit ante Euangelicos.

CAPVT V.

Miraculum Luteri expenditur.

CVM miracula nulla Euangelici pro suo Euangelio adferre possint, mouent omnem lapidem, vt se liberos à miraculis ostendant: vrgent que duo Mornæi argumenta: tum quia dæmoni miraculum poscenti Christus Scriptura non miraculo satisfecit: tum quia, si Angelus de cœlo nouum Euangelium afferret (quod magnum miraculum esset) non esset illi credendum. Frustra igitur miracula exigunrur. At nos satis iam ex Scripturis ostendimus, non frustra a Prædicatoribus miracula exigi: nimirum vt sint legitimæ missionis & prædicationis testimonia: nullus enim sine testimonio quasi a Deo missus, admitti & audiri debet. alioquin omnes impostores hoc modo essent admittendi. Quod verò Satanæ poscenti miraculũ Christus miraculũ exhibere non debuit, in prõptu causa est: quia nõ ad dęmones conuertẽdos, sed ad homines saluandos Christus fuerat missus: quocirca non dæmonibus 1.
debuit suæ missionis rationem & testimoniũ reddere, nec in dæmonũ gratiam miracula edere. maximè cùm tentandi Christi causa dæmon miraculum 2.

Cur Christus dæmoni miraculum negarit.

 exposcens

exposcens eo ipso indignum se miraculo reddiderit. Porrò hominibus ad quos fuerat missus, innumeris miraculis suam missionem & doctrinam probauit, ita vt diceret; *Si non fecissem opera quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent:* ostendens sine tot quot patrauit miraculis credi sibi non debuisse.

Cur non negauit hominibus.

Non potest verò Zaborouius ex eo, quòd dæmoni poscenti miraculum Christus negauit, cõcludere hominibus quoq; miracula necessaria non fuisse: aut homines dum miracula à Christo poscerent dæmonibus similes fuisse. 1. Nam cùm Christus ad homines missus esset, debuit illis suæ missionis & 2. doctrinæ veritatem miraculis comprobare. alioqui (Christo ipso teste) nisi tot miracula fecisset quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent fidem ei denegando; siquidem nulli dicenti se esse a Deo missum credendum sit, nisi diuinum afferat testimonium. Vnde euidens est homines poscentes miracula dæmonibus similes non esse, sed potiùs dissimiles: cùm dæmones ea nullo iure poscerent; homines verò iure maximo. Neque enim fas est quenquam tanquam à Deo missum, & nouam adferentem doctrinam admittere; nisi proferat Dei, à quo missum se esse dicit, testimonium. Quanquam enim modò Fide iam miraculis & alijs diuinis testimonijs confirmata, noua miracula ad eam persuadendam non sint necessaria, quòd antiqua sufficiant. tamen cùm doctrina aliqua noua, & ab ea quam tota antiquitas tenuit diuersa, à priuatis præsertim & intrusis hominibus inducitur; miracula, vel aliquod aliud diuinum testimonium necessarium est. Antiqua enim miracula ei doctrinæ, quam constat esse antiquam, & ab Apostolis totius antiquitatis testimonio prædicatam, faciunt sufficientem fidem & testimonium. At cùm doctrinam non constat esse antiquam & Apostolicam, nisi ex priuato prædicantium iudicio atq; testimonio, contra totius antiquitatis fidem; miracula omnino requirenda sunt, vt faciant tam missioni quàm doctrinæ indubitatam fidem. Talis est Luterana doctrina: quæ quia est à Fide totius antiquitatis dissentiens, & solo priuato prædicantium testimonio comprobata, merito suspecta haberi debet; & sine miraculorum testimonio non admittéda.

Nostris dogmatis non necessaria miracula.

Angelus contraria Euangelio non potest afferre.

Iam quod ad Angelum pertinet, si contrarium Euangelium de cœlo afferret: inprimis dico, id nec miraculum, nec diuinum testimonium vllum fore; sed illusionem Angeli transfigurantis se in Angelum lucis. Deus enim non potest sibi esse contrarius; neq; potest rem à se miraculis antè confirmatam falsam nouis miraculis declarare. Quocirca si semel constiterit aliquam doctrinam esse miraculis confirmatam; nulla miracula contraria superuenientia vera censeri debent miracula, nec prioribus miraculis fidem derogare. Quodsi aliqua ficta miracula ab impostoribus permittantur à Deo edi; ad Dei prouidentiam pertinet eorum fraudem patefacere, ea quę alio spectare, quàm

quam vt prioribus miraculis fidem derogent. Sic de miraculis ab Antichristo patrandis præmonuit Deus: quæ etiam in particulari qualia futura essent describi voluit. de quo plura ad finem secundi libri dicturi sumus. Ex quo patet: cùm doctrinam, vt à Lutero prædicatur, non constet fuisse miraculis Apostolicis confirmatam (cùm nonnisi priuato Luteranorum iudicio & opinione ostendatur esse Apostolica, toto mundo & antiquitate reclamante) non possunt Luterani nostra miracula, quæ ab Apostolicis temporibus omnibus & singulis seculis pro nostra Fide & doctrina sunt facta, respuere & pro suspectis habere. Nos verò Catholici, cùm Fidem tot certis miraculis confirmatam habeamus, omnia miracula Luteranorum si fierent, pro suspectis & falsis habere deberemus. Cumq; à nobis quærunt: an si facerent miracula, ipsis crederemus? Respondemus minimè: si quidem veris miraculis pro Fidei nostræ veritate factis essent contraria. Itaque nos a Luteranis miracula exigimus, non vt illis credamus: sed vt illis fidem omnem abrogemus. Nam si nulla miracula edere possunt, absque miraculis & omni diuino testimonio nudis verbis dicentibus se a Deo missos credendum non est: si verò aliqua proferant, ea cum contra vera miracula edita essent, suspecta & falsa aut certè alio spectantia, quàm ad doctrinam falsam confirmandam, haberi debent. quam etiam ob causam Antichristi miraculis credendũ non esse Scriptura præcauit.

Etiam miracula Luteranorum suspecta habenda.

& falsa, vel alio spectantia.

Futile verò est quod subiungit Zaborouius. Vos, inquiens, Iesuitæ nulla miracula edidistis, tamen aliquam fidem meremini: Ministri verò purum verbum Dei quod est ipsa veritas docet: apud omnes igitur bonos iure optimo fidem merentur. Certè si Iesuitæ immediatè se à Deo missos gloriarentur, tenerentur miracula edere, aut aliud diuinum testimonium producere. Legatis enim Principum sine literis patentibus minimè creditur. At cum se mediatè a Deo missos agnoscant, non tenentur noua miracula edere, sed eorum a quibus missi sunt testimonium proferre; & sufficit, quòd eam Fidem doceant ac doctrinam, quæ semel ab Apostolis accepta omnibus deinde seculis conseruata, & ad nos vsq; deriuata est: & cum hæc sit antiquis miraculis confirmata, nouis non indiget. Quanquam Iesuitæ cum barbaris Euãgelium in nouo orbe annuntiant, non sunt miraculis destituti: vt vel solius Francisci Xauerij Indiarum Apostoli exemplo perspicuum est: qui non tantum dæmones è corporibus humanis eiecit; & ægrotos quàm plurimos sanauit; sed & mortuos tres vitæ restituit. quæ omnia diligenter explorata iussu Ioannis Lusitaniæ Regis, & in tabulas regias relata cum sint; de fide & auctoritate ipsorum dubitare nefas est.

Nulla miracula necessaria Iesuitis.

nonnulla tamen edita gaudent.

Fides porrò quam concedit mereri Iesuitas ratione doctrinæ & probi-

catis; po-

tatis; politica est & moralis, non diuina. Cùm verò ait Ministros quoq; fidem mereri, cùm purum verbum Dei doceant: rem incredibilem vult à nobis credi. Non enim purum verbum Dei docent, sed longè impurissimum; quippe impuris interpretationibus ex proprio cerebro desumptis infectum & fœdatum: qua impuritate in verbo Dei nulla maior. Quid igitur mirum, quòd dixerim, impossibile esse, ad tam impurum verbum Dei confirmandum Deum per Euangelicos edere miracula. hoc enim æquè impossibile est, sicut ad Turcicum Alcoranum, vel hæresim Arianam, aut aliam quamcunque hæresim, Deum edere miracula. Neq; abbreuio manum Domini: sed quod de Deo cogitare nefas est, ostendo. Deus enim non potest sibi esse contrarius; & contra Fidem Catholicam, quam tot miraculis approbauit, noua edere miracula ad contrariam Fidem approbandam non potest.

Impossibile edi miracula ab Euangelicis.

At DEVS, inquit, & natura nihil faciunt frustra: frustra autem Deus ederet miracula: quia hæc ab initio Ecclesiæ, cùm nondum esset Ecclesia roborata, necessaria erant, non verò his extremis temporibus. Minimè vero, Zaboroui, frustra Deus faceret miracula his extremis temporibus. Nam quædam possunt esse necessaria ijs gentibus, quæ nunc primùm ad Fidem conuertuntur, non minùs quàm in ipso Ecclesiæ initio. Quædam verò etsi omnino necessaria non sint; vt nobis, quibus antiqua miracula ad fidem sufficiunt: conducunt tamen plurimùm Ecclesiæ, tum ad infirmos in Fide roborandos: tum ad errantes ad Fidem reducendos: tum ad testificandam Dei Opt. Max. perpetuam & indefessam circa suam Ecclesiam curam & bonitatem; quam non solum ordinarijs medijs, sed etiam extraordinarijs nobis demonstrat. Quocirca cùm illud dicatur frustra fieri, quod nullam vel necessitatem vel vtilitatem habeat; nequaquam miracula his extremis temporibus dici possunt fieri frustra, cùm tantam vel necessitatem vel vtilitatem secum ferant: insulsum q; est & non absq; temeritate, quod scribit Zaborouius, miracula soli Antichristo reseruata, Ecclesiam verò à solo Dei verbo pendere. In quo enim verbo Dei hoc vel legit vel col'egit? nunquid hoc non est abbreuiare manum Domini, quod ipse Zaborouius tantopere paulò antè vrgebat? quasi Deo non sint consilia & rationes grauissimæ ad facienda semper in vtilitatem Ecclesiæ miracula? vti infrà ex professo ostésuri sumus.

Miracula nunc non essent frustra.

nec Antichristo relicta.

Verùm cùm viderent Euangelici se nihil habere, quo solidè probent, se esse a miraculis exhibendis liberos: inuenerunt tandem vnum ex multis mendacijs & calumnijs consarcinatum. nempe quod Luterus solo Dei verbo imperium Babylonicum à fundamentis concussit, & regna integra à tyrannide Papæ liberauit. Nam neq; Dei verbo puro, sed impijs & adulteratè fictis ex proprio capite interpretationibus cótra omnium Sanctorum & Doctorum

Imperium Babylonicum non euertit Luter. 1.

ctorũ interpretationem fecit quod fecit: neq; solo Dei verbo: armis enim & 2.
politica potẽtia (vt supra ostẽsum est) magis vsus est, virtuti solius verbi quod
prædicabat non confidens. neq; Ecclesia Romana imperium Babylonicum, 3.
& Papæ tyrannis, nisi per impudentem calumniam dici potest: eadem enim
est nunc Romana Ecclesia, quoad Fidem & Religionem, quæ omnibus prę-
teritis seculis vsque ad Apostolos fuit. neq; ea calumnia ab Euangelicis ali-
ter probatur, quam ipsorummet priuato testimonio: & multò veriùs in ip-
sorum Synagogam quam in Ecclesiam Catholicam quadrat. Neq; etiam ve-
rum est Ecclesiam Romanam verbo Luteri à fundamentis concussam, sed 4.
potiùs in suis fundamentis magis firmatam esse. Nam & viris doctissimis
magis hoc tempore floruit & floret, qui hæresim & fraudes Luteranas scri-
ptis egregijs detexerunt: & à Lutero miserè seductos ad Ecclesiæ Catholicæ
Fidem reduxerunt: & plurima regna atq; prouincias amplissimas, tam in
Oriente, quàm in Occidente, luce Euangelij collustrârunt. Luteri potius 5.
Synagoga in dies minuitur & perit, atq; à suismet filijs vipereo morsu exe-
ditur, ac consumitur. cùm relicto Lutero in Zuinglianos, & Caluinianos,
& plerique in Arianos, iusto Dei iudicio; & mirabili metamorphosi trans-
mutantur.

Deniq; hoc Luteri factum, nullo modo dignum est, vt inter miracula *Nec miraculum nec opus Dei est Luteri insania.*
referatur. Nam inprimis Zaborouius vltro fatetur non esse propriè miracu-
lum: quamuis concedat esse opus Dei admirandum. quod tamen quia suo
tantùm testimonio, non aliqua graui auctoritate aut ratione comprobat, pro
nihilo reputandum est. Quis enim illi reuelauit hæresim tam fœdam esse 1.
opus Dei admirandum? Annè similia opera non fecerunt Ariani, & quiuis
alij hæretici, dum magnã orbis partem suis erroribus inquinârunt? num igi-
tur admiranda Dei opera fecerunt? si dicat, illos non puro Dei verbo id fe-
cisse: an non manifestum est, æquè illos pro Dei verbo habuisse suum ver-
bum, quemadmodum Luterus habuit? æquè enim vt Luterus propria inter-
pretatione & spiritu illud exposuere: nec vllo modo concedent Ariani se in
verbo Dei sectando esse inferiores Luteranis. Conuictos ait Zaborouius fuis-
se Arianos Dei verbo. At primùm negant id Ariani. Deinde eodem modo
Luteranos dicent verbo Dei conuictos in Concilio Tridentino: quid igitur
præ Arianis habent Luterani?

Deinde miracula non sunt nisi à Deo, & supra omnem humanam vir- 2.
tutem. At qui probabunt Luteri prædicationem à Deo profectam esse? cer-
te id, nisi proprio testimonio, nunquam euincent: nam, vt cætera taceam, *quin inferorum impostura*
doctrinam contra Missam & Eucharistiam; nonne fatetur ipse Luterus se à
dæmone post longã disputationẽ accepisse? Præterea execrandæ hæreses in

3. *olim damnata* Ecclesia veteri olim damnatæ, & per Luterum exsuscitatæ quî poterunt admirandũ Dei opus appellari! Adde, quòd Luteri Euangelium, cùm totum sit carnale & delicatũ ac proinde Euangelio Christi contrarium, nullo modo sine blasphemia in Deum referri possit. etenim ieiunia tollit: pœnitentias & afflictiones ridet: vota castitatis relaxat; & ea seruatu impossibilia docet; (quod suo sacrilego coniugio luculenter declarauit auctor ipse) ab obedientia legum Ecclesiasticarum prætextu libertatis Euangelicæ liberat: obligationem peccata sua Sacramentaliter confitendi nullam esse pronuntiat: & omnem carnis licentiam inducit. quis hæc Euangelio Christi esse contraria non videt?

4. *& Euangelio contraria.*

Damnãt ieiunia prætextu delectus in cibis.

Frigidè verò ista excusat Zaborouius. Ieiunia, inquit, non tollimus, sed ciborum delectum. Quasi verò ad ieiunium, quod carnis macerandæ causa institutum est, ij cibi eligendi sint, qui carnem recreant ac bene nutriũt: & non potiùs qui contrarium efficiunt. Hic igitur delectus, cùm ad finem ieiunij maximè faciat, sanctus est, & à Sanctis omnibus vsurpatus: eiusqué specimen in Ioanne Baptista apparet; cuius cibus Euangelio teste erant locustæ (vilissimum edulij genus) & mel siluestre. Ciborum delectus, quem Scriptura damnat, non is est, qui ad carnem affligendam assumitur; sed cùm cibi aliqui mali, & à dæmone non à Deo conditi asseruntur. vti cæca hæresis temporibus Apostolorum asserebat. Tollunt etiam Luterani obligationem certis temporibus ieiunandi: vt in Quadragesima, quam Dominus totam ieiunando transegit, & alijs vigilijs: cùm id libertati cuiusque relinquunt. quod est contra eum ordinem & dispositionem, quem Dominus Pastoribus & Episcopis in Ecclesia sua commisit: quem què Apostoli tantopere vrserunt. *1. Cor: 14. 40. Omnia honestè & secundùm ordinem fiant. 1. Cor: 11. 34. Cætera cùm venero disponam.*

Catholicorũ pœnitentiæ seriæ.

Non ridemus, inquit, pœnitentias & afflictiones serias, sed vestras spontaneas quæ hypocrisim & Baalismum sapiunt. *3. Reg: 18. 28.* fictas qué pro peccato satisfactiones. inanis & frigida sanè excusatio. Nũquid enim seriæ afflictiones cẽsendæ non sunt, quæ cõcepto vero de peccatis dolore ad peccatũ in nobis puniendũ assumuntur? dicente Paulo, *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtiq; iudicaremur?* & *Tristitia quæ secundùm Deum est,* (hoc est ob Deum offensum concepta) *pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* An quia spontaneæ sunt, seriæ non sunt? nihil ergo spontaneum serium erit. Nam si spontaneæ dicuntur, id est superstitiosæ: qua ratione superstitiosum dici potest, quod ad peccatum seriò puniendum assumitur? nulla enim superstitio est peccata in nobis castigare: cùm id iustitia ipsa exigat.

Dum verò ait eas hypocrisim & Baalismum sapere, calumniatur.

Tunc

Tunc enim hypocriſim ſaperent; ſi ficto animo fierent, & non ex vero dolore de Deo offenſo procederent. Neq; quidquam commune cum Baaliſmo habent; cùm non Baali ſed Deo vero in peccati vindictam offerantur. neq; enim, ſi ea quæ in Dei honorem à fidelibus fiunt, à gentilibus ad falſos cultus vſurpentur, deſinunt propterea eſſe ritus ſancti & recti. Fictas verò ſatisfactiones immeritò appellat. Fictæ enim dicendæ eſſent, ſi nullam vim ſatisfaciendi haberent: At cùm vim ſatisfaciendi non ex ſe, ſed ex Chriſti paſſione & ſatisfactione habeant, immeritò fictæ ſatisfactiones appellantur. Hic enim eſt fructus paſſionis Chriſti in nobis, vt quod ex nobis in peccato tollendo non poſſumus, hoc virtute paſſionis ipſius habeamus. Quemadmodum enim propter Chriſtum efficimur grati Deo, & iuſtificati à peccato: ita & opera noſtra poſt iuſtificationem à peccato propter Chriſtum redduntur grata Deo; ac proinde apta ad Deum placandum, & ſatisfaciendum virtute paſſionis Chriſti. Neq; etiam dicimus, afflictiones noſtras ante remiſſum peccatum vim habere ad ſatisfaciendum pro culpa: quia nondum tunc homo gratus eſt Deo ſed inimicus: at poſtquam peccato remiſſo in gratiam reſtituitur, opera ipſius incipiunt propter Chriſtum eſſe grata Deo, & efficacia ad ſatisfaciendum; non quidem pro culpa, aut pro pœna æterna, quæ gratis remiſſa eſt; ſed pro pœna temporali, quam Deus remiſſo peccato infligere ſolet. Non igitur ſatisfactio noſtra eſt ficta ſatisfactio; quæ vim ſatisfaciendi ex Chriſti ſatisfactione accipit. Sed iuſtitia Euangelicorum ficta dicenda eſt; cum imputatiuè tantum non verè eos iuſtos efficiat: & pœnitentiæ Euangelicorum fictæ; cum ex Chriſto nullam vim, nec impetrandi peccatorum remiſſionem, nec pro peccati remiſſi pœnis temporalibus ſatisfaciendi iuxta ipſorum doctrinam habeant.

non ficta.

ſatisfactoriæ

remiſſo peccato.

Iuſtitia hæreticorũ ficta.

Vota, inquit, non relaxamus, ſed laqueum conſcientijs iniectum. At ſi hi laquei ſunt ipſa vota; qui eos relaxat, vota ipſa relaxat. Sequimur, inquit, Paulum ſuadentem. qui ſe non continent, nubant. At qui in hoc ſequitur, ſequatur etiam vota frangentibus damnationem comminantem: *Damnationem*, inquit, *habentes; quia primam fidem irritam fecerunt.* Quare & ijs qui ſe votis non illigârunt, oſtendit Paulus Matrimonium, ſi non ſe contineat: & ijs qui votis adſtricti continere ſe nolint, non matrimonium ſed damnationem intentat.

Vota nulla eſſe pronunciant.

Leges, inquit, per libertatem Euangelicam non tollimus: ſed dicimus magis obediendum eſſe Deo quàm hominibus. Hæc quoq; euaſio nulla eſt. Nam Deus non ſolùm obediri ſibi vult, cum immediatè quid præcipit, ſed etiam cum mediatè hoc eſt per ſuperiores quos ipſe loco ſuo præfecit, nobis imperat. Quamuis enim ſi ij contra expreſſam Dei legem præci-

Parere Magiſtratibus vetant.

piat aliquid, magis Deo obedire oporteat quàm hominibus: tamen cum nil cōtra Dei legem mandant, sed solùm vt omnia honestè & secundùm ordinē fiant in domo Dei; oportet tunc Deo obedire & hominibus, seu vt Paulus ait, *hominibus tanquam Domino.* Euangelici verò omnes leges Ecclesiasticas tollunt, & earum obligationem libertati Euangelij repugnare volunt: vt cùm statis diebus ieiunium indicitur, certi ritus Sacramenta ministrandi, & alia, quæ ad rectum ordinem Ecclesiasticum spectant, præscribuntur: pœnæ Ecclesiasticæ peccantibus assignantur: ista inquiunt libertatem Euangelij tollere. quasi libertas Euangelij sit mera licentia & dissolutio ad quomodolibet viuendum; & non ad liberationem à seruitute peccati & legis veteris propriè pertineat.

Luteri vita testis nō missum illum à Deo esse.

Iam verò maximè Zaborouium pupugit, quòd ea de Lutero scripsi; quæ vti verissima nemo inficiari potest; & illum à Deo non esse missum clarissimè ostendunt. Etenim certissimum est nullum vnquam à Deo immediatè missum esse, qui non esset sanctitate insignis, aut certè esset sceleribus infamis. vt in Ioanne Baptista, & Apostolis perspicuum est. id enim ad diuinæ missionis dignitatem, & ad missionis munera dignè obeunda, pernecessarium est. Cùm igitur liquidò constet Luterum fuisse vita & doctrina infamem: fuit enim & apostata turpissimus, & Monachus excucullatus neque solùm fidem Deo datam ipse violauit; sed & Monialem Deo dicatam sacrilego sibi matrimonio copulauit: suæ qué vitæ non dissimilem doctrinam prædicauit, docens fidem Deo datam in materia castitatis seruandam non esse: & cùm alia præcepta diuina seruatu impossibilia esse; tum illud de castimonia conseruanda: vnde illud (hominis né an pecudis) dictum, *si nō vult vxor, veniat ancilla.* quod in *sermone* quodam *Vitembergensi* quem postea *librum de Matrimonio* inscripsit, castis & pudicis auribus nil deferens, impurus homo publicare non est veritus. Quis tam impurum porcum credit à Deo ad Euangelium Dei nomine prædicandum fuisse missum? Non igitur probra iaciuntur à nobis in Luterum: sed ea verissimè obijciuntur, quæ nemo vel impudentissimus negare potest; cùm Luteri ipsius libris consignata habeantur. Neque omnino nefas est per latus Luteri doctrinam ipsius confodere: cùm plane incredibile sit, & contra Dei omnem morem, hominem tam impurum & nefandum à Deo electum & missum esse. Nam etsi eorum qui ordinarie mittuntur, vitia prædicationi non obstent, vt ex Aug: *epistola ad Hippon.* probat Zaborouius: tamen de extraordinaria missione id concedi non potest, diuinæ qué sapientiæ conueniens non est infames homines eligere extraordinariè ad diuinæ legationis munera obeunda.

Porro cum Zaborouius vera esse, quæ Lutero obiecta sunt, negare non posset;

posset; negare maluit illa mala fuisse, sed rectissima & sanctissima. Non enim, inquit, magnum scelus est cucullam, qua nullus Apostolorum indutus fuit, deponere. Ita dementatos respondere par est. Nunquid enim Apostoli non docuerunt eos condemnationem mereri, qui fidem Deo datam irritam faciunt? Luterus autem cucullam & habitum monasticum perpetuæ pœnitentiæ causa sanctè vouerat Deo: damnationem igitur ex sententia Apostolica incurrit; quia eum contra fidem Deo datam abiecit, & se excucullauit. Liberum erat Apostolis cucullam monasticam non deserre: quia eam vouerant nunquam. at Lutero quia vouerat non erat liberum; præsertim cùm id non ex aliqua causa iusta, sed solius libidinis & incontinentiæ gratia fecerit. Et verò adhuc, Zaboroui, scelus esse impudenter negabis, quod sine damnatione æterna perfici non potest! Neque enim dicere potes votum non sanctè conceptum fuisse: nihil enim sanctius, quàm pœnitentiæ habitum assumere, in eo q; pœnitentiæ legibus adstrictum ad mortem vsq; perseuerare. Audi de hac re Tertullianum auctorem antiquissimum loquentem *lib: de velandis Virginibus. O sacrilegas*, inquit, *manus, quæ dicatis Deo habitum detrahere potuerunt*. Sacrilegus ergo Luterus est, qui Deo dicatum habitum sibi & suæ quam delusit Catarinæ detrahere ausus est.

sacrilegum exuere monastices habitum professos.

Simile est, quod addit Zaborouius: Luterum non sacrilego sed legitimo matrimonio Monialem Deo dicatam sibi copulasse: cùm in antiqua puriori Ecclesia non tanto sceleri verteretur, si Monachus pater liberorum euaderet. Verùm si sanctum fuit Monialem suam castimoniam Deo consecrare; sacrilegum proculdubio fuit eam violare: cùm sacrilegium in rei sacræ violatione consistat. Eris né tam impudens, Zaboroui, vt virginitatem Deo offerre rem esse sanctam perneges? aut seruatu impossibilem asserere audeas? etiam diuina gratia accedente? hanc autem Deus legitimè exoratus nunquã ad sua præcepta seruanda denegat: neque *patitur nos tentari supra id quod possumus; sed facit cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere.* vti luculenter docet Apostolus: *1. Cor: 10.* Quodsi matrimonium esse sanctum affirmes: non ideo tamen quibusdam esse in condemnationem negabis: ijs nimirum, qui *postquam luxuriati fuerint in Christo, nubere volunt.*

Castitatem professis nuptiæ sacrilegæ.

Qua verò fronte asseris, in veteri Ecclesia non tanto sceleri datum fuisse Monachum fieri filiorum patrem: cùm vetus illa Ecclesia à Paulo didicerit eos *condemnationem habere; qui postquam luxuriati fuerint in Christo, nubere volunt: quia primam fidem irritam fecerunt:* & nihil toties in Scriptis Patrum veterum repetitum legimus, quàm castitatis Deo deuotam fidem perpetuò seruandam esse. Adducis sanè Athanasium, Cyprianum, & Augustinum; sed infidelissimè: vt vos omnes soletis Euangelici. Nam cùm

id qué ita semper creditum.

dicere, ideo viduas illas primam fidem irritam fecisse, quia volebant nubere contra primam fidem non nubendi & continendi Christo datam. vt etiam exponit Concilium Carthaginense quartum *Canone 104.* in quo Concilio fuerunt 214. Episcopi: & Concilium Toletanum 4. *capite 55.*

neque fides data in Baptismo. Neq; demum rectè Caluinus interpretatur de fide & promissione data in Baptismo, quam istæ viduæ lasciuiendo & scortando irritam fecerunt. Paulus enim ait, illas primam fidem irritam fecisse nubere volendo post scortationes, non vero scortando. Atqui viduæ illæ in Baptismo nullam fecerant promissionem non nubendi. quare nulla erat causa cur damnarentur nubere volendo, nisi quia actu continentiam vouerant.

CAPVT VI.

Luterum Antichristi regnum non euertisse, at promouisse; verumqué Antichristi præcursorem fuisse.

Luter Antichristi similis TAntùm abest, vt Luterus Antichristi regnum euerterit; vt illud omniũ maxime promouerit. id qué ex ipsius cum Antichristo in doctrina & moribus similitudine ostenditur. De Antichristo enim hoc singulariter narratur in Scriptura, eum futurum in concupiscentijs fæminarum. Id vero Luterus doctrina sua & moribus ità perfecit, vt nihil ad omnem impuritatem

1. Lasciuia. desiderari amplius possit. Nam præceptum *Non côncupisces.* seruatu esse impossibile docuit: vnde omnibus ad libidines illicitas viam aperuit. *Si enim nolit vxor veniat ancilla.* vt *in* fœdissimo illo *sermone,* quem Vitembergæ habuit, ad perpetuum suum & doctrinæ suæ dedecus, pronuntiare & monimentis tradere non erubuit. Sacratis etiam Deo virginibus & Monialibus ac Monachis vniuersis, votum castitatis violare, & fidem Deo datam fallere liberum pronuntiauit: & ipse suo exemplo turpissimus apostata idem comprobauit, quando Monachus cum Monacha sacrilegas nuptias celebrauit.

De Antichristo itidem dicitur in Scriptura eum fore hominem nequissimum, & omnem nequitiam in suis sectatoribus promoturum. Ideo enim vocatur ab Apostolo *Homo peccati, filius perditionis, iniquus, & mysterium*

2. propagatione scelerum. *iniquitatis operans* 2. *Thessal:* 2. Quis vero magis peccata promouit, & ab omni bono homines auertit, quam Luterus? Nam inprimis docuit Deca-

1. logum non pertinere ad fideles Christi; nec magis eos obligare, quàm leges ceremoniales & iudiciales. Sic enim ait *in serm: de Moyse.* & *in caput 4. ep. ad Gal:*

ad Galat. Ex textu, inquit, *clarè patet, quòd etiam decem præcepta ad nos non pertineant*. Si ad nos non pertinent, ergo non sunt seruanda, & sine peccato contemni possunt. Deinde docet præcepta Dei seruatu esse impossibilia. quod etiam docet Caluinus *2. Instit. cap: 7.* § *5.* cum ait, *Legem Dei etiam Sanctis esse impossibilem.* si sunt impossibilia, ergo nullum peccatum est ea transgredi. nemo enim tenetur ad aliquid impossibile. Postea Luterus docet iustum in omni opere bono peccare. *in resolutione contrà Eckium.* & *in assertionibus art 31.* docet etiam opus bonum optimè factum veniale peccatum esse secundùm misericordiam Dei, sed mortale peccatum secundùm iudicium *in assert: art 32.* Si igitur omne opus bonum est peccatum; nullum autem peccatum faciendum est; sequitur nullum opus bonum faciendum esse. Præterea docet solam infidelitatem esse peccatum, & solos incredulos esse damnandos; eum autem qui Fidem retinet damnari non posse. Ita *lib. de capt: Babilon: & lib: de Christiana libert.* At quæ maior licentia ad peccandum fingi potest, quàm sibi persuadere, quicquid contra legem Dei agas, dummodo credas, id pro peccato non imputandum. Adhuc libertatem arbitrij tollit, hominem què ait non posse vias suas facere bonas aut malas. *in assert: art: 36.* Si id ita est, nulla igitur cura habenda est faciendi bona, vitandi mala: siquidem omnia ineuitabili necessitate euenient. Ad hæc nec mala opera nostra erunt digna pœna, nec bona præmio: nullus enim iure pœna affici potest propter id quod vitare non potuit. Tollatur ergo infernus pro malis, cœlum pro bonis. Nec satis hoc illi; Deum facit auctorem malorum, & omnia mala opera operari in nobis *in assert.* suprà. ex quo sequitur nos frustra conari mala vitare: quia diuinæ operationi resistere non possumus; neque debemus.

2. 3. 4. 5. 6.

Tollit deinde Confessionis Sacramentum. quãtam autem vim habeat Confessio ad peccata vitanda, ipsi Luterani experientia docti fassi sunt, cum in Norimbergensi ad Cæsarem legatione Senatus Norimbergensis petijt Cófessionem auricularé restitui: quod ea sublata innumera, & antè nunquã audita peccata exorta essent. Ita refert Sotus *in 4. d. 18. q. 1. ad 1.* qui tũc apud Cæsarem aderat, cùm hæc ageretur. Mirũ vero esset, si Cófessio nihil in se diuinum haberet, posse eam tãtùm ad homines à peccatis coércédos valere: homines enim nisi Dei metu à peccatis vniuersè nó abstinent. Quod etiam Sigismundus Augustus Pol: Rex cófirmauit. cùm nulla alia re tantopere se in Ecclesia & Fide Catholica teneri assereret, quàm Cofessionis Sacraméto, in quo diuinam quandam vim semper experiretur: quòd inusitato quodam timore & terrore, quoties illud Sacramentum accederet, percelleretur. cùm alioqui nullum haberet in terris quem timeret. Negat rursum remanere vllam obligationem 7. 8.

Confessionem restitui petierunt Norinbergenses.

gationem pœnæ temporalis remissa culpa, siue in hac vita luendæ, siue in altera. semper enim remissa culpa totam pænam remitti ait *in assertione articulo quinto.* Quid igitur nos à peccato deterrebit, si & culpæ remissionem sola Fide consequimur; & culpa remissa nullam pœnam timere debeamus? nullus enim restabit timor diuinæ vindictæ. Negat Luterus opera nostra quicquam conducere nobis ad regnum cælorum. Quæ doctrina anne omnium bonorum studium non extinguit? Cur enim in operibus bonis tempus & laborem perdimus, si constat ea nihil esse nobis vtilia ad vitam æternam? Ex his igitur manifestum est cùm omnia quæ esse possunt frena ad peccandum laxauerit Luterus, opus proprium Antichristi egisse; & suam illi operam egregiè nauasse.

9.

3. similis Luter Antichristi arrogantia.

Tertiò de Antichristo legimus fore hominem arrogantissimum, ita vt aduersetur & *extollat se supra omne id quod dicitur Deus 2. Thess: 2. 4.* At quis arrogantiæ spiritu similior Antichristo quàm Luterus? qui omnes Sanctos Patres, & totam antiquitatem præ se contempsit? *Libro aduersus Regē Angliæ*, inquit, *Dei maiestas in me facit, vt nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesiæ Henricianæ contra me starent.* & infra; *Neque enim ego quæro*, inquit, *quid Ambrosius, quid Augustinus, Concilia, & vsus seculorum dicant.* & in *lib: de abroganda Missa priuata* hanc protestationem præmittit. *Protestor*, inquit, *aduersus eos, qui insanis vocibus in me sunt clamaturi. quòd contra ritum Ecclesiæ, contra statuta Patrum, contra probatas legendas, & receptissimum vsum docuerim; horum nihil me auditurum.* Omnes quoq; homines arrogantissimus iste præ se contempsit. ita enim scribit *in lib: aduersus Angliæ Regem*, & alibi. *An non sum ego pretiosus & nobilis vir? imò certè his mille annis vix nobilior fuit sanguis quàm Luterus.* & *Coram mundo ipse quoque probus haberi volo; & sum, adeò vt non sint digni mihi calceamenta soluere.* In *lib: de formula missandi* sic ait; *Si quod Concilium statueret, ac permitteret vtramque speciem; nos nequaquam vtraq; vti vellemus: sed in despectum Concilij eiusq; statuti, aut vna aut neutra vti vellemus, maledicturi vniuersos, qui ex statuto Concilij vtraq; vterentur.* Et in *epistola de sua versione Bibliorum* ait arrogantissime; *Papistam & asinum vnum & idem esse: nec illis aliud*, inquit, *respondeas, quàm, Lutero ita placuit.* & dicit se esse Doctorem supra omnes Doctores in toto Papatu. Cùm igitur constet spiritu Antichristi, qui est spiritus arrogantiæ, non expugnari, sed confirmari regnum Antichristi: consequens est Luterum spiritu Antichristi & arrogantiæ præditum, regnum Antichristi non expugnâsse, sed firmâsse.

Quartò. qui expugnaturi sunt Antichristum & regnum eius alijs coloribus depinguntur nobis in Scriptura, *Apocal: 11.* nempe quòd sint prophe-

tatur[i]

taturi amicti saccis: quòd habeant potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum; & potestatem super aquas conuertendi eas in sanguinem; & percutere terram omni plaga quotiescunq; voluerint. At Luterus non venit indutus sacco & cilicio: nec prophetauit vnquam: neq; vllum miraculum in cœlo aut aquis aut terra edidit: non est igitur è numero eorum, qui sunt expugnaturi regnum Antichristi. *dissimilis oppugnaturi Antichristũ.*

Verùm Luterus, non solum non expugnauit regnum Antichristi; sed cùm illud se iactabat oppugnare, Christi regnum oppugnauit. Etenim cùm Ecclesiam Romanam oppugnandam sibi suscepisset, quid aliud, quàm Christi regum oppugnauit? Aut enim in mundo regnum Christi non est. aut non est aliud, quàm Ecclesia Romana. quod ostendo, vel hoc vnico argumento. Regnum enim Christi nunquam erat interiturum, nec portæ inferi aduersus illud vnquam erant præualituræ. Quæ verò Ecclesia, præter Romanam & Catholicam, ab Apostolorum temporibus, ad nostra tempora cõstans permãsit? nulla certè. hæc enim sola Romanos Pontifices à Petro numerat ad PAVLVM V. modernum Pontificem, in eadem Fide & Religione Catholica perseuerantes: ita vt quæ nunc Fides est in Romana Ecclesia, fuerit ante annos mille. & ab ipsis Apostolorum temporibus. Sola igitur Romana Ecclesia est regnum Christi. quam cùm oppugnauit Luterus, quid aliud, quàm Christi regnum oppugnauit? id qué infelicissimo conatu. Nam quod omnes gentiles, Iudæi, Hæretici, totus infernus hactenus efficere non potuit; multò minùs vnus apostata infelix potuit efficere. 4. *Similis Antichristo oppugnatione Christi regni 1.*

Adhæc certum est ab Antichristo oppugnatũ iri Christi regnum. inter cætera autem tollet *iuge Sacrificium.* ita n. prædixit Daniel. *cap: 12. 11.* cùm de tempore Antichristi loquens ait: *A tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem: dies mille, ducenti nonaginta.* qui sunt anni Antichristi. Neque enim hoc iuge sacrificium intelligi potest sacrificium legis antiquæ: quod idem Daniel prædixit cessaturum in primo aduentu Christi, *in cap: 9. 27.* sed debet necessariò accipi de Sacrificio Legis nouæ: quod non est aliud, quàm Sacrificium Eucharisticum. Cùm enim omnem Dei cultum in Ecclesia & regno Christi sit euersurus Antichristus, tum præcipuè præcipuum cultum, qui est Sacrificium. Quocirca cùm Luterus hunc eundem Dei cultum, & hoc idem *iuge Sacrificium*, in Ecclesia Romana abolere conatus sit, & nunc etiam per suos asseclas conetur persuasus à dæmone, in ea quam cum ipso habuit de Missà disputatione: an non vnâ cum Antichristo regnum Christi non Antichristi euertere conuincitur? quod enim in regno Christi euerteret Antichristus; hoc Luterus fidelissimus ipsius prodromus euertere antè tẽtauit. & per suos ministros nũc tẽtat. *2. quia sacrificium abrogat.*

Romana Ecclesia nunc floret magis.

Denique res ipsa loquitur, Ecclesiam Romanam à Lutero, quam ipse per summam impudentiam & calumniam regnum Antichristi appellat, euersam non esse: tum quia Ecclesia Romana si vnquam hoc tempore & doctrina & sanctimonia & Ecclesiastica dignitate maximè floret: tum quia noui orbis accessio, hoc est innumerarum prouinciarum & regnorum Indiæ, tam in Oriente, quàm in Occidente, non diminutionem Ecclesiæ Romanæ, sed maximam eius amplificationem testatur. ita vt damnum illud, quod Luterus Ecclesiam Catholicam tanquam aper ferus inuadendo illi intulit, per Indiarum ad Fidem Christianam, non Luteranam sed Romanam, accessionem cumulatissime compensatum videatur. Neque enim auditum est à Luteranis, aut quibusuis alijs hæreticis regnum aliquod ad Fidem Christi conuersum, sed potiùs peruersum esse.

Paucos dementauit Luter.

Quare ne Zaborouius quidem asserere ausus fuit à Lutero regnum Pontificis penitùs euersum; sed tantùm aliqua regna & ciuitates liberas à iugo Pontificis abducta. Reuera enim Ecclesia Romana ijsdem quibus ante stat fundamentis; neq; Luteri deliramentis loco mota est: regna vero à Lutero peruersa quid sunt regnorum Catholicorum respectu? nam & in ipsis regnis hæresi Luterana infectis Catholicorum est copia ingens: & plurimi ex ijs qui Catholici non sunt quotidie se misere à Lutero deceptos agnoscunt; & ad matrem Religionis Ecclesiam Romanam supplices tendunt manus: qui pertinaciùs hæresi insistunt, si iusto Dei iudicio in peccato suo moriantur, longam tamen posteritatem non facient; sed vt cæteræ hæreses omnes, quæ per hos mille sexcentos annos innumeræ fuerunt, diu non potuerunt durare, sed breuissimo tempore ita extinctæ sunt, vt nec memoria illarum (nisi in libris Catholicorum habeatur; ita & hæresi Luteranæ euenire necesse est: neque enim illa felicior esse debet, quàm innumeræ aliæ. & lex Dei est, vt quod ex Deo non est cito dissoluatur & euanescat. Religio vero Romana, quemadmodum omnes hæreses hucusq; superauit, ita & de Luterana gloriose tryumphabit, fremente licèt dæmone & ipsius ministris.

Nouus orbis Ecclesiæ Romanæ additus volens.

Iam quod de Indijs commemoraui, cùm refellere Zaborouius non posset, ait: De India mira sed non credenda soletis nobis canere: quippe cùm omnibus constet, vos non prædicatione Euangelij, non miraculorum gloria; sed vi, armis, ferè inermes & seminudos homines non conuertisse, sed potiùs euertisse. Verùm si hoc non credendum existimat, quod vtraq; India ad Christianam Religionem accesserit, nimis temerarius est; de hoc enim nemo nisi rerum ignarus dubitare potest: si verò id non credendum putet, quòd prædicatione Euangelij, non vi & armis coacta, Religionem Christianam sponte complexa sit, etiam in eo fallitur. Nam quod ad Indias

Orientales

Orientales attinet: testis est ille ipse, quem citat, Iosephus Acosta *lib: 2. de procuranda Indorum salute cap: 8.* in ijs vere more Apostolico absque vi & armis Euangelium communicatum esse Indis, Persis, Arabibus, Æthiopibus, Malauaribus, Iaponensibus, Sinensibus, & infinitis alijs. Quod verò ad Indias Occidentales spectat, testatur in *cap: 7.* Lege inuiolabili Regis Hispaniarum sancitum fuisse, ne in vllis expeditionibus Hispani milites Indos vi & armis aggrederentur, nisi ab illis lacessiti & iniuria affecti. Non igitur vis & arma adhibita sunt ad Euangelium acceptandum; sed solùm ad iniuriam propulsandam. Quodsi petulantia vel zelus indiscretus militum in aliquibus locis vltra progressus est quàm liceret (nullum enim vi & armis ad Religionem Christianam suscipiendam compelli posse communis omnium Theologorum sententia est) id neq; ad omnes, sed ad aliquas tantùm prouincias pertinet: neq; vitium aliquorum alijs, qui Euangelico more pluribus alijs prouincijs Euangelium promulgârunt, attribui debet. Expeditiones igitur illæ quæ in India fuerunt, non eo spectabant, vt Indi compellerentur ad Fidem; sed vt ij, qui peregrinandi & visendi mundi studio illas partes intrarent, (quod eis ius gentium licitum faciebat) essent illæsi & securi: atque haberent quo se ab iniuria tuerentur. Deinde vero ne Prædicatores Euangelij, quibus ipse Christus aperuit viam ad omnes gentes, *Ite*, inquiens, *in mundum vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ.* à feris & barbaris ac omnis humanitatis expertibus gentibus quidquam per iniuriam paterentur; & in promulgandi Euangelij iure, quòd à Christo habebant, sæuitia & crudelitate barbarorum non impedirentur: omni interim libertate eis relicta Euangelium prædicatum acceptandi, vel reijciendi. Qualem armorum vsum ad duos prædictos fines iustum esse nemo sapiens negauerit. Etenim si Principum legatos non admittere, eosqué inauditos reijcere, graue quidam & contra ius gentium censetur: quantò magis Prædicatores & legatos Christi inauditos temere reijcere, vel finibus arcere, iniquum & iniuriosum est?

non vi aut armis coacti.

Arma Hispana quid egerint in orbe nouo.

Quum verò nulla miracula intercessisse in Indorum conuersione Zaborouius contendit: satis ostendit in historijs Indicis se hospitem esse & parum versatum. Legisset Torselinum de vita Xauerij Indorum Apostoli, Masseum de rebus Indicis, Petrum Iarricum in thesauro rerum Indicarum, & alios fide dignos Scriptores: qui innumera præsertim Xauerij miracula diuinitus edita commemorant, in morbis curandis, dæmonibus pellendis, mortuis ad vitam reuocandis. Quin & Iosephus Acosta, quem se legisse indicat Zaborouius, *lib: 2 cap: 9.* recenset quatuor militares homines & profanos in Florida Insula post naufragium superstites inter barbaros illos per decen-

Miracula in orbe nouo plurima edita.

nium vixisse ea vitæ innocentia & curationum gratia, vt infinitas populorũ cateruas post se agerent; ita vt penè pro dijs adorarentur à barbaris illis & quicquid imperarent, non aliter quàm de cœlo profectum acciperetur. Dũ vero ex Acosta *lib: 4. cap: 3.* profectum Indorum in Religione Christiana accusat Zaborouius, ea verba ex Acosta adducit, quæ Acosta refellit. Egregia sanè probandi ratio. Nam Acosta non defectum ingenij in Indis agnoscit: sed defectum curæ & ignorantiam idiomatis in ijs qui salutem eorum procurant. Quod etsi in locis quibusdam ita habeat: in plurimis tamen alijs floret nobilissimè Christiana Religio, ita vt cum nostris prouincijs certare possit.

A quo Indi Christum edocti.

Non est, inquit, Zaborouius, quod gloriemini Indos à vobis conuersos esse: fuerunt enim ante Hispanos in India multi Christiani, quorum maiores à Thoma Apostolo & Græcis Christianis Fidem edocti sunt. At non gloriamur, Zaboroui, nos & nostri seculi homines primùm Religionem Christianam in illas oras induxisse. Non enim ignoramus Apostolos in orbe vniuerso, & nominatim in Indijs Thomam Apostolum Christianam Fidem annũtiasse, & Christianos multos fecisse: sed cùm illi Sacerdotibus orbati vix præter nomen aliquid Christiani haberent, nostros homines eodem spiritu Apostolico Religionem Christianam penitùs collapsam in Indijs restaurasse. quæ gloriatio non nostra est, sed Dei. Si enim nobis eam gloriam adscriberemus, insipientes essemus & in Deum iniurij; cuius solius gratia & ope opus tam admirandum perfectum est.

Luter venit nõ ad instaurandum sed euertendum.

Excusat verò Luterum Zaborouius, quòd se ad Indos conuertendos non contulerit. quod nimirum ipsius vocatio non ea esset, vt nouas Ecclesias erigeret, sed vt collapsas restauraret. Verùm neq; Luterus se à Deo excitatũ & vocatum fuisse ad Ecclesias collapsas restaurandas vnquam probare potuit, nisi suo priuato testimonio: neq; id quod fecit cum restauratione habet aliquid commune; sed vastatio & ruina Ecclesiarum dicenda est: denique quod nulli hæreticorum, vix vnquam contigit, vt aliquam Prouinciam ad Fidem Christianam conuerterit; hoc nec Lutero accidere potuit. solis Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ Sacerdotibus ea gloria propria est: quorum opera, quotquot prouinciæ post Apostolos Christianæ esse cœperunt, ad Fidem Christianam adductæ sunt. A S. Adalberto Polonia nostra accepit Fidem Christianam: à S. Bonifacio & Methodio Germania: ab Augustino Anglia. Hæreticorum verò negotium est Ecclesiam turbare nouitatibus, & non triticum in agro Domini, sed quod cacodæmonis officium est in medio tritici superseminare zizania. Neque verò singulari sua prouidentia permittit Deus, vt sub Christi nomine primùm malam Fidem accipiant pro-

uinciæ

uinciæ quàm bonam, nec vt priùs decipiantur quàm conuertantur.

Verùm cùm Zaborouius Indos à Thoma Apostolo ad Fidem esse conuersos non diffiteatur; propter quod etiam ad hæc vsq; tempora Christiani Thomæi appellantur, quasi à Thoma Apostolo Fidem Christianam edocti; adscribam in gratiam Zaborouij, quæ ex Apostolica doctrina Apostolicæ Fidei documenta retineant, quæ ex Osorio alijs qué rerum Indicarum Historicis Petrus Iarricus in suo rerum Indicarum thesauro *lib 2. cap: 18.* collegit. Nam & Christi Domini, & Deiparæ Virginis, aliorum qué Sanctorum festa, dies qué Dominicos rite celebrant. In sacris ædibus, in quibus Dominicis diebus festis qué conueniunt, vt sacris intersint, psalmodiam decantant: has dum subeunt aqua se conspergunt lustrali: infantes nonnisi quadragesimo post ortum die Baptismo tingunt; quem tamen, si quod forte discrimen adeant, præuertere nefas non ducunt: sacros Sacerdotij alios qué ordines ex Ecclesiæ præscripto conferunt, sed sæpe pueris; quod Episcopi in Syria plerumq; commorantes rariùs diœceses obeant; & si quando has lustrant, ne sensim deficiant Sacerdotes, etiam pueros initient: non priùs tamen Sacerdotum exercere functiones, quàm ad plenam ætatem peruenerint, concedunt. Rasum Sacerdotes habent verticem, non quidem in orbem, sed in crucis formam. Panem oryza confectum, & vinum vuis passis expressum consecrant: Laici sub vtraq; specie communicant; priùs tamen noxarum piaculorum q; confessione Sacerdoti facta ad hoc se dispo-nunt: Deum pro defunctorum incolumitate deprecantur: Aduentus Domini & Quadraginta dierum solenne ieiunium diligenter obseruant: Calendarium simile nostro habent, annumq; intercalarem; kalendis Iulij D. Thomæ festiuitatem magna pompa agunt.

Indorum Religionis dogmata.

En quæ vestigia Sanctæ & Apostolicæ institutionis, ad hæc vsque tempora conseruata. Nam quod deinde à Nestorianis Episcopis ex Syria superuenientibus hauserant; beatam Virginem nec Deiparam fuisse, nec post partum virginem mansisse: id non in Thomæ doctrinam, sed in suos auctores, hoc est Nestorianos, referunt. alioqui Fides de B. Virgine, quam à Thoma hauserant, fuit eadem quæ Catholicorum omnium. vt ex eo quod subiungam patebit.

Etenim inuenta est à Lusitanis nostro seculo antiquissima Crucis imago in tabula marmorea insculpta S. Thomæ sanguine respersa, quæ è terra eruta Meliaporæ, in eo loco quo Apostolus telo confossus occubuit, in altari collocata cernitur. quæ quotannis, octo ante Christi Domini, tribus ante Apostoli Thomæ natalem diebus, vberem sudat sanguinem Missæ tempore, simul atque à Sacerdote cœptum Euangelium est ad finem vsq; Missæ. quo

Prodigium perpetuum in tabula sanguine Thomæ Apost: aspersa.

etiam tem-

etiam tempore colorem sensim immutat: primùm è candido in pallidum, deinde e pallido in atrum, tum ex atro in cæruleum, ad extremum Sacrificio peracto ad natiuum redit colorem. Quæ res cùm ibi quotannis omnium oculis cernatur, & publicis tabulis consignata sit, atq; etiam multorum de Societate IESV Patrum, quibus sacrificantibus idem prodigium contigit, testimonio constet: nullo modo in dubium reuocari potest, nisi ab ijs, qui ne si quidem proprijs oculis viderent videre se crederent. Porrò in ea tabula exarati hieroglyphici characteres cernuntur; qui à Brachmano linguarum istic peritissimo vulgari sermone redditi hunc continent sensum;

Inscriptio tabulæ in India antiquissima

TRIGESIMO POST LEGEM CHRISTIANAM IN MVNDO PROMVLGATAM ANNO, VIGESIMO PRIMO MENSIS DECEMBRIS, MELIAPORÆ DEMORIRITVR APOSTOLVS THOMAS. VBI DEI VIGVIT NOTITIA, LEGIS SECVTA MVTATIO, ET DIABOLI VIS DESTRVCTA. DEVS NATVS EST E VIRGINE: TRIGINTA ANNOS ILLIVS PARVIT IMPERIO: ATQVI HIC ÆTERNVS ERAT DEVS. IDEM IPSE DEVS LEGEM SVAM DVODECIM APOSTOLOS DOCVIT; QVORVM VNVS MELIAPORAM VENIT, VIATORIO INSTRVCTVS BACVLO (huius baculi frustum, vnâ cum lanceæ cuspide & vase terra sanguinea oppleto, inuentum est à Lusitanis, simul cum corpore S. Thomæ ibidem) QVO LOCO, ET TEMPLVM EXTRVXIT. REX PORRO MALABARVM COROMANDELIS, PANDINVS. ALIIQVE DIVERSORVM NATIONVM ET SECTARVM, SPONTE SVA ET VLTRO, SANCTI THOMÆ VIRI S. ET POENITENTIS LEGIBVS SE SVBIECERE. AFFVIT TEMPVS QVO BRACHMANARVM MANIBVS THOMAS OCCVBVIT, ET SANGVINE SVO CRVCEM FECIT. Hæc ex Osorio 3. *de rebus Emmanuelis*, Barrio *decade tertia*. Petro Maffeo *lib: hist: Indicarum 12.* Petro Iarrico suprà, testata habentur.

Testis dogmatum Christianorum antiquissimorum.

Ex quibus colligo contra Zaborouium & nouatores omnes antiquissimum ab Apostolicis temporibus vsum Imaginis Crucis Christi, templorum, altarium, Sacrificij Missæ, precationum pro defunctis, ieiunij Aduentus & Quadragesimæ, Confessionis Sacramentalis, Sacerdotum rasuræ, Ordinationis Sacerdotum, Baptismi paruulorum, aquæ lustralis, festorum Christi & Sanctorum. quæ quia obseruant illi Christiani, dicuntur Christiani Thomæi. vnde & tabula illa marmorea sanguine Apostoli respersa, & diuino

Prodigiũ huius causa.

uino quotannis prodigio approbata, templi ab Apostolo erecti meminit. Quorsum autem prodigium illud spectet nemo non videt: nempe ad conciliandam sanguini Apostolico, quo tabula illa respersa fuit, venerationem; & Euangelio quod ille prædicauit, Missæ qué pro qua celebranda templum erexit, auctoritatem. Neque enim finis miraculi aliunde meliùs colligi potest, quàm ex eo effectu, quem in hominum animis factum repetitum ué ingenerat. Atqui Lusitani & Indi Christiani, cùm illi sacrificio intersunt, in quo prodigiū illud quotannis repetitur, singularem religionem & reuerentiam ex illo prodigio concipiunt, tum erga Apostolum quem inuocant, & cuius sanguinem tanquam pro Deo fusum venerantur; tum erga Missæ sacrificium, in cuius celebratione Deus illud miraculum operatur. Consequens igitur est ad eum finem prodigium illud spectare. alioqui dicendum esset Deum, aut frustra edere illud miraculum, aut superstitionem & falsum ritum illo miraculo fouere: quorum neutrum sine blasphemia dici potest. *Prodigij huius causa.*

Scio quid aduersarij dicturi sint: nempe nulla miracula cōtra verā Fidē & Euāgelium vim habere. at ea responsio vera esset, si diuino testimonio cōstaret Fidem Euangelicorum esse Fidem veram; & Euangelium vt ab Euangelicis exponitur esse verum Euangelium: hoc enim modo Paulus ait: *Etiamsi Angelus de cœlo euangelizet, præterquam quod euangelizatū est, non esse illi credēdum.* At cùm Fides Euangelicorum, & Euangelium vt ab illis exponitur, nullo diuino testimonio constet esse verum Euangelium, sed opinione tantùm & testimonio ipsorum; non possunt ea responsione vti: cùm qué Deus miraculo dirimit inter nos & ipsos controuersiam; & declarat nostrum non ipsorum Euangelij sensum esse verum; proculdubio testimonium hoc diuinum nullo modo est reijciendum. *Prodigium hoc pro nobis facit magnopere.*

CAPVT VII.

Concluditur Ministros Luteranos & Caluinianos à Deo missos non esse.

EX his, quæ hactenus de missione dicta sunt, manifestè concluditur Ministros Euangelicos nullo modo esse à Deo ad Euangelium prædicandum missos. Nam neque à Deo immediatè se esse missos probare possunt, nisi priuato suo testimonio; quale testimonium Christo teste non est verum; seu pro vero non habendum: neque à Deo mediatè, hoc est, per homines legitimè missos. Nam etsi moderni eorum Ministri se à suis superintendenti-

Superintendentes cacägelici non missi ad prædicandum.

bus missos esse probare possint; tamen cùm hoc sit mitti à non missis, talis missio inanis est & pro nihilo habenda. quomodo enim qui missus non est, & alios mittendi legitimã potestaté non habuit, alios mittere legitimè potest?

Nam si de Magistratu ciuili sit quæstio: is ad functiones Ecclesiasticas mittendi potestatem non habet. præsentare quidem Ministros Magistratui Ecclesiastico potest; & dare illis testimonium virtutis & probitatis potest; vti in Ecclesia factitatum est; & fit etiamnum: at conferre illis potestatem ad Ecclesiastica munera & functiones, qualis est potestas prædicandi verbi Dei, non potest. nemo enim dat quod non habet. Si verò de Ministrorum Magistratu sit sermo: talis Magistratus non à Deo, nec ab Ecclesiasticis personis ad id legitimam potestatem habentibus, creatus est; ac proinde diuinam & spiritualem potestatem nullam habet, nec potest eam alijs conferre. Potestas enim ad prædicandum ex professo Euãgelium spiritualis est, sicut & functio ipsa. Quis enim, quæso, Magistratum primũ in Synagoga Luterana creauit? Si Magistratus ciuilis, talis creatio nulla est, & prorsus illegitima. Si Ecclesiasticus: at ante primum Magistratum Luteranæ Synagogæ nullus erat Magistratus Ecclesiasticus Luteranus. alioqui ille non fuisset primus, si ante illum alius prior esset. Luterum forte appellabunt, quem ab Episcopis Catholicis esse ordinatum constat: at neq; esse ordinatum est esse missum ad prædicandum Euangelium; cùm hæ potestates sint diuersissimæ: & ignorantissimè à Zaborouio confunduntur: neq; qui à Catholicis Episcopis ad prædicandum mittuntur, censentur mitti ad Euangelium quocunque sensu prædicandum; sed solùm ad Euangelium Catholico sensu; hoc est omnium seculorum totius antiquitatis sensu docendum. Et sicut qui ad vnum quiddam faciendum mittitur, ipse verò aliud quid facit, non potest iure & potestate missionis legitimæ gloriari. quia potestate missionis non vtitur, sed abutitur; non enim id ad quod missus est facit; sed aliud ad quod missus non est: ita Luterus cùm ad Euangelium Luterano sensu prædicandum missus non esset, sed sensu Catholico; non potest legitima missione gloriari; quia id ad quod missus est non fecit, sed aliud, ad quod missus non est, faciendum sibi vsurpauit, & potestate missionis abusus est.

nec à ciuili Magistratu, nec à sacro.

Luter à nullo missus ad hoc quod docuit.

Neque dicere possunt Luterum verum verbum Dei, non Pontificium, prædicasse. Nam vt omittam Luteri tantùm testimonio esse verum Dei verbum quod ab ipso prædicatum est: hoc solum vrgeo, ad illud eo modo quo ipse prædicauit prædicandum missum non esse; ac proinde ad illud missionis diuinæ testimonium non habere. vnde etiam concludo non fuisse illud verum verbum Dei: nemo enim credendus est verum verbum Dei prædicare, qui legitimè ad id munus missus non est, dicente Apostolo; *Quomodo prædicabunt*

nec testimoniũ missionis suæ affert vllum.

babunt nisi mittantur? Neque etiam euadit, cùm respondet Zaborouius Luteri vocationem, cum ab Episcopis Catholicis mitteretur, non fuisse veram vocationem, sed vocationis cadauer quoddam; Christo vero vocante, & spiritum suum illi infundente, cœpisse esse veram & viuam vocationem ad lógè nobiliores functiones. Etenim si illa vocatio, quæ erat ab Episcopis Catholicis, non erat vera vocatio, pro nihilo habenda erit; & concedendum omnino Luterum vocatione legitima, quæ est ab Episcopis & legitimis Pastoribus Ecclesiæ, caruisse. Cum verò addit, illum à Christo ad meliores & nobiliores functiones vocatum esse, dicit & non probat; sed nec probare vllo diuino testimonio potest; dicenti autem sine vlla probatione nulla fides est adhibenda. sic enim quilibet nebulo posset fingere se esse à Christo missum, & hominibus illudere.

Missus est, inquit, Luterus ad prædicandum, non Ecclesiæ Romanæ, sed Ecclesiæ Apostolicæ sensu. At verum quidem est Luterum, cùm Catholicus esset, ad prædicandum Ecclesiæ Apostolicæ sensu missum fuisse; sed non illius Ecclesiæ Apostolicæ, quam sibi fingunt Euangelici, verùm quam tota antiquitas agnoscit & testatur esse Apostolicam; qualis est Ecclesia Romana. Quocirca ad prædicandum illius fictæ Ecclesiæ Apostolicæ sensu Luterus missus non est: ac proinde ad prædicandum tale Euangelium, quale de facto prædicauit, missus non est. Deniq; cùm Luterus omni potestate ad prædicandum Euangelium propter apostasiam à Fide, & propter excommunicationem, priuatus esset; nihil illi prodesse potuit prior illa missio, qua legitime spoliatus est. Ad hoc respondet Zaborouius: Luterum suam potestatem amittere nunquam potuisse: quod probat nostrorum testimonio, qui docent potestatem Ordinis amitti non posse. Verùm ista ignorantia est, non responsio. Nam potestas ad prædicandum, non est potestas Ordinis: cùm hæ potestates functionibus sint distinctæ. vnde & qui ordinati non sunt, ex auctoritate Ecclesiæ prædicare possunt: & qui ordinati sunt, potestate prædicandi carere possunt.

Habuerat ius docendi Catholicè.

quod amisit per apostasiã.

Luteri hoc pestilens dogma est: Omnes, quotquot baptisati sunt, Sacerdotes esse & potestatem Sacerdotalem habere, non solùm ad Sacrificia Spiritualia offerenda, de quo nulla est controuersia; sed etiam ad Sacramenta ministranda, ad ligandum & soluendum, ac concionandum. ad hæc enim omnes potestatem accipere in Baptismo ille ipse Luteri locus, quem Zaborouius adducit *ex sermone de Dominica proxima Paschatis in Ioan: 20.* luculenter testatur. propter ordinem tamen non debere quenquam hanc potestatem exercere, nisi eum qui sit ab Ecclesia destinatus: *Alioqui*, inquit, *si omnes simul Sacramenta porrigere velimus, quis futurus esset ordo? Si omnes si-*

Luteranis omnes sacerdotes, & docendi auctoritatem habent.

 nes si-

Sacerdotio Catholico se tueri nequeunt.

nes simul concionari; qualis ranarum coaxatio? Cùm verò vrgeo: Luterum ex eo quòd Ordinationem Catholicam abnegauit, neq; vsum esse potestate illa; neque si vti voluisset id ei prodesse quidquam potuisse: respondet Zaborouius illum non Presbyteratum sed idololatriam eiurasse: nec vsum legitimum ministerij, sed abusum abnegasse. At erroris Zaborouium conuincit Luterus, & alij sectatores Luteri qui non semel Ordinationem Catholicam tanquam Antichristi notam, & bestiæ Romanæ characterem, & ludibrium, & irritam ac inualidam Ordinationem detestati sunt. vti *in Nodo Gordio in secunda demonstratione* ostendimus. Denique non potest dicere Zaborouius, ex vera prædicatione Luterum suam missionem probasse. Nam Pauli testimonio; *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* perspicuum est neminem ad prædicãdum admitti debere nisi fuerit missus; priusq; probandum esse missionem quàm prædicatio audiatur: cùm eius veritas ex missionis testimonio (quòad nos, vt illi credere teneamur) multùm dependeat. nemo enim nisi stultus ei Fidem adhibet, qui se ab aliquo missum nudis verbis & absq; alia probatione affirmat.

CAPVT VIII.

Ministros Euangelicos, cùm non sint rite consecrati & ordinati, veros Ministros Christi non esse.

Ordo in Ecclesia Sacramentum est.

VEros Christi Ministros rite consecrari & ordinari debere ita manifestum est, vt probatione non egeat. Nam & Christus sanctificatus missus est à Patre, *Ioan: 10.* & Apostoli cùm mitterentur à Christo acceperunt Spiritum sanctum *Ioan: 20.* & Episcopi ab Apostolis ordinati per impositionem manuum accipiebant gratiam Spiritus Sancti *1. Tim: 2. & 2. Tim: 1. 6.* vbi ea gratia vocatur spiritus virtutis, dilectionis, & sobrietatis. Ad quem etiam modum Presbyteri ab Episcopis per impositionem manuum ordinati accipiebant gratiam Spiritus sancti. impositio enim manuum qua ordinabantur fideles ad opus Ministerij, secum ferebat gratiam Spiritus S.

Quocirca Augusti. *lib: 2. contra Parmenianum cap: 13.* agens de Baptismo & ordinatione dicit vtrumq; esse Sacramentum; & neminem de ea re dubitare. quia nimirum semper in Ecclesia persuasissimũ erat Ordinatione sanctificari & consecrari homines à Deo, & ideo merito dici Sacramentum.

tum. Hæc autē ſanctificatio, quæ in Ordinatione confertur, conſiſtit primùm *quid affert.*
in collatione poteſtatis cuiuſdam diuinæ, tum ad conficiendum Sacramen- 1.
tum Corporis & ſanguinis Domini, iuxta illud; *Hoc facite.* quibus verbis Chriſtus Apoſtolos fecit Sacerdotes, eiſquē poteſtatem conficiendi Sacramentum Corporis & Sanguinis ſui conceſſit: tum ad remittenda & 2.
retinenda peccata, iuxta illud; *Ioan: 20. Accipite Spiritum ſanctum. quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Vtraque verò poteſtas cùm amitti nunquam poſſit, Ordinatio quoq; repeti nunquam poteſt: ſicut nec Baptiſmus, in quo poteſtas percipiendi Sacramenta ſimiliter confertur, & characteris nomine ſignificatur. Deinde conſiſtit conſecratio in collatione gra- 3.
tiæ ſanctificantis ad dignè obeunda munera Miniſterij, quam reſuſcitari Paulus in Timotheo cupiebat. Ex quo apparet quantùm diſtet conſecratio *differt à ve-*
Miniſtrorum in lege noua à conſecratione eorundem in veteri lege. Ve- *teri.*
tus enim lex, neq; ſanctitatem internam, neque poteſtatem vllam diuinam hominibus conferebat: & idcirco conſecratio illa externa tantummodo erat in certis ritibus à Deo inſtitutis conſtituta. At in lege noua, cùm ad diuinas quaſdam functiones, quæ humana vi præſtari non poſſunt, Miniſtri ordinentur, interna ſanctificatione Ordinatio perficitur.

Mirum verò eſt, quid Zaborouio in mentem venit dicere! Stante politia Eccleſiæ Miniſtros rite conſecrari & ordinari debere: vbi verò ſtatus Eccleſiæ collapſus fuerit, non omnia ſemper adhiberi poſſe in ſolenni Ordinatione adhiberi ſolita. Si enim id ita intelligat, vt in collapſa Eccleſia exiſtimet abſq; Ordinatione poſſe quem eſſe verum Presbyterum aut Epiſcopū; rem prorſus incredibilem & planè falſam aſſerit. Inauditum enim à ſeculo Apoſtolorum eſt aliquem eſſe pro vero Presbytero habitum, qui à nemine fuerit ordinatus. Nam quod dicit non poſſe in ſtatu Eccleſiæ collapſæ omnia adbiberi, quæ ad ſolennem Ordinationem requiruntur, primùm id falſum eſt. quid enim eſt quod adhiberi non poſſit? nam qua ratione adhibetur vnum, adhiberi poteſt & aliud. Deinde ſi illa, quæ non adhibentur, ſint Ordinationi eſſentialia; nulla erit Ordinatio: & ordinatus non erit verus Presbyter aut Epiſcopus: neq; miniſteria Presbyteri aut Epiſcopi poterit in Eccleſia exercere. Nemo enim poteſt aſſumere *ſibi honorem* Pontificis aut Presbyteri *niſi qui vocatur à Deo ſicut Aaron.* qui rite fuit à Deo ad munus ſummi Pontificis conſecratus. Si verò non ſint eſſentialia; ſine illis poterit conſiſtere Ordinatio, quantùm ad verum Presbyterum aut Epiſcopum conſtituendum requiritur. Et ſic in ſtatu collapſæ Eccleſiæ omnia eſſentialia, quæ in ſolenni Ordinatione adhibentur, adhiberi poſſunt.

ſine ea conſecratione ſacerdos eſſe nō poteſt.

Exemplum verò quod adducit Amos, quem Deus à paſcendo pecore

 auulſum

auulsum ordinaria ceremonia minimè adhibita prophetare compulit, nihil ad rem facit. Nam neq; vlla certa ceremonia Prophetæ consecrabantur; sed varijs modis, quibus Deo placuit, ad prophetandum excitabantur. vt suprà documus: neque nos agimus de ordinatione ad prophetandum, quod sola Dei voluntate & dicendorum commissione perfici potest; sed de Ordinatione Presbyterorum & Episcoporum, quibus ceremonia certa à Deo præscripta est qua consecrentur; dicimusquè ea non adhibita nullum posse dici verum Presbyterum, aut Episcopum; sicut non adhibita aqua in Baptismo,& certa verborum forma, nullus dici potest verè baptisatus. Si tamen Dei potentia absoluta spectetur: is, quemadmodum in producendo effectu Sacramentorum, non pendet à forma & materia Sacramentorum; ita & in Ordinatione potest sine ceremonia solenni sola sua potentia id conferre Presbytero & Episcopo, quod illius ceremoniæ interuentu conferre solet. verùm id cùm euenit, nonnisi solius Dei testimonio constare poterit.

Prophetiæ & sacerdotij ratio diuersa.

Verùm vti certum est sine Consecratione & Ordinatione neminem esse in Ecclesia verum Presbyterum & Episcopum, ita non minùs certum esse debet nullos apud Euangelicos esse veros Presbyteros aut Episcopos; quod veris Episcopis, à quibus solis Presbyteri ordinari possunt, careant. Nam vel eos Presbyteros habent; qui à Catholicis Episcopis sunt consecrati: vel quos ipsorum Ministri consecrant. Si primum asserant; hi ad Euangelicos Ministros nullo modo pertinent. Presbyteri enim ab Episcopis Catholicis ritu Catholico consecrati sunt veri Sacerdotes ad Sacrificium verum & reale Corporis & Sanguinis Domini offerendum, & remittenda iudicialiter in Confessione peccata, ordinati. vti ex ritu & forma Ordinationis Catholicæ manifestum est. Hæc autem Ordinatio nihil ad Ministros Euangelicos pertinet, cùm tales functiones penitùs non admittant; & eas tanquam idololatriæ plenas detestentur; & nullo modo in actum deducant: alias porrò habent functiones Euangelicas, quibus nihil est cum his commune; neq; in Ordinatione Catholica ad eas exercendas potestas confertur. Nihil igitur prodest Euangelicis ministris Ordinatio Catholica: cùm potiùs euertat illorum ministerium; & eam quam Ministri non admittunt potestatem conferat; aliam verò conferat nullam. Nihil enim confertur in Ordinatione, quod forma Ordinationi præscripta non exprimat: atqui potestatem ministerij Euangelici non exprimit, sed tantùm potestatem Ministerij Catholici, quare nec confert.

Sacerdotium Euangelicis nullum à Catholicis.

1.

2.

3. Adhæc, aut Ordinatio Catholica est vera, aut non est vera. veram dicant: ipsorum igitur Ministri non erunt veri Ministri; quia illorum ministerio Catholica Ordinatio non solùm non seruit, sed etiam repugnat; quia

contra-

contrariam ministerio Euangelico potestatem confert. Si verò negent esse veram, negare quoque debebunt suos Ministros esse verè ordinatos, quatenus à Catholicis Episcopis & ritu Catholico sunt ordinati. Et sane quis dixerit Episcopos Catholicos consecrare & ordinare aliquem in ministrum Luteranum vel Caluinianum potestatem illi Ministrorum Luteranorum aut Caluinianorum concedendo? hæc tam inopinata sunt, vt risu potiùs quàm vllis argumentis refutari debeant. Ordinatio enim Ministri in communicatione potestatis ad opus Ministerij consistit. Cùm ergo Episcopi Catholici non conferant potestatem à se ordinatis nisi ad Sacerdotij functiones; hoc est, ad consecrandum & offerendum Corpus Christi in altari, seu Missæ celebratione, & ad absoluendos fideles à peccatis; neque præter hanc vllam aliam potestatem conferant: nullo modo potestatem Ministrorum Euangelicorum propriam illis conferre existimari possunt.

Iam si dicant, Ministros suos esse ab Euangelicis Ministris rite consecratos & ordinatos: Primùm ostendere debebunt, à quibus illi Ministri consecrantes consecrati sint. Nam si ipsi consecrati rite non fuerunt, alios quoque consecrandi potestatem non habuerunt. neque enim Laicus Presbyterum facit: iuxta illam communem regulam; Nemo dat quod non habet. Quæro igitur, an primus Minister Euangelicus fuerit rite consecratus & ordinatus ad presbyteratum Euangelicum? & ostendant à quo? Nam dicere non possunt à Ministro Euangelico primum Ministrum ordinatum esse: quia ante primum Ministrum nullus erat prior, alioqui ille non fuisset primus. Si verò dicant ab Episcopo Catholico ordinatum esse: iam ostensum est Episcopos Catholicos non conferre Presbyteratum Euangelicum sed Catholicum; nec facere alios Presbyteros nisi Sacerdotes; nec illis conferre aliam potestatem nisi Sacerdotalem, qua Missas celebrent & confitentes à peccatis absoluant. vt ex forma verborum, quibus Ordinatio Catholica perficitur, perspicuum est. Nullo igitur modo sunt rite consecrati: cùm neq; à non consecratis possit esse legitima consecratio: neque ab Episcopis consecratis alia habeatur consecratio, nisi ad Sacerdotium, quod presbyteratui Euangelico repugnat. Consequens igitur est Ministros Euangelicos esse meros Laicos, nec vllam legitimam potestatem, ad quam rite consecrati sint, habere.

nullum à Luteranis. &c.

Nam si respondeant, vti respondere solent, Luterum Presbyterum fuisse rite consecratum & ordinatum, aliosque ordinare potuisse: id iam refutatum est. Nam neque verum est simplicem Presbyterum nisi sit Episcopus ordinare alios posse, vt mox ostendam: neque si hoc concederetur, consequens esset Luterum aliam potestatem in Ordinatione alijs dare potuisse, nisi eam

nullum à Lutero. 1. 2.

nisi eam quam ipse in sua Ordinatione accepit. ad quam enim potestatem ipse ordinatus non fuit, eam alijs quoque communicare non potuit. Cùm igitur in sua Ordinatione non aliam potestatem quàm sacerdotalem, nempe ad Missas faciendas accepisset: non aliam quoque potestatem alijs com-
3. municare potuit. Atqui potestatem sacerdotalem ad Missas celebrandas Luterus suis Ministris non communicauit, sed aliam ab ista distinctam, quam in sua Ordinatione non acceperat: ergo non legitimè Ministros ordinauit. quia eam potestatem, secundùm quam rite ordinatus est, Ministris non contulit; contulit vero aliam, secundùm quam ipse rite ordinatus non fuit.

Sacerdotes sunt solùm ad sacrificandum & remittenda peccata retinenda ve.

At, inquit Zaborouius, quod Romana Ecclesia intendebat in Ordinatione dare potestatem Missas celebrandi, abusus fuit: legitimus verò ministerij vsus est Verbum Dei purè prædicare, & Sacramenta rite administrare. *Math: 28. 19.* Non enim ad sacrificandum, sed ad prophetandum Ministris gratia Dei confertur. *1. Tim: 4. 14.* Verùm, Zaboroui, si Episcopi Catholici in Ordinatione sua non intendunt aliam potestatem conferre, quàm Missas celebrandi & à peccatis absoluendi; & hæc potestas secundùm vos non est à Christo instituta, sed abusus quidam Ordinationis; reuera neque ipsi faciunt Ordinationem legitimam; neque vester Luterus ab ipsis ordinatus fuit verè & legitimè ordinatus: siquidem, vt vos dicitis, non erat ea Ordinatione quam Christus instituit ordinatus.

Luteranum Caluinianũquė Ministerium contrarium sacerdotio Catholico.

Caditis igitur causa. quia ostendere non potestis, à quo fuerit quoad illam aliam potestatem Ministerij Euangelici Luterus ordinatus: & quis illi contulerit Presbyteratum Euangelicum; cùm is à Catholico sit longè diuersus. Neque enim à Catholicis Episcopis vlla alia potestas in Ordinatione confertur, nisi ea quæ in forma Ordinationis exprimitur; & non exprimitur nisi potestas Sacerdotalis: nulla igitur alia confertur. quare potestas Ministrorum Euangelicorum, cùm non sit Sacerdotalis, ex Ordinatione Catholica deduci non potest. Etenim, quemadmodum in alijs Sacramentis, qui formam alicuius Sacramenti non seruat, sed aliam pro ipsa substituit, non censetur Sacramentum illud validè conferre, cùm Sacramentum sine sua materia & forma non possit subsistere? vt si quis in Baptismo non adhibeat illam formam verborum; *Ego te baptizo. &c.* vel pro illa precem substituat *Pater noster;* is, etsi infantem aqua perfundat, verum & validum Baptismum non confert: ita & in Ordinatione, qui veram formam Ordinationis, qua explicetur potestas quæ in Ordinatione confertur, non seruat, nullo modo validam ordinationem facit. Si igitur forma illa Ordinationis, qua potestas Missas celebrandi exprimitur, non sit vera forma, nec veram potestatem contineat; proculdubio, qui tali forma fuerint ordinati, non erũt

verè

vere ordinati. quare nec Luterus tali forma ordinatus erat verè ordinatus. Cùm vero aliam ordinationem Luteri proferre non poteſtis, compellimini concedere Luterum ad Euangelicorum Miniſtrorum Miniſterium, ſeu ad Presbyteratum Euangelicum rite ordinatum non fuiſſe.

Nunquam Catholici ſine vero ſacerdotio.

Adhæc ſi forma Ordinationis Catholicæ eſt, vt tu dicis, abuſus Ordinationis. & in Eccleſia nunquam ab hominum memoria audita ſit alia forma Ordinationis præter eam, qua Ordinati Sacerdotes conſtituerentur cum poteſtate Miſſas celebrandi: ſequitur, quod abſurdiſſimum eſt, nunquam in Eccleſia fuiſſe veram Ordinationem; nec Presbyteros vnquam verè ordinatos. Non fuit igitur verè ordinatus Auguſtinus, Ambroſius, Gregorius, Hieronymus, Latinæ Eccleſiæ prima lumina: neque Græcæ Eccleſiæ Doctores, Chryſoſtomus, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, & Niſſenus. quia iſti & Miſſas celebrârunt: & ritus Miſſæ faciendæ præſcripſerunt, vt patet in Miſſa Ambroſiana & Gregoriana, ac in Liturgijs Sancti Chryſoſtomi, & S. Baſilij: & ad eas celebrandas in ſua Ordinatione poteſtatem acceperunt. Inſpice vtriuſque Eccleſiæ ordinandi ritus: & videbis, etſi in alijs ceremonijs accidentarijs differant, in forma tamen Ordinationis conueniunt. Nam quæ in Eccleſia Latina forma Ordinationis eſt; *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſaſquè celebrandi, tam pro viuis quàm pro defunctis, in nomine Domini;* eam in Concilio Florentino Græci quoque & Armeni, tanquam ſuæ non diſſimilem recognouerunt. Denique Patres citati, cùm primis ſexcentis poſt Chriſtum annis vixerint, (quæ ſecula purioris Eccleſiæ ab aduerſarijs eſſe cenſentur) eius auctoritatis ſunt, vt dubitare de illorum fide fas non ſit.

Nulla alia eius forma quàm Catholicis vſitata.

Proferat Zaborouius ex tota antiquitate formam ordinandi aliam, quæ poteſtatem Sacerdotalem non explicet, & euincet. quodſi nihil tale proferre poteſt, temerarius eſt, cùm nouam ſacræ Ordinationis formam confingit, quam tota antiquitas ignorauit. Nam quod ex *Matth: 28. 19.* adducit; *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos:* eo in loco, nec Ordinatio Apoſtolorum inſtituitur ſed miſſio (erant enim iam antè ordinati, tam ad Euchariſtiam conficiendam & offerendam, illis verbis; *Hoc facite*, vt tota ſenſit antiquitas: quàm ad remittenda peccata *Ioan: 20.*) nec forma Ordinationis præſcribitur: nec omnes miniſterij partes explicantur. vbi enim cõficiendæ & miniſtrandæ Euchariſtiæ ratio? vbi remittendi & retinendi peccata modus? vbi Ordinatio miniſtrorum per manuum impoſitionem? & alia plurima? Solùm eo loco docendi & baptizandi fit mentio: ad quos tamen actus iure diuino Ordinatio non eſt neceſſaria: cùm etiam is, qui in Presbyterum ordinatus non eſt, poſſit ab Eccleſia poteſtatem docendi accipere; & in ne-

& in necessitate validè baptizare. Non igitur ibi proprij Ordinatorũ actus recensentur, sed qui sunt illis cum non ordinatis communes.

neque ad prophetandum. Illud verò quod ait Zaborouius, non ad sacrificandum, sed ad prophetandum Ministris gratiam Dei conferri, *1. Tim: 4. 14.* non multum cum Apostoli verbis consentit. Neq; enim Apostolus Timotheo scribit gratiam illi fuisse datam ad prophetandum, vt falsò citat Zaborouius; sed per prophetiam. *Noli*, inquit, *negligere gratiam, quæ in te est: quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij.* Per prophetiam autem dicit illi datam gratiam, id est, per reuelationem, vti communiter Interpretes exponunt. & Paulus seipsum explicat *1. Tim: 1. 18. Hoc*, inquit, *præceptum commendo tibi, secundùm præcedentes in te prophetias.* hoc est, secundùm reuelationes de te ordinando habitas; vt illis reuelationibus respondeas; & talis sis in officio, qualem te futurum reuelatione accepi. Itaque illud *per prophetiam* idem valet quod secundùm prophetiam.

CAPVT IX.

Falsò asserit Zaborouius, Presbyterum esse iure diuino parem potestate Episcopo.

Sacerdotum & Episcoporum potestas non est par. VT suorum Ministrorum ordinationem stabiliat Zaborouius, probare contendit Luterum; cùm Presbyter ritè ordinatus esset, potuisse alios Ministros creare & ordinare. Existimat enim posse presbyterum iure diuino alios Presbyteros ordinare; & eodem iure esse parem Episcopo potestate, solùmq; consuetudine Ecclesiæ inductum esse, vt ea ordinatio ad Episcopos pertineret. Sed laborem hunc frustra suscepit Zaborouius. Nam, vt suprà diximus, etiamsi euinceret Luterum quâ presbyter erat ordinare potuisse (quod mox falsum esse ostendemus) tamen non aliam illis potestatem communicare potuisset, nisi quam ipse in sua Ordinatione accepit: nempe potestatem Missas celebrandi, & iudicialiter à peccatis absoluendi: atqui nullam talem suis Ministris contulit, sed eam acriter oppugnauit: aliam verò conferre non potuit, siquidem ad illam ipse ordinatus non fuit. Nihil igitur iuuat Zaborouium ea quæstio ad probãdam Ministrorum Luteranorum Ordinationem.

Sed videamus quomodo tantum paradoxum nobis probaturus est. Rationes, inquit, pro nostra sententia habemus inuictissimas, cùm tamen nonnisi duas, easqué stramineas proferat. Prima est talis: quia Presbyteri & Episcopi communia sortiuntur nomina. In primitiua enim Ecclesia Presbyteri dice-

teri dicebantur quoq; Episcopi, & Episcopi vicissim Presbyteri. vti nos quoque in *Nodo Gordio* probauimus. Ergo, inquit, potestate non differunt, sed pares sunt omnino. Quàm stramineum sit hoc argumentum ex conuenientia nominis ductum, inde primùm ostenditur. quia potest sub communi nomine esse impar potestas, vt plurimis exemplis manifestum est. Omnes enim Angeli habent commune nomen Angelorum; neq; tamen idcirco sunt pares inter se: cùm constet alios esse superiores alios inferiores: alios Principes cœlestis militiæ, vt de Michaële scriptum; alios subiectos suis Principibus: item alios Archangelos, alios verò simplices Angelos. Similiter omnes Iudices communi nomine vocantur Iudices; neq; tamen omnium Iudicum par est potestas. Pari igitur ratione: etsi vnum nomen tam Presbyteri quàm Episcopi tempore illo Apostolorum esset commune vtrisque; tamen sub nomine Presbyteri alij erant maioris, alij minoris potestatis: alij erant cum potestate alios ordinandi; alij verò talem potestatem non habebant: alij erant ex officio Iudices, alij subiecti iudicio: alij Rectores, alij regimini subiacentes. Quodsi dicat quis, Angelos & Iudices habere, præter nomen commune, alia nomina propria, quibus inter se distinguuntur. Respondendum est, primùm id non esse vniuersè verum. Nam Angeli, qui sunt ex infimo ordine, & ij qui sunt ex virtutum ordine, nullum nomen habent ita proprium, quod non sit vtrisq; commune: vtriq; enim dicuntur Angeli, vtriq; virtutes. Quodsi alij habent peculiare nomen, id est per accidens: siquidem etiamsi nullum nomen peculiare haberent, sed tantùm communi nomine designarentur, non tamen idcirco sequeretur, ob communitatem nominis non esse illos à se distinctos. Etenim sub eodem nomine Angeli possunt esse maiores & minores, superiores & inferiores Angeli: similiter sub eodem nomine Virtutum possunt esse Virtutes superiores & inferiores, maioris vel minoris potestatis. Hoc igitur modo sub nomine Presbyteri alij sunt maiores, alij minores: sub nomine Episcopi alij maiores, alij minores; ac proinde imparis potestatis. & vt minimum nominis communitas hanc differentiam non impedit. Ad nomen enim commune si adijcias diuersas & peculiares vtriusq; proprietates, efficies diuersa nomina. sic distinguimus Iudices Spirituales & ciuiles, adiectis ijs quæ sunt propria singulorum. Non igitur ex communitate nominum, necessariò infertur omnimoda paritas.

etsi par esset nomen.

1.

2. Deinde potest idem nomen esse commune duobus ex vi vocis, & proprium vnius ex accõmodatione vsus. Angeli enim nomen ex vi vocis missum significat: quod quia omnibus Angelis conuenit, idcirco nomen Angeli ex vi vocis omnibus Angelis est commune; ex accommodatione tamen vsus & speciali ratione, Angeli infimi ordinis nomine Angeli tanquam pro-

prio designantur: quòd ij communiter mitti soleant à Deo. Pari igitur ratione nomen Presbyteri, quod seniorem significat, ex vi vocis est etiam Episcopis commune: & nomen Episcopi quod inspectioni vacantem seu superintendentem designat, ex vi vocis conuenit etiam Presbyteris. tamen ex accommodatione vsus nomen Episcopi eos tantùm Presbyteros designat, qui sunt sumi Presbyteri & Sacerdotes, & totius alicuius prouinciæ vel diœcesis Presbyteri. Similiter & nomen Presbyteri ex accommodatione vsus est proprium illorum tantùm Presbyterorũ, qui non sunt toti Prouinciæ vel Diœcesi præpositi, sed particularis alicuius Ecclesiæ Ministri. Non igitur ex communitate nominum necessariò concluditur paritas potestatis. Nam ipsa etiam nomina, etiamsi sint communia, non pari ratione vtrisq; competere possunt; sed vni communi ratione, alteri speciali; potest qué simul esse nomen idém, & commune omnium, & proprium ac speciale vnius, vt in Angeli nomine manifestum est. Quare argumentum Zaborouij ex communitate nominum ductum, non inuictissimum vt gloriabatur, sed stramineum planè est ac nullius roboris. Neque verò necesse est, ad illius solutionem probare imparitatem potestatis inter Presbyteros (hoc enim infrà patebit) sed satis est ostendere ex argumento non concludi necessariò paritatem. cùm qué ex Scriptura nullum aliud argumentum habeat Zaborouius, ad ostendendam paritatem Presbyteri & Episcopi; consequens est illum ex Scriptura probare inuictissimè non potuisse istam paritatem.

Audiamus porrò alteram eius rationem ex Hieronymi auctoritate sumptam. Is enim *in epist: ad Tit: cap: 1.* ait, priùs Ecclesiam communi consilio Presbyterorum gubernari solitam; postea in toto orbe decretum fuisse, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur cæteris. *Sicut ergo*, inquit, *Presbyteri sciunt se ex consuetudine Ecclesiæ ei qui sibi præpositus fuerit esse subiectos: ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quàm dispositionis Domini veritate, Presbyteris esse maiores.* Ex quibus Hieronymi verbis Zaborouius infert, Presbyterum & Episcopum iure diuino esse pares. Deinde sic argumentatur; Quorum est Ecclesiam regere, illorum est Ministros legitimè mittere, te assertore: atqui iudice Hieronymo iure diuino Presbyterorum est cõmuni consilio Ecclesiam gubernare: ergo illorum etiam est Pastores legitimè mittere. Verùm multis modis in hac collectione errat Zaborouius. Primùm: quòd contrà veritatem, & omnem Hieronymi mentem, asserat Hieronymum dicere idem esse Presbyterum quod Episcopum. Nunquam enim hoc dixit Hieronymus: sed eundem esse Presbyterum & Episcopum: quia ijdem dicebantur & Presbyteri & Episcopi; quo ijsdem vtraque officia tam Episcopi quàm Presbyteri committerentur. *Apud veteres*, inquit, *eosdem fuisse*

Nõ dicit Hieronymus Presbyterum esse perinde ac Episcopum.

fuisse Presbyteros quos & Episcopos: paulatim verò, vt dissensionum plantaria euellerentur, ad vnum omnis solicitudo delata est. Quantùm verò hæc inter se differant, Esse eosdem & Esse idem, inde patet: quòd ea officia quæ non sunt idem, possunt vni & eidem conuenire; neque, quia duo officia eidem conueniunt, inferre licet, illa officia esse idem. Quod verò Presbyteratum & Episcopatum non esse idem senserit Hieronymus, patet ex *1. Timoth: 3.* vbi ait, Presbyteratum esse secundum gradum, ac penè eundem cum Episcopatu. Non igitur vnum omnino gradum esse voluit, sed penè vnum. quare autem dixerit penè vnum, id est non multùm ab eo distantem, distantem tamen; dat rationem *in epistola ad Euagrium.* cùm dixisset eosdem fuisse Presbyteros & Episcopos; subiungit. *Quid facit Episcopus excepta Ordinatione, quod non faciat Presbyter?* ostendens Episcopũ à Presbytero Ordinatione seu potestate ordinãdi alios differre. Est enim Episcopus idem quod Presbyter, quo ad aliã omnẽ potestatẽ, excepta potestate ordinandi cum ijs quæ ad illam consequuntur. Non igitur concedit Presbyteris iure diuino potestatem ordinandi. Nam si ea potestas Presbyteris iure diuino competeret, non diceret eos omnia posse excepta Ordinatione; sed absolutè omnia posse nulla re excepta, ne Ordinatione quidem: quia nimirum etiam ordinandi potestatem iure diuino haberent Presbyteri: nec illis tolli posset eà potestas ab Ecclesia, vt non possent ordinare, sed tantùm vsus illius prohiberi ne ea vtantur. quomodo etiam ipsis Episcopis potest vsus prohiberi: vel absolutè ne vllos ordinent, si fortè in Excommunicationem inciderint: vel non ordinent sibi non subiectos, ad confusionem vitandam. Vult igitur Hieronymus Presbyteros nullo modo posse ordinare alios. Nam si iure diuino possent, æquè possent ac Episcopi, etiamsi vsum illis interdiceret Ecclesia.

asserit à sacerdote sacerdotio neminẽ initiari posse.

F.

Secundò: falsum imponit Hieronymo, quasi dixerit iure diuino idem posse Presbyterum & Episcopum, & iure diuino Presbyteros communi consilio gubernasse. Solùm enim id factitatum in veteri Ecclesia dicit, & talem fuisse veteris Ecclesiæ consuetudinem: an verò iure diuino vel Ecclesiastico ea consuetudo inducta fuerit, non dicit.

non iure diuino idem posse dicit hunc quod Episcopos:

F.

Tertiò, infideliter mentem Hieronymi exponit. Cùm enim Hieronymus ait, Episcopos magis ex consuetudine Ecclesiæ, quàm dispositionis Domini veritate Presbyteris esse maiores: id cum illa exceptione intelligi voluit, quam *in epistola ad Euagrium* seipsum exponens adiecit; *Excepta Ordinatione.* Neque enim hìc Episcopis Presbyteros confert in ordinandi potestate: neque negare hìc voluit Episcopos potestate ordinandi esse maiores Presbyteris, quod in dicta epistola concessit: sed de gubernatione

sed tãtùm gubernationem diœcesium solis Episcopis consuetudine vindicari.

& illo regimine, quo vnus alijs quo ad gubernationem præficitur, locutus est. & hoc putat Hieronymus esse profectum magis ex consuetudine Ecclesiæ, quàm ex dispositione diuina: & in hoc ex consuetudine Ecclesiæ magis, quàm ex dispositionis Domini veritate Episcopos esse Presbyteris maiores. id qué illa verba indicant; *Priùs communi consilio Presbyterorum gubernabatur Ecclesia: pòst verò in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret.* Ex quo etiam patet quo sensu dixerit eundem fuisse Episcopum & Presbyterum; nempe in ordine ad gubernationem Ecclesiæ, quæ æquè ab Episcopis & Presbyteris, id est communi consilio olim gubernabatur; non in vnum tota deuoluta gubernatione. non æquauit verò Episcopos Presbyteris in ordinandi potestate.

En habes, Zaborovi, duas rationes tuas, quas inuictissimas, prædicabas, stramine debiliores apparuisse. in altera enim consecutio nulla: in altera congeries falsarum citationum argumentationi vim omnem abstulit. Quare nec difficile erit tuam illam ex Hieronymo argumentationem dissoluere: in qua miror te de Missione agere, cùm de ordinatione agere debuisses: nisi fortè de ea Missione, quæ ordinando & consecrando fit, intelligas: licet enim nonnisi ordinati in Ecclesia mitti soleant, non tamen mittere est ordinare; neque ordinare est mittere. Neque enim omnes qui ordinantur ad Sacerdotium virtute ordinationis missi ad prædicandum censentur, sed noua insuper potestate opus est; quam qui non accipiunt, non habentur pro missis. Ad Maiorem igitur respondeo: Quorum est regere Ecclesiam, illorum esse Ministros legitimè mittere: non de quocunque regimine id verum esse, sed tantùm de regimine publico & ratione officij publici quale est Episcoporum. ij enim non solùm interiori, sed etiam exteriori foro regunt Ecclesiam. Nam qui in foro tantùm interiori dirigunt fideles, vt Parochi, & alij qui officium publicum in Ecclesia non gerunt, ad illos non spectat Ministros legitimè mittere: nisi fortè delegata sibi potestate: alioqui fieret magna confusio in Ecclesia, si omnes mittere vellent, nec ab vnius regimine res tota dependeret. Ad Minorem verò non aliud respondeo, nisi quòd falsò id Hieronymo obijcis, quod ille nunquam affirmauit: nempe de iure diuino esse, vt Presbyterorum communi consilio Ecclesiæ gubernentur. Alioqui secundùm Hieronymum fatendum esset contra diuinum ius vniuersam Ecclesiam peccare, quòd non communi Presbyterorum consilio, sed vnius Episcopi auctoritate Ecclesias faciat gubernari.

Sola consecratio non facit prædicatores.

Porrò quod de Hieronymo diximus, de alijs quoque Patribus existimandum est. Ii enim nunquam Presbytero simplici potestatem ordinandi concesse-

concesserunt, sed eam solius Episcopi propriam crediderunt, vt mox patebit. Quanquam quid laborat Zaborouius, de Episcopi & Presbyteri discrimine: cùm ipsi nec Episcopos nec Presbyteros legitimos habeant. Presbyteri enim in Ecclesia Sacerdotes dicebantur, Episcopi summi Sacerdotes, vt à temporibus Apostolorum omnes Patres & Ecclesiasticarum rerum scriptores testantur. Cùm igitur Euangelici nullos Sacerdotes habeant, nec ad Sacerdotium vnquam ordinentur: quorsum de Presbyteri & Episcopi discrimine digladiantur?

Neque Episcopi, neq; Sacerdotes cacangelicu.

Verùm cùm Zaborouius Episcopi & Presbyteri paritatem probare non potuerit: reliquum est, vt nos imparitatem & discrimen magnum vtriusq; firmissimis argumentis comprobemus. Ac inprimis illud affero: hanc opinionem qua Presbyterum potestate Episcopo coæquat pridem in veteri Ecclesia pro hæresi habitam, & condemnatam esse. Eam enim fuisse Aërij hæresim recensent, Augustinus *hæresi 53.* & Epiphanius *hæresi 75.* Nam quod Zaborouius ait ob alias hæreses Aërium damnatum fuisse, ostendit se Augustinum & Ephiphanium non legisse. nam hi inter hæreses Aërij recensent istam; eam qué postquam stultitiæ plenam vocasset Epiphanius, tandem eo etiam argumento oppugnat, quòd Episcopus ordinare possit, Presbyter non possit. *Dicere*, inquit, *Episcopum & Presbyterum æqualem esse quomodo erit possibile? Episcoporum enim ordo Patrum generator est: Patres enim generat Ecclesiæ: Presbyterorum verò non potens generare Patres per lauacri generationem generat filios Ecclesiæ, non tamen Patres ac Doctores.* Quid clarius? Fateor alias quoque hæreses ac errores illius ibidem numerari, in quibus etiam nostri Euangelici eum egregiè imitantur: nempe, orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere: nec statuta solenniter esse celebranda ieiunia, sed cùm quisq; voluerit ieiunandum, ne videatur esse sub lege: tamen negari non potest hoc etiam dogma inter cæteras hæreses numerari, quòd diceret Presbyterum ab Episcopo nulla differentia discerni. quod ea occasione Augustinus refert Aërium docuisse: quia cùm esset Presbyter, Episcopus vt ordinaretur assequi non potuit. sicut & Luterus, cùm indulgentiarum promulgatio alteri potiùs quàm ipsi deferretur, contra Indulgentias concionari cœpit: & exinde in alios errores est lapsus.

Episcopum æquare sacerdoti hæresis est.

F.

At, inquit Zaborouius, cùm tot Patres post Aërium idem docuerint: quî fieri poterit, vt ignorarent, quòd in Aërio ab Ecclesia damnatum esset. Verùm calumniatur Zaborouius Sanctos Patres. nullus enim ex ijs docuit Presbyterum qui non sit Episcopus ordinare Presbyteros posse: ac proinde nullum fuisse qui hanc imparitatem potestatis de qua hic agimus non agnouerit. Quodsi cum Hieronymo in Ecclesia veteri Presbyteros & Episcopos

neque Patrum vllus exæquat.

quoad

quo ad nomen eosdem fuisse quis contendat: neutiquam tamen quo ad rem & potestatem ordinandi. Et sanè cùm dici non possit Aërium negasse discrimen Presbyteri & Episcopi secundùm ius Ecclesiasticum. in eo enim vniuersæ Ecclesiæ vsum ignorare non poterat: sequitur illum negasse iure diuino vllum inter vtrumque esse discrimen. & in hoc sensu dogma illius pro hæresi habitum, & à Sanctis Patribus impugnatum est. Neq; verò Augustini & Epiphanij tempore solùm id dogma pro hæresi habitum est; sed etiam in duobus generalibus Concilijs, Constantiensi videlicet & Tridentino, iterũ condemnatum & anathemati subiectum est. Videat igitur Zaborouius, quale dogma defendendum suscepit; quod multis antè seculis hæresis ab Ecclesia condemnatum est: quo qué modo Scripturas interpretetur: vt à duobus Concilijs generalibus, & tota veteri Ecclesia, anathema promeruerit.

neque Concilia.

Discrimẽ inter Episcopũ & Presbyterum.

1.

Sed pergamus. Ostendo Episcopi & Presbyteri in veteri Ecclesia discrimen non tam à nominibus, quàm à re accipiendum esse: nomen enim vtrumq; promiscuum erat, donec vsu ad duas res distinctas accommodaretur. Ac inprimis illud est clarissimum, quòd soli Episcopi potestatem alios ordinandi iure diuino habuerint semper, Presbyteri verò simplices nequaquam. Nam quod ad Scripturas attinet; non legimus cuiquam ordinandi munus demandatum fuisse, quem nõ constaret certò fuisse Episcopum. quia *Act: 14. 11.* Apostoli, qui proculdubio Episcopi erant, constituerunt per singulas ciuitates Presbyteros. Paulus etiam ac Barnabas, nonnisi postquam ordinati fuerunt in Episcopos, alijs Episcopis, qui tum erant Antiochiæ, Nigro, Lucio Cyrenensi, & Manahen, cum ieiunijs, orationibus, & impositione manuum, vt refertur *Act: 13.* tota antiquitate suffragante (antè enim tantummodò inter Prophetas & Doctores erant) cœperunt & ipsi alios ordinare, & munus Episcopale exercere, Presbyteros per singulas ciuitates constituendo, vt statim ex *cap: sequenti* notauit Oecumenius. Similiter Timotheus ac Titus à Paulo iam tum Episcopo ordinatus est. *2. Tim: 1. 6.* Titus etiam factus Episcopus iubetur à Paulo constituere per ciuitates Presbyteros. Monetur etiam Timotheus Episcopus à Paulo, ne manus citò cuiquam imponat *1. Tim: 5.*

Ex altera verò parte, inauditum est ab ipsis Apostolorum temporibus cuiquam Presbytero simplici id muneris delatum esse, vt alios ordinaret. Statim enim ab ipsis Apostolis Canones cõstituti sunt; quibus cauetur vt Episcopus nonnisi à dobus vel tribus Episcopis, Presbyter verò ab Episcopo ordinetur. quos Canones secuti omnes deinceps Patres vno consensu idem in Ecclesia docuerunt; & vsurpârunt ita, vt ne vnus quidem ex tota antiquitate proferri possit, qui disertè docuerit Presbyterum, qui non sit Episcopus,

ordinare

ordinare posse. Nam nec Zaborouius quenquam pro sua sententia inuenire potuit, nisi Ambrosium. cuius verba, vt ad Ordinationem accommodaret, corrupit & falsificauit. In Ægypto, inquit, teste Ambrosio *in Ephes: ca. 4.* si desit Episcopus, consecrat Presbyter. cùm Ambrosius non dicat consecrat, sed *consignat*. Itane, Zaboroui, cum destituti sitis à veritare arte falsificandi polletis? cur vnum pro alio per fraudem substituitis? Scilicet aduertisti verbum *consignat*, cùm ad Confirmationem referatur, tuam causam non adiuturum, itaq; pro *consignat* consecrat substituisti, vt verba Ambrosij ad Ordinationem detorquere posses. Porrò consignandi in Confirmatione munus etiam non Episcopis ex dispensatione Ecclesiæ permitti potest: non item ordinandi. Hæ vestræ tam familiares vobis falsificationes iam apud nos effecerunt, vt fidem vestris citationibus habeamus nullam.

F. *Non concedit Ambrosius sacerdotibus alios consecrandi auctoritatem.*

At lepide argumentaris; Minùs, inquis, habet se anus ad potestatem baptizandi, quam Presbyter ad ius ordinandi. Cùm igitur anus in necessitate baptizare possit: multo magis Presbyter ordinare poterit. Cui risum hoc argumento non mouebis? Nunquid enim ad baptizandum consecratione aliqua opus est, sicut ad ordinandum? Hoc igitur responsum accipe. Ex institutione Christi, propter summam Baptismi necessitatem ad baptisandum nulla consecratione opus est: quare in necessitate validè baptisare potest non solùm anus, sed & quicunque laicus, dummodo intendat facere, quod Ecclesia facit. Ad ordinandum autem pecularia consecratione opus est, qua Episcopus in Presbyterum consecrat. Minùs igitur se habet Presbyter ad ordinandum, quàm anus ad baptisandum: nam illi deest ad ordinandum peculiaris illa potestas consecrandi, huic autem nihil deest ex requisitis ad baptisandum. Sed anu Zaborouio relicta ad rem redeamus.

Non eadem ratio Baptismi & consecrationis sacerdotum.

Dico igitur, non solùm in auditū esse in Ecclesia, vt Presbyter ius ordinandi habuerit: sed etiā, si quid tale attētasset Presbyter, factū fuisse nullū, & ordinationē inualidā. Ita a temporibus Apostolorū sensit Ecclesia. Nam Clemēs Apostolorum discipulus *lib: 8. Constit: cap: 46.* ex persona Apostolorum ait; *Neque Presbyteros fas est Clericorum Ordinationes facere: siquidem non licet Ordinationem seu ordinem inuertere; vt inferior ordo id quod est superioris per vim sibi vendicet. Inuertitur enim ordo, quando quod ad superiorem ordinem spectat ab inferiore vsurpatur: quod autem sine ordine fit inualidum habetur.* Euseb. Pontifex sub Diocletiano Christi Martyr *in epistola ad Episcopos Tusciæ & Campaniæ* ita scribit; *Manus*, inquit, *impositionis Sacramētum magna veneratione tenendum est. quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus. Nec tempore Apostolorum ab alijs, quàm ab ipsis Apostolis, legitur aut scitur peractum esse: neque ab alijs (sicut iam dictum est)* quàm

ita ab Apostolorum æuo traditum.

quàm ab illis; qui eorum locum tenent, vnquam perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit; irritum habeatur & vacuum: nec inter Ecclesiastica vnquam reputabitur Sacramenta. Hæc Eusebius ipsis ferè Apostolorum temporibus. Epiphanius quoque suprà citatus diserte ait: *Episcoporum ordinem in Ecclesia Patrum genitorem esse: Presbyterorum verò ordinem, non Patrum esse genitorem, sed filiorum.* vbi ex eo, quod ordines isti sint distincti, negant, quæ sunt Episcoporum ordinis, effici posse ab ordine inferiori.

diuina institutione sacerdotes à Pontificibus discreti. Ex quo infero: iure diuino, non solùm Ecclesiastico, hos ordines distinctos esse.
1. tum quia, si iure diuino essent idem, non posset Ecclesia eam potestatem Presbyteris auferre: nec essent inualida, quæ diuinitus data potestate fierent: sicut quia Presbyteri iure diuino habet potestatem Ordinis, qua cōficit Eucharistiam, quantumuis vsu potestatis prohibeatur ab Ecclesia, si tamen ea vtatur, factum non est inualidum.
2. tum quia, si Presbyter iure diuino haberet potestatem ordinandi, posset sine alia sui Ordinatione & consecratione ad Ordinem Episcopalem ordinare: at inauditum est in Ecclesia, vt Presbyter non Episcopus ordinet. Hoc ergo argumento est euidens distinctum esse Ordinem Episcopalem ab Ordine Presbyterali.
3. Et cùm vsus sit optimus Legis interpres: si nunquam in Ecclesia vsitatum fuit, vt Presbyter ordinaret, sed tantùm Episcopus; consequens est Presbyterum ratione sui Ordinis non habere hanc ordinandi potestatem. Deni-
4. que si ea potestas ex iure solùm Ecclesiastico Episcopis conuenit, Presbyteris non conuenit: quæro, quando & à quo ea lex Ecclesiastica fuerit lata? an ab ipsis Apostolis, vel ab alijs Apostolorum successoribus. Si dicatur primum: non potest non ex diuina institutione esse profectum, quod Apostoli sanxerunt; maximè in materia Sacramentorum, quorum auctor solus est Christus. secundum dici non potest: quia ea distinctio Episcoporum & Presbyterorum ipsis Apostolorum temporibus fuit, licet non ab ipso statim principio, sed postmodum nominibus accommodatis: vt ex Clemente, Ignatio, Eusebio, Epiphanio, & alijs satis constat.

Presbyteri manus imponendo consecrandis non consecrant. Iam verò, quod citat Zaborouius antiquum Canonem *distinct: 23. Can: Presbyter,* quo dicitur; *Presbyter ordinatur Episcopo eum benedicente, & manum super caput eius tenente: etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas iuxta manus Episcopi super caput illius teneant.* is ipse Canon Episcopo soli tribuit benedictionem, non Presbyteris. Ex quo apparet non ad id eam ceremoniam tenendi manus super caput ordinati spectasse, vt Presbyteri ordinarent vel consecrarent (Canon enim Apostolicus soli Episcopo id concedit) sed vt eo ritu ratam se habere Ordinationem ostenderent.

Alterum discrimen inter Presbyterum & Episcopum est: quòd diuersa sit Ordinatio vtriusque. Nam Presbyter ab vno Episcopo ordinandus est: Episcopus autem à duobus vel tribus. quod & Scriptura indicat: & Canones Apostolici *primus* & *secundus*, & perpetua praxis Ecclesiæ ab Apostolorum temporibus deducta. Nam idcirco Paulus Ordinationem Presbyterorum vni Timotheo vel Tito committit: Ordinationem verò Timothei, qui Episcopus erat, ait fuisse per impositionem manuum Presbyterij. Presbyteriũ autem Episcoporum cœtum interpretantur Patres, & vsus Ecclesiæ. Nam licet Presbyterium ex vi vocis possit accipi pro Presbyterorum communiũ cœtu (erat enim tunc Presbyteri nomen commune Episcopo & Presbytero) tamen hoc in loco Pauli, vbi Presbyteri dicuntur adhibiti ad imponendas manus Timotheo Episcopo, docent Patres Presbyteros non quoscunq; esse intelligendos, sed eos duntaxat, qui essent simul & Episcopi. Neque enim auditum est in Ecclesia Episcopum à Presbyteris simplicibus ordinari; vti & Canon Apostolicus, & continuus Ecclesiæ vsus testantur. Frustra igitur laborat Zaborouius probans Presbyterium simplicium Presbyterorum cœtum posse significare: non enim hoc negamus: sed quod etsi nomen vtrisque significandis sit commune; hoc tamen in loco pro solis Episcopis accipiendum esse ex communi Patrum interpretatione, & Canonibus, ac vsu Ecclesiæ, docemus. Optimus enim legis interpres est consuetudo. Porrò Canones Apostolici collecti à Clemente de hac re sic loquuntur. Primus, *Episcopus à duobus vel tribus Episcopis ordinetur: 2. Presbyter ab vno Episcopo ordinetur.* Quod idem Anacletus socius & successor Clementis sub Domitiano in *Epist: 2.* repetit. & alij deinceps vsque ad nostra tempora obseruârũt. Idem quoque confirmat Ordinatio in Episcopum Pauli & Barnabæ *Act: 13.* quæ à tribus Episcopis est facta; nempe à Simone, Lucio, & Manahen. de qua in *Refutatione soluti Nodi Gordij cap: 12.* Ex quo tale statuo argumentũ; Si distincta est Ordinatio Presbyteri & Episcopi: ergo distinctus Ordo. ergo & distincta potestas. Nam per distinctam Ordinationem confertur distinctus Ordo: & in distincto Ordine continetur distincta potestas. Quocirca Anacletus *epist: 3.* edoctus ab Apostolis ait à Domino constitutos esse duos Ordines, Episcoporum & Presbyterorum: quin & ipse Hieronymus suprà citatus.

2. Discrimen ex ratione consecrandi.

Tertium discrimen Presbyteri & Episcopi ex eo sumitur: quia Episcopi sunt iure diuino Iudices ordinarij Presbyterorum, non contrà; mandante Paulo *1. Tim 5. 19. Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere: nisi sub duobus aut tribus testibus.* Cùm igitur Iudices ordinarij potestate differant ab ijs, qui eorum iudicio subduntur: consequens est, Episcopos à Presbyteris pote-

3. ex iudiciaria potestate.

ris pote-

ris potestate differre. Insulsè verò respondet Zaborouius dicens ex communi consensu pares parem iudicare posse. Nam Timotheus, non ex consensu populi, sed à Paulo constitutus fuit iudex ordinarius Presbyterorum, qui vellent nollent ipsius iudicio subiacebant. id quē ex institutione diuina sicut enim Pastorum officium Deus in Ecclesia constituit, ita & Iudicum. hoc enim regiminis Ecclesiæ pars non postrema est. Porro qui ex officio Iudex est aliquorum, is proculdubio potestate non est par ijs quos iudicat, sed superior.

Maior minori potest rationem reddere.

Inepte quoq; Petri exemplum adducit: qui cum esset par alijs Apostolis, tenebatur tamen suæ prædicationis rationem alijs reddere *Act: 11. 5.* Si enim quis rationem sui facti reddat alteri, tanquam iudici & superiori; sic non tanquam par, sed tanquam subditus & inferior rationem reddit. Si verò reddat rationem ex æquitate ad satisfaciendum alteri, vel ad scandalum tollendum; sic quilibet potest alteri rationem reddere, non solum par pari, sed etiam superior inferiori. quomodo Christus non semel Iudæis solitus erat rationem suæ prædicationis reddere. Par igitur pari potest quidem, & aliquando tenetur rationem reddere: sed si reddat tanquam iudici, non erit par, sed subditus illi. quo modo Petrus nulli rationem reddidit. Nam *Act: 11.* illi Iudæi iudicialiter cum Petro non agebant: neque se Petri Iudices statuebant: neque Petrus illis tanquam Iudicibus rationem reddidit. Alioqui oportet eum, qui alteri, tanquam Iudici ex officio, rationem factorum reddit, non esse illi parem; sed inferiorem. Cùm igitur Presbyteri ex institutione diuina subiaceant iudicio Episcoporum, necesse est illos ex eadem institutione diuina Episcopis esse inferiores.

4. discrimen ex potestate diuersa in cōsecratione data.

Quartum discrimen sumitur ex forma Ordinationis distincta. Nam Presbyteris cùm ordinantur nulla talis potestas, qua alios ordinent & consecrent, confertur; sed tantùm vt Missas celebrent, & confitentes peccata absoluant. neque vllam aliam potestatem forma qua in Presbyteros ordinātur continet. Fieri autem non potest, vt aliqua potestas in Ordinatione conferatur, quæ forma Ordinationis non exprimatur. Nam quod ait Zaborouius, implicitè non explicitè eam potestatem in Ordinatione contineri, quod iure diuino Presbiteratui annexa sit: si hoc ius diuinum aliquo firmo argumento probare posset, non male responderet. At cùm nullum aliud argumentum ad id probandum habeat, nisi ex cōmunitate nominum ductum (quod ineptissimum esse ad id probandum multis rationibus supra conuicimus: non enim hic de nomine, sed de re agimus) sequitur gratis & temere ipsum id asserere. Porrò in Ordinatione sua exprese monetur Episcopus, sui officij ad quod consecratur esse consecrare, ordinare, confirmare. Quod si dicat Zaborouius has ordinandi formas ex institutione Ecclesiæ profectas esse sciat

esse: sciat alias, vel his non æquiualentes nunquam in Ecclesia fuisse. vnde, aut dicendum esse nullas vnquam Ordinationes secundùm ius diuinum factas esse, quod est longè absurdissimum: aut concedendum has ordinandi formas cum iure diuino consentire, & à iure diuino profectas esse.

Denique hoc discrimen maximè vrgent SS. Patres, cùm hos duos ordines esse distinctos docent. Vna eorum ratio est ex typo. Nam si in Ecclesia Iudaica diuersa erant officia & potestates summi Pontificis & aliorum Sacerdotum, idem & in noua fieri meritò existimandum est, vt sic typo & figuræ veritas respondeat. Vt enim ait Hieronymus in *epist. ad Euagrium*, quod erat Aaron, & filij eius, & Leuitæ in templo; hoc sibi Episcopos, Presbyteros, & Diaconos vendicare. quod Hieronymus à Clemente accepit, qui *8. Const: cap: 45.* eandem comparationem instituit. Eius enim libros Hieronymus non solùm legit, sed etiã Latinos fecit: vt ipsemet in *peroratione Commentariorum Origenis in epistolam Pauli ad Rom:* testatur. Idem & alij Patres docent. Anacletus Petri successor *epist: 2. Contemplari*, inquit, *oportet Aaronem summum Sacerdotẽ fuisse; eius autẽ filios Presbyterorum figuram demõstrasse.* Damasus Hieronymi coætaneus *ep: 4.* Leo I. *ep: 88.* Ignatius verò Apostolorum discipulus in *epist: ad Trallanos.* in Episcopo, Presbyteris & Diaconis aliũ typum considerat, quòd Episcopus referat Christũ, Presbyteri Apostolos, Diaconi Apostolorum ministros. in *epistola ad Smirnenses*; *ad Trallanos*, ad *Philippenses*, ad *Tarsenses*; *Quid est*, inquit, *Episcopus nisi qui principatum omnem & super omnes obtinet? Quid Presbyterium nisi Collegium sacrum, consiliarij, & Consessores Episcopi?* Et, *Presbyteri*, inquit, *Episcopo subditi estote; Diaconi Presbyteris; populus Presbyteris & Diaconis.* Et, *Episcopus Patris vniuersorum typus est: Presbyteri Dei consessus & cœtus Apostolorum Christi.* Ex quibus testimonijs Apostolicorum virorum apparet manifestum discrimen, inter ordinem Episcopalem & Presbyteratus. Nam, quod respondet Ziborouius Aaronem Summi Pontificis Christi figuram fuisse, non Episcoporum legis nouæ: refellitur à dictis Patribus, quorum sententia etiam Episcopus Christi figuram gerit in Ecclesia. Quocirca nil repugnat Aaronem & Christi figuram esse, & Episcopi Christum repræsentantis, quatenus repræsentat summa sua quam habet à Christo potestate, vt Ignatius ait. Deinde Patres aiunt, in hac gubernatione hierarchica Ecclesiæ ordines Ecclesiæ Iudaicæ respondere Ordinibus Ecclesiæ Christianæ. & in particulari Summo Pontifici Christum repræsentanti, in Christiana quoque Ecclesia respondere debere Summum Pontificem, alia longè expressiori ratione Christum repræsentantem.

5.

Ordines Mosaici respondent Christianis.

Ridicula est & illa Zaborouij argumentatio, qua probat Presbyteros in

Ecclesia summam auctoritatem habere, sicut & Episcopos. Eorum est, inquit, summa in Ecclesia auctoritas, qui duplici sunt honore digni: at Presbyteri, si bene præsint, duplici honore sunt digni. *1 Tim: 5. 17.* ergo eorũ est summa auctoritas. Video quò collimat Zaborouius, vt suorum Ministrorum, quorum apud nos est vilis & abiecta conditio, summam auctoritatem apud suos adstruat: & eos ex simplicibus laicis Episcopos faciat. Sed quàm ineptè id probat! Nam nec locum Pauli *1. Tim: 5.* intelligit. nec ex eo argumentum rectè instituit. Paulus enim cùm Presbyteros, si bene præsint, duplici honore dignos asserit: non de honore dignitatis alicuius in Ecclesia, ad quem promouendi sint, loquitur; sed more loquendi Hebraico de munere honorario, seu maiori vitæ subsidio, quo magis honorandi sunt, qui magis Ecclesiæ vtiles sunt. vt omnes interpretes exponunt. Statim enim id probat ex Scriptura; *Non alligabis os boui trituranti.* quo docetur Prædicatoribus laborantibus subsidia vitæ non esse deneganda. Eodem etiam sensu suprà *v.* 3. viduas quoque dixerat honorandas, hoc est, prouidendum illis de honesta sustentatione. Duplicem autem honorem more Scripturæ consueto appellat: sicut cùm dicitur; *Duplici contritione contere eos.* hoc est, magna contritione. Porrò ex hoc loco male intellecto quàm ineptè argumétatur Zaborouius! Qui, inquit, duplici honore digni sunt, eorum est summa in Ecclesia auctoritas. Nunquid enim qui maiore sustentatione digni sunt, illi summam in Ecclesia dignitatem & auctoritatem habere debent? Nonne qui etiam in infimis officijs versantur, si bene illa administrant, duplici sunt honore digni? hoc est, maiore subsidio & sustentatione, vt tanto commodiùs suam operam nauare possint? Anne idcirco summa illorum in Ecclesia debet esse auctoritas & potestas? nunquid ex subsidijs vitæ maioribus maior in Ecclesia auctoritas & Ecclesiastica potestas colligitur? quis tales stultitias non rideat? Alioqui simili argumento probabit Zaborouius Diaconorum in Ecclesia summam esse auctoritatem. Nam, si officium suum benè administrant, duplici honore sunt digni: qui autem duplici honore sunt digni, summi secundùm Zaborouium censentur in Ecclesia: erit igitur summa Diaconorum in Ecclesia auctoritas. quos tamen Presbyteris non solùm non æquari, sed esse illis subditos & eorum ministros constat. Quin & rustici, si bene suis officijs præsint, duplici sunt honore digni: *Dignus est enim operarius mercede sua.* Nunquid idcirco summa erit eorum in Repub: auctoritas & potestas? Nugæ, nugæ Zaborouio dignæ.

Quid sit honore &c.

Simile est illud, cùm id quod scripseram, Paulum Apostolum vnà cũ Barnaba à Lucio Episcopo ordinatum esse. *Act: 3.* ille pro sua sapientia errorem in Theologia minimè tolerandum appellat. quid ita? Paulus, inquit, asserit se

ſerit ſe non ab hominibus, neq; per homines eſſe miſſum, ſed à ſolo IESV Christo. *Galat: 1. 1.* atqui dum alteri errorem imponit, ſuam prodit ignorantiam. Quæro enim, an is qui ab Eccleſia ordinatus eſt Presbyter vel Epiſcopus, poſſit à ſolo Deo mitti ad prædicandum in toto mundo Euangelium, necne? Si poſſe dicat: concedat oportet, Ordinationem ab Eccleſia factam non obſtare miſſioni à ſolo Deo: neque vllus error erit dicere, aliquem ab Eccleſia ordinatum à ſolo Deo ad Euangelium prædicandum miſſum eſſe. Cùm enim Ordinatio & miſſio ſint res diuerſæ; poteſt altera ab Eccleſia, altera à Deo haberi. Nam in Ordinatione confertur poteſtas Sacerdotalis ad Sacerdotales functiones: quales ſunt, ſacrificare, peccata remittere, confirmare, conſecrare, ordinare: vt ex formis Ordinationum manifeſtum eſt. poſt Ordinationem verò ſequitur miſſio ad prædicandum Euangelium. Si vero neget poſſe: id niſi abſurde negari non poteſt: quid enim repugnat, quominus Presbytero ab Eccleſia ordinato munus legationis ad prædicandũ in toto orbe Euangelium à ſolo Deo committatur? Si enim dicat talem non à ſolo Deo miſſum iri. id falſum eſt. Nam Eccleſia cùm ordinat, non mittit; ſed aptos & idoneos miſſioni efficit & conſecrat. aut ſi aliquando mittit, aliud tum eſt miſſio, aliud ordinatio; & vnum ab altero ſeparari poteſt Similiter quid repugnat Deum mandare, vt is, cui ipſe munus docendi in toto orbe Euangelij impoſuit, ab Eccleſia in Presbyterum vel Epiſcopum ordinetur? vti in Paulo & Barnaba *Act: 13.* factum eſt, iubente Deo, vt Paulum & Barnabam, quos ad opus miniſterij, hoc eſt, ad Euangelizandum in gentibus elegerat, ſegregarent. quam ſegregationem ita intellexerunt, & executi ſunt illi, qui tum erant Antiochiæ Epiſcopi; vt ieiunantes, & orantes, imponenteſq; eis manus, dimitterent illos. Vnde tale ſtatuo argumentum; imponere manus ad opus miniſterij, nihil aliud eſt, quàm ordinare. Sicut igitur nullus error eſt ijs, quos ſolus Deus mittit, ab Eccleſia manus imponi, ita neq; ordinari. Ex quo perſpicuum eſt non rectè Zaborouium intuliſſe; Paulum cùm à ſolo Deo non ab hominibus miſſus eſſet, non fuiſſe ab Eccleſia ordinatum: Licèt enim Paulus dicat ſe ab hominibus non eſſe miſſum, non tamen dicit ab hominibus ſe non eſſe ordinatum: aliud ſiquidem eſt Ordinatio, aliud miſſio: poteſtque vnum ab Eccleſia, aliud à ſolo Deo haberi. Neque poteſt aliter tueri ſe Zaborouius, niſi miſſionem cum Ordinatione confundat: quæ duo eſſe diuerſiſſima nemo eſt qui ignorat. & à nobis ſuprà ſatis probatum eſt. Fruſtra verò negare pergit. Paulum *Act: 13.* eſſe ordinatum; ſed tantùm preces peculiares pro eo fuſas. Nam nos euidenter demonſtramus impoſitione manuum ad opus miniſterij veram Ordinationem eſſe: cùm igitur Paulo tum manus tres illi Epiſcopi qui memorantur

Paulus à Deo miſſus: ordinatus ab Apoſtolis.

rantur impoſuerint; negari minimè poteſt Paulum ab ijs ordinatum fuiſſe Epiſcopum. Nam ſicut Presbyter ab vno Epiſcopo, ita Epiſcopus à tribus ſecundùm Canones Apoſtolicos ordinatur.

At inſtat Zaborouius inter Epiſcopum & Apoſtolum hoc diſtare inquiés, quod Epiſcopi in ſuis Eccleſijs reſideant; Apoſtoli autem per totum orbem docere iubeantur. Cùm igitur Paulus fuerit Apoſtolus, non poterat ordinari Epiſcopus. Verùm nihil ea inſtantia habet momenti. Nam vt Epiſcopi particulares in ſua particulari Eccleſia reſident; ita Epiſcopi vniuerſales, quales erant Apoſtoli, vniuerſæ per orbem Eccleſiæ attendunt. Adhæc Epiſcopus, poteſt ſimul eſſe & particularis alicuius Eccleſiæ Epiſcopus, quam per ſeipſum adminiſtrat; & vniuerſalem omnium Eccleſiarum, quas per alios Epiſcopos gubernat curam habere. Sic Petrus primùm erat Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, tum Alexandrinæ, demum Romanæ: & tamen cùm hoc Epiſcopatu particularium Eccleſiarum erat ſimul Apoſtolus, & vniuerſalis omnium Eccleſiarum & Epiſcoporum Epiſcopus. Pari igitur ratione, Paulum non repugnabat ſimul eſſe alicuius particularis Eccleſiæ Epiſcopum, & Apoſtolum totius mundi: ſiquidem in toto mundo docebat: & Epiſcopos Eccleſijs præficiebat; & omnium Eccleſiarum ſolicitudinem habebat, vti ipſe de ſeipſo teſtatur. Neque obſtat, quod addit Zaborouius Paulum multo ante Euangelium prædicaſſe, ac proinde non potuiſſe tunc ordinari Epiſcopum. Nam ad prædicandum neceſſe non eſt eſſe Epiſcopum: id enim Doctorum & Prophetarum, inter quos tunc Paulus fuit, munus erat: potuit igitur poſt creari Epiſcopus, vt tanto dignius Apoſtolicum munus obiret. Verùm cùm Zaborouius pro ſuorum ordinatione Miniſtrorum nihil ſolidi attulerit: ad tertiam Miniſtrorum notam, quæ eſt à peccatis abſoluendi poteſtas, expendendam veniamus.

Poſſunt Epiſcopi eſſe vniuerſales & particulares ſimul.

CAPVT X.

Miniſtros Euangelicos, quòd poteſtate remittendi peccata careant, non eſſe legitimos Miniſtros.

INter cæteras ſanctas ac propè diuinas functiones, ad quas Miniſtri Eccleſiæ diuina inſtitutione ordinantur & conſecrantur, eſt peccatorum remiſſio. quæ quia omnem humanam facultatem excedit, Spiritum ſanctum

Apoſtolis

Apoſtolis Chriſtus largitus eſt, vt minimè dubitarent, id quod ſolius Dei proprium eſt, ſpiritus diuini virtute & omnipotentia ſe quoq; perficere poſſe. Nam & miraculorum patratio ita Dei propria eſt, vt tamen diuina aſſiſtente virtute ab hominibus fieri poſſit. Verba Chriſti Domini ſunt *Ioan: 20. 23. Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta ſunt.* Verùm ſicut Catholici hanc diuinam in ſuis Sacerdotibus poteſtatem mirantur & adorant: ita Euangelici nec agnoſcunt, nec reuerentur. quomodo verò agnoſcerent in Miniſtris, quod nec in Chriſto nec in Deo agnoſcunt. Nihil affingendo dico: ſed ipſiſſimũ illorum dogma profero. Dogma illorum proprium eſt. Peccata in nobis non verè tolli à Deo ita vt non maneant; ſed verè manere, & ſolùm non imputari, & contegi imputata iuſtitia Chriſti. Cùm igitur neq; Deum fateantur peccata nobis verè remittere: quid mirum idem Miniſtris quoque Dei denegare? Indigniſſimum ſanè Chriſtiano homine dogma; ſed alibi oppugnandum. Nũc ſatis erit oſtendere poteſtatem verè remittendi peccata Sacerdotibus à Chriſto conceſſam eſſe: id quẽ clariſſimis ipſius Chriſti verbis.

Spiritum S. Chriſtus largitus Apoſtolis ad munus illus mandatum neceſſarium.

Et quidem Zaborouius cum ſuis in ſpeciem ait Miniſtros remittere peccata, anuntiando remiſſa vel remittenda, ſub conditione Fidei & ſeriẹ pœnitentiæ. Verùm hæc explicatio plurimis, iiſquè potentiſſimis argumentis refellitur. Nã primùm ſeipſam euertit: qui enim annũtiat ab alio remiſſa vel remittenda peccata, ipſe nõ remittit, ſed oſtẽdit eum qui remittit. ſicut & is, qui nuntiat Regem donaturum alicui certam pecuniæ ſummam, non dicitur profectò ipſe donare; ſed ſolùm donatorem indicare. Cùm igitur Miniſtri ſolùm annunciant à Deo remiſſa vel remittenda peccata, minimè dici poteſt ipſos remittere peccata; ſed remittentem indicare. Nam ſi dicant, quod annuntiationem ſequatur remiſſio: id quidem verum eſt. ſed ſequitur à Deo non ab ipſis. vnde ipſi id ſibi nullo modo arrogare poſſunt, quod annunciando remittant peccata: hoc enim ipſum annuntiant, quòd DEVS non ipſi remiſſurus ſit peccata, poſita conditione Fidei & ſeriæ pœnitentiæ.

Luteranum dogma de remiſſi peccator: à Miniſtris abſurdum.

1.

2.

Deinde vel Miniſtri annuntiant peccata antè iam remiſſa, poſito quòd conditio Fidei & ſeriæ pœnitentiæ fuerit iam impleta: & tum tali annuntiatione non remittunt peccata; quia ante annuntiationem Miniſtri iam erant remiſſa. Vel annuntiãt in futurum remittenda, ſi conditio Fidei & ſeriæ pœnitentiæ fuerit impleta: ſed tali etiam annuntiatione non remittuntur peccata: quia nonniſi multò poſt annuntiationem, Miniſtro interim vel dormiente, vel nihil cogitante, vel etiam vita fortaſſe functo, remittuntur à Deo

Quia annũtiant iam remiſſa; aut poſt remittẽda, aut iam iam remitti ab alio.

à Deo. falsumque erit tum Ministrum remittere peccata: hoc enim esset remittere peccata, antequam essent remissa, quod manifestam implicat contradictionem. Quodsi dicant Ministros annuntiare tunc peccata remitti, cùm ipse annuntiat. neque tali annuntiatione dici potest Minister remittere peccata: quia tunc Minister annuntiat remissionem quæ fit à Deo, non quæ fit ab ipso; quare annuntiat Deum remittentem peccata, non verò ipse remittit. Nullo igitur modo Minister annuntiando dici potest remittere peccata: vanumque & fucus merus verborum est cùm dicant se annuntiando remittere. Nam potiùs quia annuntiant, sequitur quòd non remittant quàm quòd remittant: annuntiant enim ab alio remittenda peccata non à se: qui verò annuntiat ab alio aliquid factum vel faciendum, non dicitur ipse facere.

3. *Posset quiuis cuiuis, & sibi ipsi hoc modo remittere peccata.*

Deinde, vti in *Nodo* vrgebam, si remittere peccata nihil aliud esset, quàm annuntiare Deum remissurũ peccata, si adsit Fides & seria pœnitentia; sequeretur etiam non Ministros posse remittere peccata; imò quemlibet sibiipsi remittere peccata posse. quilibet enim sine Ministro, vel legere in Scripturis posse hanc doctrinam de remissione peccatorum; vel ab alijs qui non sunt Ministri eam addiscere; vel sibi ipse in mentem reuocare. Atquis dixerit quemlibet sibiipsi remittere peccata posse? aut eũ qui Minister legitimus non sit posse id, quod solis Apostolis *Ioan: 2.* & eorum successoribus concessum est? Quorsum igitur Ministros Christus tanta ceremonia instituit ad id, quod quicunque alius æquè bene, & aliquando multò meliùs quàm Minister præstare potest? Est enim id commune omnibus Christianis, vt quilibet possit ex charitate alterum excitare ad spem veniæ à Deo consequendæ, si seriò ipsum malè facti pœniteat.

Quid ad hæc Zaborouius? Ait me modum annuntiandi priuatum cum publico confundere. Etsi enim priuatim idem consequi possim: tamen publicum annuntiandi remissionem exercitium est ex Christi institutione necessarium; & tutiùs acquiesco, cùm ab Ordinario remedium peto, & ab eo fuero absolutus. At non hoc agitur, Zaboroui, an modus annuntiandi publicus & priuatus sint distincti: hoc enim quis est qui nesciat? Neque an publicum annuntiandi peccatorum remissionem exercitium sit in Ecclesia necessarium: siquidem multos esse in communitate oportet qui per seipsos eam doctrinam consequi non possunt. Sed id à te petit argumentum: an cùm priuatus quilibet sibi proponere possit eam doctrinam, quam Minister publicè proponit, possit dici sibiipsi peccata remittere, vel etiam alteri, etiamsi Ministri officium non gerat? id enim sequi meo argumento probo: tu verò ad id non respondes. Nam quantum sit id absurdum, vel ex eo intelliges.

Nemo sibi potest remittere peccata, vt nec baptisare sese.

telliges, quòd hucuſque nunquam auditum eſt, vt quis ſibiipſi peccata remiſerit, vel is qui non fuerit ad id legitimè ordinatus, potuerit alteri peccata remittere. Et ſicut nemo ſeipſum baptizare poteſt, quia Chriſtus mandauit Apoſtolis alios baptizare: ita quia ijſdem Apoſtolis Chriſtus impoſuit, vt aliorum peccata remitterent; ſequitur neminem ſibiipſi remittere peccata poſſe. Nam quod ais tutiùs conſcientiam acquieſcere, ſi Miniſter annuntiet: id de Catholicis Miniſtris verum eſt: de quorum & vocatione conſtat, & quòd non annuntiandi duntaxat, ſed & efficiendi remiſſionem peccatorum poteſtatem habent. Veſtri verò Miniſtri, neque ſuam vocationem probare vnquam potuerunt: neque aliud norunt facere, niſi prædicare. Si igitur, quod illi prędicant de remiſſione peccatorum, alter meliùs norit quàm ipſe Miniſter; qui fieri poteſt, vt maior ſecuritas ſit ex ipſorum ore doctrinam de remiſſione audire, quos ſuis auditoribus ſæpe rudiores in doctrina eſſe certò conſtat; & præter doctrinam diuinum nihil habeant?

Verùm Zaborouius veritate victus, tandem concedit ſuos Miniſtros impropriè peccata remittere. Ex quo ego infero, eos quoque impropriè eſſe Miniſtros. Qui enim impropriè aliquid facit, non eſt verus & legitimus eius rei faciendæ miniſter: Miniſter enim à miniſteriò nominatur: ſi ergo improprium miniſterium circa remiſſionem peccatorum habet, impropriè quoque remiſſionis peccatorum erit miniſter. quod etiam exemplo illuſtro. Si enim quis eo modo annuntiaret alicui Baptiſmum, quo iſti annuntiant remiſſionem peccatorum, nempe ſi credideris & Baptiſmum ab aliquo Sacerdote ſuſceperis; ſaluus eris; dubio procul non eſſet is verus & proprius Miniſter Baptiſmi iſtius: quia nimirum non ipſe baptizaret, ſed baptiſmum ab alio conferendum annuntiaret. Pari ergo ratione cùm Miniſtri Euangelici annuntient ſolùm remiſſionem peccatorum à Deo conferendam, non verò ipſi efficiant, dici non poſſunt veri & legitimi Miniſtri remiſſionis peccatorum. Hoc verò eſt quòd volumus, Euangelicos Miniſtros ipſiſmet aſſertoribus non eſſe veros & proprios Miniſtros remiſsionis peccatorum. Quantùm verò peccent, quòd verba Chriſti, quibus poteſtatem remittendi peccata contulit, de impropria remiſsione interpretentur, infrà oſtendetur.

Hæreticorũ Miniſtelli impropriè ita dicuntur, id eſt non verè.

Tertium contra hanc expoſitionem argumentum eſt: quòd remittere peccata nullus niſi legitimè ordinatus poſsit. Solis enim Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus dictum eſt; *Accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Soli accepto Spiritu ſancto ſunt ad id munus conſecrati à Chriſto. Atqui annuntiare peccatorum remiſsionem quilibet, etiamſi ordinatus non ſit, poteſt, puer, fœmina, infidelis, imò & ipſe dœmon, vel etiam pſittacus ſi doceatur. Ergo annuntiare non eſt idem

non magis quàm pſittacus, aut dæmon.

 quod

quod remittere. In dæmones, inquit, Zaborouius, cadere non potest, vt alicui remissionem peccatorum sub conditione Fidei & pœnitentiæ annuntient. Quidni, Zaboroui? nam etsi ex affectu ad nostram salutem id non possint propter insitam sibi malitiam, & quod habent erga homines capitale odium: tamen ex alijs causis quidni possint? nempe vel Dei permissione & voluntate, ad eum modum, quo Christum esse verum Dei Filium non semel in Euangelio confessos esse legimus: vel fine fallendi homines, vt eo veluti pio colore, quod remissionem peccatorum annuntient, fidem sibi concilient; vnde facilius in alias fraudes homines impellere possint. quod in dæmonum apparitionibus & oraculis non infrequenter accidit: Paulusque indicat, cùm eum transfigurari quandoque in Angelum lucis non diffitetur. tunc enim se transfigurat, cùm velut Angelus lucis bona docet, & speciem præsefert pietatis. Cùm igitur negare non possit Zaborouius, dæmonem transfigurantem se in Angelum lucis posse annuntiare Euangelium de remissione peccatorum: negare quoque non poterit dæmonem Euangelicis peccata remittere posse. ipsi enim credunt, idem esse peccata remittere, quod annuntiare.

Fœminis negamus posse quem absoluere.

Fœminæ, inquit, cùm apud vos in necessitate baptizare possint, peccata quoque secundùm vos remittere possunt. At aliud est, Zaboroui, interuentu Baptismi, qui ex Christi institutione vim habet abolendorum peccatorum, peccata remitti. hoc enim quilibet potest, qui baptizare potest; sed Baptismi, non sua, virtute & potestate: aliud verò ratione peculiaris potestatis sibi diuinitus concessę peccata remittere, vt in Sacramento Absolutionis accidit: hoc enim apud Catholicos nemo nisi legitimè ad id munus cõsecratus potest; quare neque fœmina, neque laicus. Apud vos autem sicut annuntiare quilibet potest, etiam fœmina; ita remittere quoque peccata annuntiando potest. quod tamen vel ex eo absurdum est: quia Christus Apostolis, nonnisi priùs ordinatis & Spiritu S. consecratis, eam potestatem concessit.

& pueris. quamuis Episcopis.

Dum etiam ais, pueros aliquando apud nos in Episcopos promotos, à peccatis absoluere potuisse: primùm falleris, si existimas id in Ecclesia Romana grauissimis Canonibus cautum non esse, ne scilicet quis ante præscriptam ætatem vllis ordinibus initietur. Deinde si id aliquando contingat pueris Principibus, vt eorum qua multum valent auctoritate Ecclesia ab Hæreticis & alijs id genus inuasoribus protegatur. id non fit per collationẽ Ordinis Presbyteralis aut Episcopalis, sed potestate facta Episcopatum administrandi, siue per se, siue per alios qui rite sunt ordinati. talis autem administratio potestatem Ordinis non requirit. Quocirca nullo modo sequitur, pue-

tur, pueros eiusmodi à peccatis absoluere posse, cùm neque sint veri Sacerdotes, neque veri Episcopi. Quodsi demus per abusum & contra Canones aliquem talem ordinari: is tamen lege Ecclesiastica ab vsu Ordinis, donec ad legitimam ætatem peruenerit, prohibetur. Non ita apud Euangelicos: secundùm quorum decreta quicunque annuntiare Dei voluntatem de remissione peccatorum potest, poterit etiam peccata remittere: quare & puer peccata remittet, quem ad eiusmodi functionem ineptum esse testificatur ætas.

Multa verò comminiscitur de priuata & laica Absolutione, quæ partim non intelligit, partim deprauat. Nam si de ea Absolutione, quæ est à peccatis in Confessione sermo sit: eam nunquam Ecclesia adhibuit, vel adhiberi posse ab ijs qui non sunt ordinati docuit. nisi fortè quis per abusum & crassam ignorantiam sibi eam potestatem quam non habuit vsurpauerit, diuinam institutionem inuertendo. Verùm abusus non esse allegandos omnes norunt. Si verò de Absolutione metaphorica sit sermo: ea cùm ad Confessionem non pertineat, nihil ad nostrum propositum facit. Nos enim non de metaphorica, sed vera & sacramentali Absolutione, quæ in Confessione impenditur, hic agimus. Tales sunt illę Absolutiones metaphoricæ, quas ex Augustino & Theophilacto extra rem adducis. *Cœpisti*, inquit Augustinus *de verbis Domini secundùm Matth: serm: 16. habere fratrem tuum tãquam Publicanum, ligas illum in terra: cùm autem correxeris & concordaueris cum fratre tuo, soluisti eum in terra.* Et Theophilactus *in Matth: cap: 18. Si tu*, inquit, *offensus habes eum, qui te offendit, tanquam Publicanum & Gentilem, erit ille & in cœlo talis: si autem solueris eum, hoc est si illi condonaueris, erit illi & in cœlo condonatum.* Ex quibus patet: aut falsum esse, remissionem peccatorum annuntiatione remissionis contineri: aut ad remittenda peccata potestatem quibusuis hominibus, etiam fœminis, imo & dæmonibus concedendam.

& cuiuis non sacerdoti.

nisi absolutione impropria.

Quartò, potestatem remittendi non esse eandem cum potestate prædicandi multa sunt quæ indicant. Primùm, quia diuerso ritu & ceremonia hæ potestates à Christo Apostolis concessæ sunt. Cùm enim potestatem remittendi daret, *insufflauit*, *& dedit Spiritum sanctum:* quod dando potestatem prædicandi non fecit. Secundo: quia Apostoli non ipsa prædicatione remittebant peccata, sed homines ad Sacramenta amandabant, vt per ea suorum peccatorum remissionem consequerentur; vt patet *Act: 2. 37.* Post prædicationem enim ijs qui crediderunt non pronuntiat Petrus esse remissa peccata, sed iubet illos pœnitentiam agere & baptizari in remissionem peccatorum. Ananias etiam Paulo post prædicationem ostendit Baptismum ad ab-

Munus docendi & absoluendi longè diuersum.

1.

2.

luenda peccata: *Baptizare*, inquit, *& ablue peccata tua. Act: 22. v. 16.* Quocirca prædicatione solùm indicantur media ad remissionem peccatorum consequendam, non verò confertur ipsa remissio.

neque alterū continetur in altero. Ad hoc argumentum respondet Zaborouius. Primò potestatem prædicandi quatenus latiùs se extendit, quàm ad remittenda peccata, nempe ad docendas alias res Fidei & Sacramenta, esse diuersam quodammodo à potestate remittendi; ita tamen, vt hæc potestas in illa contineatur. At non euadit Zaborouius. Nam potestas remittendi distincto & peculiari ritu ac ceremonia est data à potestate prædicandi: quod signum est in potestate prædicandi non fuisse contentam potestatem remittendi: vt quid enim peculiari ritu potestas remittendi daretur, si ea fuisset in generali illa potestate prædicandi contenta? Nam quod ait Zaborouius non esse Christum vsum vlla ceremonia, dum potestatem docendi daret, quia in die Pentecostes peculiari ratione in linguis igneis Spiritum Sanctum illis daturus erat; id, inquam, non soluit argumentum. Non enim quærimus, quid in die Pentecostes facturus erat Christus: certum enim est eo die non ad qualemcunq; prædicationem, sed ad illam admirabilem reuelationem omnium veritatum supernaturalium datum esse Spiritum S. sed quærimus, cur post Resurrectionem alio ritu potestatem remittendi; alio potestatem prædicandi contulerit: nisi quòd hæ potestates ita sint distinctæ, vt vna non contineatur in altera.

Ne tunc quidem inquit Zaborouius ad prædicandum sine Spiritu S. misisse. quomodo enim aliquid in salutem hominum Spiritu S. destituti facerent? At non erat id necesse, Zaboroui: nam ad communem prædicationé sufficit communis gratia Sacerdotibus in ordinatione dari solita per manuū impositionem. Quare manet adhuc discrimen, quo Christus has duas potestates discreuit.

Respondet secundò Zaborouius; prædicatione indicari quidem Sacramenta, non tamen rectè prædicationem opponi Sacramentis: cùm Sacramenta totam vim & efficaciam habeant ex verbo: *Accedit* enim *verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* vt docet Augustinus *19. contra Faustum cap: 16. & tract: 80. in Ioannem.* Verùm nec quid à nobis dicatur, nec quid intersit inter verbum Concionatorium, & inter verbum Sacramentale, videtur percipere Zaborouius. Dicimus enim Apostolos cùm prædicarent remissionem peccatorum, illa prædicatione non remisisse peccata, sed indicasse Sacramentum Baptismi, tanquam quid distinctum à sua prædicatione conferens remissionem peccatorum. Neque enim Baptismus virtutem suam ex prædicatione Petri habuit, sed ex institutione Christi. Nam quamuis Baptismus sine verbo nullam vim habeat: *accedit* enim *verbum ad elementum*

verbum concionatorium non idem Sacramentali.

& fit

& fit Sacramentum : tamen verbum illud non eſt Concionatorium ſed Sacramentale. Concionatorium enim eſt illud, quo annuntiatur & ſuadetur remiſſio peccatorum : Sacramentale verò quo vis & natura Sacramentorum exprimitur, vt in Baptiſmo verba illa, *Ego te baptiſo, in nomine Patris & Filij, & Spiritus S.* ſunt Sacramentalia quia formam & naturam Baptiſmi exprimunt. Baptiſmus igitur non conſtituitur per verbum Concionatorium, ſed per Sacramentale: quantumuis enim quis concionetur, niſi verba Sacramentalia quæ forma Sacramenti dicuntur proferat, non conficit Baptiſmum. vnde & à verbo Sacramentali non Concionatorio virtutem ſuam habet Baptiſmus. quod patet in pueris, qui dum baptizantur non audiunt nec intelligunt concionem, ſed per ſolum verbum Sacramentale iuſtificantur in Baptiſmo. Etiamſi enim nulla præcedat concio, & ſolùm verbum Sacramentale cum aqua adhibeatur, verus Baptiſmus conficitur; & (ſi nullus obex adſit) conſequitur remiſſio peccatorum. Hoc igitur ſenſu Baptiſmum in verbo mundare docet Auguſtinus, & reliqui omnes Eccleſiæ Doctores.

Quodſi dicas, ad remiſſionem peccati per Baptiſmum, requiri Fidem & pœnitentiam, quæ ſine prædicatione haberi non poteſt; *Quomodo* enim *credent ſine prædicante? Rom: 11. 14.* Reſpondeo prædicationem requiri in adultis ad præparandos & diſponendos animos ad remiſſionem in Baptiſmo conſequendam : neq; enim Baptiſmus, etſi vim delendi peccati habeat, in animo infideli & impœnitenti quicquam efficiet. Prædicatio igitur tollit obicem & impedimenta : Baptiſmus verò gratiam qua remittuntur peccata cõfert. Ex quo patet verbo Concionatorio non aliam vim ad remiſſionem peccatorum, niſi præparatoriam tribuendam eſſe.

nec ſemper neceſſaria prædicatio.

CAPVT XI.

Chriſtum dediſſe Apoſtolis poteſtatem iudiciariam & effectricẽ remiſsionis peccatorũ.

CErtum inprimis eſt, Chriſtum non dediſſe Apoſtolis abſolutam & independentem poteſtatem ad remittenda peccata. Non enim vi huius poteſtatis poterãt ad libitum cui & quomodo vellent remittere peccata. verbi gratia, non audita priùs peccatorum confeſſione, vel non pronuntiatis verbis à Chriſto inſtitutis *Ego te abſoluo* neq; etiam nomine ſuo, ſed ſolùm nomine & auctoritate Chriſti poterant abſoluere. Poteſtas igitur à Chriſto conceſſa

Poteſtas remittendi peccata non eſt abſoluta.

concessa est ministerialis duntaxat. Ministrorum enim est non suo sed alterius nomine & potestate & ex alterius præscripto agere.

eadem est iudiciaria. Hac porro potestate ex instituto Christi Ministri vti debent per modum iudicij: siquidem cognita priùs ratione peccati, & audito reo, pronuntiant nomine Dei sententiam, qua illum vere & à peccato absoluunt, & à damnationis æternæ reatu. Cùm enim ad discernendum, an peccata sint remissione vel retentione digna, cognitione sit opus, ea quæ non aliunde haberi possit, quàm ex rei ipsius confessione, cuius & causa salusq; agitur; & peccatorum ratio præcipuè ex corde & volũtate peccantis dependet; cordis autem arcana post Deum nemo nisi peccans ipse nouit: ipsius ergo confessione opus est ad detegenda arcana cordis, vt pro veritate sententia remissionis pronuntiari possit. Quæ ratio tota est iudiciaria, & verè effectrix remissionis peccati: sicut vere iudex absolutione sua liberat reum à reatu & pœnis criminis, cuius ab accusatore insimulatus fuerat.

verba enim Christi propriè accepta, vt debent, id significant. Porro hanc veram & iudiciariam potestatem primùm verba ipsa Christi ostendunt; *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Si enim ea verba in propria significatione, vti debent, accipiantur; non possunt, nisi de vera peccatorum remissione intelligi. Remittere enim peccatum est illud tollere, & facere vt reus peccati amplius reus non sit. quo etiam modo illa

1. sequentia; *Remittuntur eis*, proprie & de vera remissione ab omnibus intelliguntur. Propriè autem accipi debere suadet inprimis lex illa Scripturas interpretandi, vt verba Scripturæ semper in propria & vsitata significatione accipiantur, nisi ex adiunctis impropria significatio necessariò sit admittẽda. Hic verò nil dixit Christus, quod cogat verbum *remiseritis* impropriè accipiendum esse. In propria igitur significatione de vera remissione accipi debet. Deinde Christi verba indicant, sententiam de remissione latam in terris, cõ-

2. firmari à Deo in cœlis; vti etiam Sancti Patres obseruant. Sensus etenim est; Id quod vos feceritis in terris, ratum erit in cœlis: & remissio à vobis facta rata erit & confirmata in cœlis. Sicut igitur vera remissio rata habetur in cœlis, ita & vera remissio fit in terris. Ita enim Augustinus *de vera & falsa pœnitentia cap: 10.* illa Christi verba; *Quodcunq; solueris super terram, soluetur & in cœlis,* exponit: *hoc est; Ego Deus, & omnes ordines cœlestis militiæ, & omnes Sancti in mea gloria laudant vobiscum & confirmant, quos ligatis & soluitis. Non dixit; quos putatis ligare & soluere, sed in quos exercetis opus iustitiæ aut misericordiæ.* Ita & Hilarius *in Matthæum Can: 16.* de Petro loquens, ait; *O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur: cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in cœlo; vt quæ in terris ligata sunt aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cœlis.* vel, vt san-

vt sanctus Leo *in serm: 2. Anniuersarij Assumptionis* loquitur. *mansuram in cœlis iudiciorum suorum definitionem.* Præterea his verbis Dominus legem perpetuò in Ecclesia duraturam constituit: legis autem conditio est, vt proprijs verbis & vsitatis condatur, ne in diuersos & contrarios sensus torqueri possit. Quare & verbum remittendi hoc loco in propria & vsitata significatione pro vera remissione accipi debet. ex quo sequitur, vt potestas verè peccata remittendi data Apostolis à Christo intelligatur. 3.

Secundò, indicant idem illa Christi verba; *Accipite Spiritum Sanctum.* cur etenim Spiritus S. ad remittenda peccata datur Apostolis, nisi quia remissio peccatorum est res tam sancta, vt perfici humanis viribus nequeat; sed proprium sit opus Spiritus S. vt quod propria virtute non possunt, id virtute Spiritus S. perficiant? Ad eam igitur remissionem perficiendam datus est Spiritus S. quæ est opus proprium Spiritus S. cùm què remissio quæ à Spiritu Sancto efficitur sit vera & propria remissio, per quam peccata tolluntur; sequitur eandem remissionem perficiendi munus & potestatem Apostolis à Christo concessam esse. 2. *indicat id Spiritus S. comunicatio.*

Iam si remissio peccatorum nihil esset aliud, quàm annuntiatio remissionis sub conditione Fidei & pœnitentiæ: talis remissio non esset, nisi pars quædam prædicationis. Cùm igitur Christus in Ecclesia non instituerit peculiarem ritum, quo prædicatoribus conferretur Spiritus sanctus, siquidem cùm mitteret Apostolos ad prædicandum in toto mundo, nullam talem ceremoniam adhibuit, qua illis daretur Spiritus sanctus. sequitur neque ad remissionem quæ prædicatione sola continetur, datum esse Spiritum sanctum. Nam quod ait Zaborouius, Christum ad docendum daturum fuisse Spiritum S. postea, hoc est, in die Pentecostes: non aduertit tunc datum fuisse Spiritum S. Apostolis cum donis illis supernaturalibus, quæ ad communes prædicatores tradi non possunt. Nam & scientia omnium mysteriorum Fidei supernaturalis & perfecta fuit tunc Apostolis infusa, Spiritu S. docente illos omnem veritatem: & donum linguarum concessum: denique plenitudo Spiritus tanta, vt diuinitaté spirare viderétur: seu, vt ait Apostolus, *in ostensione Spiritus & virtutis* prędicarent. Quæ omnia cùm nonnisi à Spiritu Sancto conferri potuerint, meritò ad illam primam Euangelij prædicationem datus fuit Apostolis Spiritus S. quod tamen priuilegium ad Apostolorum successores & communes prædicatores, promulgato iam Euãgelio, non transiuit. Quanquam non nego prouidisse cæteris quoq; prædicatoribus Christum gratiam Spiritus S. sed à gratia Sacerdotij non distinctã. Cùm enim prædicatores in Ecclesia ordinarij & Sacerdotes futuri essent; ea què functio Sacerdotali Ordini sit annexa: ea quoq; gratia Spiritus Sancti, quæ in

Talem ritum non adhibuit Christus mittens ad prædicandũ.

quæ in Ordinatione Sacerdotibus per impositionem manuum datur, seruit ad prædicationis munus obeundum: cùm sit inter cæteras Sacerdotum functiones. Cùm igitur hic Christus specialem ritum instituerit, quo daretur Spiritus S. ad remittenda peccata: manifestò colligitur aliud quid esse hanc remissionem, quàm prædicationem remissionis peccatorum.

3. *quia Christus dedit auctoritatem peccata remittēdi instar sui.*

Tertiò idem indicant illa Christi verba: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos:* hoc est, officium & munus quod mihi mandauit Pater, & ego mando vobis. cuius officij exemplum in particulari cùm potestatem remittendi peccata esse voluerit, idcirco rectè concluditur, idem quoq; peccatorum remittendorum officium ac munus cum Apostolis commune fecisse. Officium autem Christi & munus erat peccata vere remittere; quare idem quoq; munus Apostolis communicauit. Particula *sicut*, inquit Zaborouius, non semper identitatem & paritatem designat, sed aliquando similitudinem. At neq; nos paritatem vrgemus: scimus enim Christum tanquam Dominũ absolutam habuisse potestatem, Apostolos verò vt Ministros Christi ministerialem duntaxat. sed id quod vrgemus est, quod ad id ad quod Christus à Patre missus est, Apostolos quoq; miserit, illis qué idem munus & officium imposuerit exequendum, scilicet in remittendis vere peccatis: salua ea differentia, quam inter Ministri & Domini potestatem intercedere necesse est. Dominus enim quæ ipsius propria sunt exequitur per Ministros, Dominus quidem potestate absoluta; Ministri potestate ministeriali & limitata.

Neque verò instantia Zaborouij est alicuius momenti, cùm ait Christum ad redimendum genus humanum sanguine suo missum esse, id verò Apostolis non conuenire. Non enim Christus ad omnia ea, ad quæ ipse à Patre missus est, ait se Apostolos quoq; mittere: sed solùm ad ea, quæ cum Apostolis erant communicanda, inter quæ potestas quoque remittendi peccata numeratur; ait se Apostolos ita mittere, sicut ipse missus est à suo Patre.

Quæ etsi luce clariora sint, ea tamen Zaborouius aliquot Patrum malè & infideliter citatorum auctoritatibus obscurare conatur. Primum testimonium Ambrosij est, cuius verba ex Gratiano in compendium redacta adducit *dist. 1. de Pœnitentia. Can. verbum. Verbum Dei*, inquit, *dimittit peccata; Sacerdos Dei est iudex. Sacerdos quidem officium suum exhibet, sed nullius potestatis* (addit Zaborouius, absolutæ & iudiciariæ) *iura exercet.*

Ambrosii sententia sacerdos est iudex peccatorũ instar Christi.

Verùm hic Ambrosij locus sententiam Zaborouij non solùm non iuuat, sed prorsus euertit. Nam si Ambrosius disertè fatetur Sacerdotem in remittendis peccatis esse iudicem · quomodo potestatem iudiciariam negare censendus est? Nunquid iudex sine iudicandi potestate quis censeri potest? cùm potius ideo dicatur iudex, quòd iudicandi potestatem habeat. Cùm verò

Ambrosius negat Sacerdotem vllius potestatis iura exercere, de absoluta potestate loquitur. quia nimirum nihil sua propria & absoluta, sed Dei duntaxat auctoritate facit. Non vero iudiciariam negat, quæ illi quatenus iudex est, non potest non conuenire.

Porro cùm dicit Verbũ Dei dimittere peccata: non de concionali verbo loquitur, vt Zaborouius putat; sed de illo Dei verbo, in quo potestas hominibus datur peccata dimittendi; *Quorum remiseritis, &c.* Hoc enim Dei verbum facit homines peccata dimittere: & virtute ipsius opus hoc tam arduum aggrediuntur. quod sine eo non auderent. Cùm verò ait Sacerdotem esse Iudicem: an non te tuosque Euangelicos qui Sacerdotes non estis condemnat, & à potestate absoluendi & retinendi peccata prorsus excludit? vt enim *1. de pœnitentia c. 2.* ait. *Ius hoc ligandi adque soluendi solis promissum Sacerdotibus est. Rectè igitur illud Ecclesia sibi vendicat, quæ veros Sacerdotes habet: hæresis vendicare non potest, quæ Sacerdotes Dei non habet.* Et mox ostendit Sacerdotes, dum Spiritum S. in ordinatione accipiunt, potestatem Spiritus S. quam habet in criminibus soluendis pro suo modulo participare. *Qui,* inquit, *Spiritum S. accipit, & soluendi potestatem ac ligandi accipit: sic enim scriptum est; Accipite Spiritum sanctum. quorum remiseritis, &c. Ergo qui soluere non potest peccatum, non habet Spiritum sanctum. Munus Spiritus S. est officium Sacerdotis: ius autem Spiritus S. in soluendis ligandisq; criminibus est. Quomodo igitur munus eius vendicant, de cuius diffidunt iure & potestate?* Secundùm ergo Ambrosium Sacerdotes verè & propriè efficiunt remissionem peccatorum. quia ad hoc accipiunt Spiritum sanctum vt in eis id efficiat, quod ipsius proprium est, nempe remissionem peccatorum.

Ac ne dubitari de mente Ambrosij possit: is ex instituto id probat ibidem *in cap: 7. Vult,* inquit, *Dominus plurimum posse discipulos suos: vult à seruis suis re fieri in nomine suo, quæ faciebat ipse positus in terris. Demum ait: Et maiora his facietis. Dedit vt mortuos suscitarent: & cùm ipse posset Paulo reddere vsum videndi, eum tamen ad Ananiam discipulum suum misit, vt eius benedictione Saulo refunderentur oculi quos amiserat. Petrum quoque secum in mari iussit ambulare: & quia titubauit, reprehendit illico; eò quòd dona gratiarum Fidei pauxillitate minuisset. Dedit etiam discipulis vt lux mundi essent per gratiam, qui erat ipse lux mundi. Et quia descensurus esset è cœlo, & in cœlum ascensurus, Eliam ad cœlum leuauit, inde eum terris pluuio redditurus tempore: Baptizaturus quoque in Spiritu S. & igni per Ioannem Baptismatis Sacramenta præmisit. Omnia denique donauit discipulis suis: de quibus ait: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur no-*

vt & aliorũ prodigiorum patratores discipuli erant instituti in-stat Christi.

tur nouis: serpentes tollent: et si morti ferum quid biberint non eis nocebit: super ægros manus imponent & bene habebunt. Omnia ergo dedit: sed nulla in his hominis potestas est, vbi diuini nominis gratia viget. Cur igitur manus imponitis, & benedictionis opus creditis, si quis fortè reualuerit ægrotus? Cur præsumitis aliquos à colluuione diaboli per vos mundari posse? cur Baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In Baptismo vtiq; remissio peccatorum omnium est. quid interest, vtrum per pœnitentiam an per lauacrum hoc ius sibi datum Sacerdotes vendicant? vnū in vtroq; ministerium est Sed dices: quia in lauacro operatur mysteriorum gratia. Quid in Pœnitentia? nonnè nomen Dei operatur? En habes, Zaboroui, Ambrosium te docentem: Sacerdotes, non simplices laicos quales sunt vestri Ministri, habere veram potestatem efficiendi non tantùm annuntiandi remissionem peccatorum: sicut Christus ipse eam habuit positus in terris, eamqué sicut & alias suas virtutes seruis suis verè communicauit. non quidem tantam quantam ipse habuit, quia ipse habet vt Dominus absolutam; dedit vero seruis suis vt ministris, hoc est, ministerialem & ab ipso dependentem; sed veram tamen & vere operatiuam in nomine ipsius. Habes etiam, quo sensu Ministros nullam dicat habere propriam potestatem? *quia nulla in his*, inquit, *hominis potestas est, vbi diuinis muneris gratia viget.*

id est verè, & propriè, & sine fuco.

Idem quoque S. Pater soluit *ibidem c. 2.* vestrum argumentum, quo dicitis iniuriam Deo fieri, si quod est Deo proprium, hoc est remittere peccata, in homines transferatur: quia, inquit, quod Dei proprium est, ex mandato & commissione ipsius, potest hominibus quoque communicari. *Sed aiunt*, inquit, *se Domino deferre reuerentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reseruent. Imò nulli maiorem iniuriam faciunt, quàm qui eius volunt mandata rescindere, cōmissum munus refundere. Nam cùm ipse in Euangelio suo dixerit Dominus* IESVS; *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt: quis est qui magis honorat, vtrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in vtroq; seruat obedientiam, vt peccatum & alliget & relaxet: Hæresis in altero immitis, in altero inobediens &c.* Vide itaq;, Zaboroui, quàm infideliter & corrupte sanctos Patres pro vobis citare soletis, contra omnem ipsorum mentem & sententiam; vt clarissimis illorum locis relictis verbis aliquo modo obscuris omnia tenebris inuoluatis: propter quod nullam fidem apud nos meremini, qui toties perfidi estis & semper fuistis. vt multa millia falsificationum vobis, tum in Germania à Iacobo Keller, tum in Gallia à Frontone Ducæo ostensa testantur.

nulla in hoc Deo iniuria à nobis, sed ab hereticis maxima,

At forte felicior es in Augustino, cuius verba *ex 1. tractatu in Ioannē* adducis.

adducis. *Ministerium*, inquit, remittendi peccata *dedit Dominus seruis, potestatem autem sibi retinuit &c. eam potestatem nulli seruo daturus, sed sibi eam retenturus est, ne omnis imputet seruo quod Domino.* Verum, Zaborowi, inprimis falso citas Augustinum. Nam *tract: 1. in Ioannem.* nihil tale habetur (quanquam hoc vitium scriptoris esse potuit) habetur autem *in tractatu 5.* sed de Baptismo, non de remissione peccatorum in Pœnitentia, vti falso adscripsisti. Et licet in Baptismo fiat quoq; remissio peccatorum; tamen alia ratione quam in Pœnitentia: Nam in Baptismo non fit remissio peccatorum ex potestate aliqua diuinitus baptizanti communicata, sed sola virtute Baptismi, cui Christus hanc virtutem dedit, vt ad ipsum consequatur remissio peccatorum: etiamsi ab eo conferatur, qui nullam potestatem spiritualem à Deo accepit. In Pœnitentia verò ex virtute, quam Christus concessit Ministris, sequitur peccatorum remissio. quod quia negabas, Zaborowi, infideliter adduxisti Augustinum, quasi is de ea potestate, quæ Ministris ad remittenda in Pœnitentia peccata concessa est, loqueretur.

aliter in Baptismo, aliter in Confessione remittuntur peccata.

Sed admittamus Augustinum ita locutum esse: quid hic pro te habes? quid contra nos? Nonne cum Augustino fatemur vltro absolutam illam & independentem absoluendi potestatem, qua potest Christus vti quocunque modo vult, id quē sua non alterius auctoritate, nulli communicasse, sed neq; communicare posse, ea perfectione qua ipse habet: Solum verò ministeriū, hoc est, potestatem ministerialem, concessisse seruis suis, vt in nomine ipsius & potestate ab ipso data & limitata faciant, quod ipse principaliter & absolute facit. Negat igitur Augustinus, non potestatem ministerialem sed principalem Ministris concessam: neque ministerialem potestatem in annūtianda solum constituit, sed etiam in efficienda remissione peccatorum. Audi Augustinum clarè suam sententiam exponentem *de vera & falsa Pœnitentia cap: 20. Caueat*, inquit, *spiritualis iudex, vt sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ: oportet enim vt sciat cognoscere quicquid debet iudicare. Iudiciaria enim potestas hic expostulat, vt quod debet iudicare discernat. Diligens igitur inquisitor, & subtilis interrogator, sapienter & quasi astutè interroget à peccatore, quod forsitan ignorat, vel verecundia velit occultare. Cognito itaq; crimine varietates eius non dubitet inuestigare; & locum, & tempus, & cætera omnia, quæ suprà diximus in exponendo eorum qualitates.* Et *libro 2. de Visitatione infirmorum cap: 4.* soluens eorum obiectionem qui existimant satis esse, si soli Deo quis confiteatur sua crimina, ait; *Nolo vt ipsa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini vicario, tabescens præ rubore, vel ceruicosus præ indignatione. Nam ipsius humiliter subeundum est iudicium, quem Dominus sibi non dedignatur*

Maior hæc in Christo potestas. eadem tamen in sacerdotibus Augustini sententia.

id quē iudiciaria.

gnatur Vicarium. & mox; *Priùs eges Sacerdotis, qui Mediator sit ad Deum tuum, salubri iudicio; alioqui & sub lege, & sub gratia, Ite & ostendite vos Sacerdotibus responsum diuinum quomodo consummaretur? Confitemini alterutrum peccata vestra quomodo compleretur?* Hæc Augustinus pro iudiciaria Sacerdotum potestate: ad quam cognitionem singulorum peccatorum etiã occultissimorum requirit, cum omnibus eorum circumstantijs.

(Durandus non contrait nobis.)

Porro Durandus cùm ait, præter clauem ministerij Episcopos & Pastores si quid amplius sibi arrogent, Dei auctoritatem & veritatem Christi inuadere: quid contra nos sit fateor me non videre: idem enim nos quoque docemus: non absolutam & summam potestatem habere Sacerdotes; sed ministerialem, iudicialem tamen. nisi forte potestas iudicis censeatur non posse esse ministerialis: quod vti de absoluta & independente potestate verum est, ita de potestate dependente, & quæ alterius nomine exercetur, nequaquam.

Maior quàm Angelica: quam Principum: eadẽ quæ Christi: aliis non inferior: data ad remittenda peccata.

Addam hoc loco Chrysostomi quoq; de eadem re sententiam: qui *lib. 3. de Sacerdotio.* tantùm suspicit & adorat eam Sacerdotum potestatem, vt ipsam Angelicæ potestati præferat. non enim ijs dictu est; *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Præfert item Principum potestati: eorum enim potestas ad corpora spectat, hæc ad animam. Item vult eiusdem generis esse cum ea potestate, quam Christo Pater tradidit. Ad hæc tantam esse, vt ea nulla potestas maior sit ea enim potestas transfert homines in cœlum, vt ea quæ in cœlis sunt dispensent: ac supra naturam humanã ponit, vt ea quæ supra naturam sunt faciant. Deniq; docet eam potestatem ad efficiendam remissionem peccatorum pertinere. *Si rex aliquis,* inquit, *alicui ex subditis honorem hunc detulerit, vt potestatem habeat quoscunq; velit in carcerem conijciendi, eosdem què rursus laxandi; beatus ille & admirandus omnium iudicio fuerit. At verò qui à Deo tantò maiorem accepit potestatem, quantò cœlum terra pretiosius eſt, quantò etiam animæ corporibus præstant &c.* Et mox *Nostris,* inquit, *Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.*

Ineptissimè interpretatur Zaborouius Chrysostomũ.

Ridicule vero Zaborouius, cùm negare non posset Chrysostomum nobiscum sentire, ait verba illius dextra interpretatione opus habere. Dextram verò interpretationem vocat dictis Chrysostomi contrariam. Nam quod Chrysostomus ait; *Sacerdotes non purgatas probare & ostendere, sed prorsus purgare:* ille exponendum putat, non prorsus purgare, sed purgatas annuntiare vel ostendere. O lepidas Euangelicorum interpretationes, cum contrarium per contrarium interpretantur, album per nigrum! Subiungit autem, emollire ista Hieronymum *in caput 16. Matth:* Citat autem

verba Hieronymi infideliter, vt illa ad suum errorem accommodet. *Quomodo*, inquit, *in lege leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit, discernendo qui mundus sit qui immundus, non faciendo mundos vel immundos: sic & hîc alligat & soluit Episcopus.* Hic vero suo more omisit sequentia verba, quibus se Hieronymus explicat: quæ si fideliter citare voluisset, omittere non debuisset. Dico igitur Hieronymum eo loco probandum suscepisse Sacerdotes in lege noua prætextu potestatis ligandi ac soluendi non debere damnare innocentes, soluere nocentes. Ita enim scribit; *Istum locum* (de potestate ligandi ac soluendi) *Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum sumunt supercilio; vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur: cùm apud Deum non Sacerdotum sententia* (scilicet contra innocentes per errorem lata) *sed reorum vita quæritur:* hoc est, vnusquisq; apud Deum secundùm vitam bonam vel malam iudicatur, non secundum Sacerdotum claue errante sententiam. quod vti verissimum est, ita libenter admittimus. At nota, Zaborovi, contra te Hieronymum agnoscere Sacerdotum sententiam & iudicium, sed non valere apud Deum si contra vitæ veritatem vel insontes condemnentur, vel sontes liberentur. *& Hieronymum.*

Adducit deinde Hieronymus exemplum Sacerdotum legis veteris, qui lepram habentes decernebant immundos; qui vero lepra ea carebant mundos. quod applicat Sacerdotibus nouæ legis: qui debent prius cognoscere, qui ligari & solui merentur; tum demum eos ligare & soluere. Vnde in hoc solum comparat hos & illos Sacerdotes: quod sicut illi nonnisi cognita lepra decernebant & faciebant mundos vel immundos: ita & hi, nonnisi causa cognita & præmissa cognitione peccatorum, auditis in confessione peccatorum varietatibus, ligent & soluant secundùm modum suæ potestatis. ita vt non faciat comparationem in potestate vel qualitate potestatis, quasi talem & tantam hi potestatem habeant in peccata, qualem & quantã illi in lepram: sed in modo vtendi potestate: vt scilicet ea non vtantur, nisi habita sufficienti notitia peccatorum, sicut illi habita sufficieti notitia lepræ. Verba Hieronymi sunt; *Legimus in Leuitico de leprosis; vbi iubentur vt ostẽdant se Sacerdotibus: & si lepram habuerint, tunc a Sacerdote immundi fiunt: non quo Sacerdotes leprosos faciant & immundos; sed quo habeant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere qui mundus quiue immundus sit. Quomodo ergo leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit, sic & hîc alligat & soluit Episcopus & Presbyter: non eos qui insontes sunt vel noxij; sed pro officio suo, cùm peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit quiue soluendus.* Non igitur Hieronymus exemplo Sacerdotum veteris legis probat non plus posse in peccata Sacerdotes nouæ legis, quàm illi potuerunt circa *qui absolutioni cognitionem peccati præuiam esse vult.*

runt circa lepram. hoc enim ne vno quidem verbo insinuat: sed solùm non debere Sacerdotes in noua lege incognita causa de peccatis decernere in vtramuis partem: sicut nec in veteri de lepra absq; eius notitia quidquam decernebant. Notet verò Zaborouius; Hieronymum his verbis confessionem peccatorum docere: cùm ait, Sacerdotem *pro officio suo, cùm peccatorũ audierit varietates, scire qui ligandus sit quiue soluendus.* Nam quamuis ista Zaborouius ad exomologesim in Pœnitentia publica referenda putet: tamen Hieronymus hoc loco nullam publicæ Pœnitentiæ mentionem facit; imò oppositum tenet. In Pœnitentia enim publica, quæ pro peccatis solùm publicis de quibus publicè constabat iniungebatur, non erat necesse inquirere varietates peccatorum, cùm id per se manifestum esset: at in peccatis secretis omnino necessarium erat varietates peccatorum audire.

etiam in priuato iudicio, & peccatorum vel occultissimorũ.

Audiat Cyprianum *serm: 5. de lapsis* Exhomologesmi secretam exponentem: cùm ait vel ipsas cogitationes, quæ soli Deo notæ sunt, apud Sacerdotem Dei dolenter & simpliciter confitendas, & exomologesim conscientiæ faciendam. Audiat Origenem *in Psalm: 32. homil: 2.* docentẽ ita cõfitendum esse peccatum Sacerdoti, vt si ille intellexerit talem esse languorem, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, pro maiori ædificatione & bono pœnitentis, consilio Sacerdotis pareatur. Non omnia igitur peccata ad exomologesmi publicam referenda, sed solùm publica; alia verò quæ screta sunt, in secreta exomologesi transiguntur. Omnia siquidem peccata, siue publica siue secreta remittendi potestatem Christus Ecclesiæ concessit. Denique legat Augustinum 2. *de Visit infir: c. 4. & 5. Sacerdotem*, inquit. *Angelum Dei existima: & cum qua & Deum & Angelum eius decet reuerentia, Dei Ministrum affare. Aperi ei penetralium tuorum abditissima latibula: conscientiarum verecundarum penitiora reuela repagula. Non te pudeat coram vno dicere, quod te non puduit forsitan coram multis. & cum multis facere.*

quod & Cypr: & Origen: docuit.

& Augustin.

CAPVT XII.

Obiectiones Zaborouij contra iudiciariam Sacerdotum in peccatis remittendis potestatem refelluntur.

VErùm videamus, quid contra hanc iudiciariam potestatem opponat Zaborouius. Ait enim Apostolum *2. Corinth: 5. 19.* sufficienter docuisse, quæ

ſe, quæ in remiſſione peccatorum ſint partes Dei, quæ Miniſtri. *Deus*, inquit, *erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi non imputans illis delicta ipſorum.* ecce, quòd facit Deus. deinde ait, *Et poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto reconciliamini Deo.* ecce partes Miniſtrorum. At ſi Zaborouius ſolam annuntiationem remiſſionis vult ad Miniſtrorum officium ſpectare: Sacramenta reconciliationis ad Miniſtros non pertinebunt, vt Baptiſmus & Pœnitentia: aut ſi pertinebunt, non ſola annuntiatione remiſſionis, ſed etiam applicatione mediorum ad remittenda peccata à Chriſto inſtitutorum, qualia ſunt Sacramenta, miniſterium continebitur. Deinde verbũ reconciliationis, non eſt ſolum illud, quo quis ſuadetur reconciliari Deo; ſed etiam quo modus reconciliationis præſcribitur, nempe Sacramenta ad id inſtituta vſurpando, quorum non annunciatores duntaxat, ſed etiam executores ſunt Miniſtri, inter quæ Sacramenta eſt etiam poteſtas illa ex Spiritu S. remittendi & retinẽdi peccata, quæ eos non præcones, ſed effectores remiſſionis facit. Nam, vt ait Ambroſius ſuprà, *Nomen Dei tunc operatur, cùm in nomine Chriſti fit à Sacerdotibus remiſſio peccatorum: & Spiritus S. virtute, qui eis ad hoc datus eſt, non propria ipſorum poteſtate, efficitur ab ijs peccatorum remiſſio.* Adhæc verbum Dei eſt, non ſolùm concionale, quo ſuadetur pœnitentibus reconliari Deo; ſed etiam Sacramentale, quod ipſam operatur reconciliationem, vt in Baptiſmo; *Ego te Baptizo*, & in Pœnitentia; *Ego te abſoluo à peccatis*, ſunt verba inſtitutionis diuinæ, quibus peccata remittuntur. Cùm igitur vtriuſq; verbi Sacerdotes ſint Miniſtri, conſequens eſt, vt miniſterium verbi non annuntiationem ſolam, ſed etiam effectionem remiſſionis peccatorum complectatur. Verbum enim Sacramentale, cuius Sacerdotes ſunt Miniſtri, virtutẽ remittẽdi peccata ex Chriſti inſtitutione cõtinet. Neque verò vtrumque hoc officium munus Legatorum excedit. Legatis enim non ſolùm committi ſolet denuntiatio, ſed etiam exequutio certorum negotiorum, præſcripta illis poteſtate à principe. Non poteſt igitur Zaborouius, ex eo, quòd verbum reconciliationis ſit Miniſtris tanquam Legatis commiſſum, concludere, non poſſe eos efficere, ſed tantum annuntiare reconciliationem inter alia enim quæ annuntiare debent eſt, datum eſſe Spiritum ſanctum Sacerdotibus ad peccata verè remittenda ac retinenda. ijſdemque verbum Sacramentale concreditum eſſe, cuius virtute peccata remittuntur.

Non pertinere Sacramẽta ad Eccleſiæ Miniſtros ex doctrina Zaborouij ſequitur.

cùm reuera etiam effectio reconciliationis pertineat.

Non eſt autem diſſimulandum, quòd Zaborouius, dum partes Dei in reconciliatione explicat, verba illa, *Non imputans eis peccata ipſorum*, ad imputatiuam iuſtitiam ſtabiliendam detorquet. De quo etſi alius diſputandi locus

di locus est, vno tamen verbo Zaborouiū stringo. Nam peccata dupliciter à Deo non imputantur: vel ad culpam, vel ad pœnam. Si igitur non imputet ad culpam; ea penitus tollit. nam quamdiu manent, non possunt à Deo, cuius iudicium rectū est, non haberi pro culpa: hoc enim esset culpam dicere non esse culpam: & negare culpam esse id quod est; quod in iudicium & rectitudinem diuinam non cadit. Cùm igitur in reconciliatione nostra cum Deo Deus non imputet peccata nostra ad culpam (alioqui maneret offensus & non reconciliatus) sequitur eum verè peccatum dimittere & tollere, non verò relinquere illud & solùm non imputare. Quid enim est peccatum, nisi offensa Dei? offensa autem omnis remissione tollitur; & quia tollitur, non imputatur. Quia igitur in nostra reconciliatione remittit & condonat nobis offensam, ideò tollit verè peccatum, & non solùm non imputat. Nam si non tolleret, non posset illud non imputare in culpam. Sublata etiam ratione offensæ, necesse est tolli peccatum: peccatū enim est peccatum nōnisi propter offensam Dei: cùm ergo tollitur ratio offensæ, tollitur tota ratio formalis peccati. quare cùm in reconciliatione tollatur ratio offensæ, peccatum quoque consequens est auferri. Quocirca Scriptura quæ dicit peccata nobis non imputari, dicit etiam tolli, deleri, ablui, mundari. vt intelligeremus, ideo non imputari, quia tolluntur & abolentur.

Deus non imputat nobis peccata ad culpam cùm tollit illa.

Iam cùm Zaborouius instat, Petrum in prima sua concione, non aliqua iudiciaria potestate absoluisse fideles, sed claue verbi diuini, quod tunc prædicauit: *Penitentiam*, inquiens, *agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum: & accipietis donum Spiritus S.* an non contra se ipsum & pugnantia loquitur? Nam si verbi diuini quod prædicabat claue ipsos absoluisset, tunc fuissent absoluti, cùm recepissent sermonem eius & ipsi credidissent? Atqui tum non fuerant absoluti, sed amandati ad Pœnitentiam & Baptismum in remissionem peccatorum: non igitur prædicatione verbi sed Baptismo fuerant absoluti. Deinde nos non agnoscimus in Baptismo vllam iudiciariam potestatem, sed in pœnitentia. Potestas enim iudiciaria non potest exerceri nisi in culpas cognitas: in Baptismo autem nulla fit culparum confessio & cognitio: nulla igitur potestas iudiciaria exercetur. sed sine vlla iudicij forma per modum ablutionis, quam Baptismus significat, abluuntur & tolluntur peccata.

Petrus docēs Iudæos Christum non eos absoluit.

Opponit secundò. Peccata remittere nemo potest nisi solus Deus. Sed responsum à nobis est, argumentum hoc fuisse Pharisęorum, quo Christum remittentem peccata paralytico blasphemiæ arguebant: quod sibi id arrogaret, quod Dei solius proprium est. At egregiè Christus id refutauit, tum argumento, tum miraculo eo fine edito. Argumentum fuit eiusmodi; *Quid*, inquit,

Remittit peccata & Deus, & homo auctoritate Dei.

inquit, *est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, & ambula?* Ac si diceret: Vtrumque diuinæ est potestatis, vtrumque æquè difficile est homini, superansque omnes humanas vires: cùm igitur homines diuina virtute & potestate morbos sanent: nullum quoque absurdum censeri debet, si homines diuina virtute hominibus peccata remittant. Quæ enim solius Dei sunt, ea ab hominibus quoque diuina virtute effici possunt. & sicut quâ Filius hominis, habuit potestatem morbos sanandi: ita incredibile non est habuisse quoque, quâ Filius hominis est, potestatem peccata remittendi. Miraculum verò ad id confirmandum fuit editum. vt omnes intelligerent Christo homini diuinitus virtutem ad remittenda peccata cócessam. *Vt*, inquit, *sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimitendi peccata, ait paralytico, Surge. &c.*

At inquit Zaborouius non in eo Pharisæos errasse, quòd putârint solũ Deum remittere peccata posse: non enim ignorare poterant illa Dei verba. *Isa: 43. Ego ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas.* sed in eo errasse, quòd Christum purum putum hominem putauerint. Imò verò, Zaboroui, in vtroque errabant, & vtrumq; errorem Christus vno eodem argumento refutauit à pari argumentando. Si enim Filius hominis potest dicere; *Surge & ambula:* poterit quoq, dicere; *Dimittuntur tibi peccata.* siquidem vtrumq; æquè diuinæ est potestatis. Cùm igitur tanquam Filius hominis dicere potuerit; *Surge & ambula:* poterat quoque tãquam Filius hominis dicere; *Dimittuntur tibi peccata.* id qué indicant illa verba, *Filius hominis*: &; *In terra.* Sicut enim contra Filium hominis argumentabantur Pharisæi: ita de Filio hominis respondet Christus. In terra quoq;, quatenus Filius hominis remittit: quatenus verò Filius Dei, vnà cum Patre in cœlis remittit. Agnouit id illico turba, quæ *glorificauit Deum, qui talem potestatem dederit hominibus.* Neque enim de infirmos curandi potestate tantùm glorificauit Deum, vt gratis asserit Zaborouius; sed de vtraq;: & præcipue de alia illa. nam & de ea præcipuè tunc agebat Christus contra Pharisæos: & eam esse hominibus datam miraculo ad eum finem facto euicit. Cum qué tanquam rem nouam & antè haud auditam suspicit & miratur turba, quod dederit potestatem talem hominibus: de ea præcipuè potestate id intelligit, quæ nondum apud homines esset visa vel audita, qualis est potestas remittendi peccata. nam potestas morbos curandi neq; noua, neq; inaudita fuerat.

quod Pharisæi perinde, ac Zaborouius oppugnarunt.

Quare propositio illa; *Nemo potest peccata dimittere nisi solus Deus:* vel non impedit quominus Sacerdotes quoq; dimittere possint quia virtute Dei & accepto ad id Spiritu S. remittunt. quod autem virtute Dei fit, Deus ipse dicitur facere. & in Deum redundat quicquid Deus per homines operatur. vel

tur. vel certè si impedit: eo sensu accipienda est, vt nullus propria sua virtute & suo nomine peccata remittat; nisi solus Deus. Nam quum ait Zaborouius, Spiritus S. virtutem non extendi ad ea, quæ in mortales cedere nequeant, petit principium. Cur enim in mortales cadere nequeat, vt virtute Spiritus sancti remittere peccata possint? Hac enim, inquit, ratione ego concluderem; Spiritus sanctus potest nos ab omni peccato immunes reddere, & in Angelos fere transformare. eum accepere fideles: ergo &c. Minime vero, Ziboroui. Non enim dicimus homines virtute Spiritus sancti posse etiam ea facere, ad quæ facienda non est datus Spiritus sanctus, sed solùm ea ad quæ datus est Spiritus sanctus. Datus autem est ad remittenda peccata: id ergo & non quæuis alia virtute Spiritus sancti homines facere poterunt. Verùm quia tu ad hunc finem datum contra expressa Christi verba negas; negare saltem nō poteris dari hominibus ad hunc finem potuisse. id enim non magis incredibile est, quàm dari Spiritum sanctum ad miracula patranda. Agit, inquit, Spiritus sanctus in fideles, sed ad mensuram, & proportione huic vitæ competenti. Quasi vero Sacerdotes, dum remittunt peccata pro potestate sibi communicatá, & ea lege qua sibi præscriptum est à Christo, non agant ad mensuram, & proportione huic vitæ competenti: Deus enim qui potestate absoluta quocũq; modo voluerit remittit peccata, non agit ad mensuram: homines verò cùm non sua sed Christi potestate, nec ad libitum vt volunt, sed vti Christus præscripsit, nempe cognita peccatorum varietate, & sub conditione veræ pœnitentiæ remittunt, agere ad mensuram censendi sunt: agere autem ad mensuram proportionem huius vitæ non superat.

Cur id nequeat Deus communicare homini non probat Zaborouius.

Agit, inquit, etiam per Ministros, non vt propriè à peccatis absoluāt, sed agit obiurgationes, correctiones, consolationes ex verbo Dei petitas. At iterum petit principium. Cur enim non agat, vt à peccatis propriè absoluant, cùm eis potestatem soluendi & ligandi tradiderit? cur ea verba in vera & propria significatione intelligi nequeant? vbi vero ea potestas in Scriptura hominibus negatur? aut quod contra Scripturas absurdum consequitur, si ea admittatur? Rectè igitur à me illatum est; præsentes Euangelicos dum hanc potestatem verè hominibus concedi posse negant, non solùm ad Pharisæorum hæresim spectare, sed etiam ad errorem Nouatianorum: qué libris de Pœnitentia refellit Ambrosius. non ex eo solùm capite, quod peccata post Baptismum admissa esse irremissibilia ipsi quoq; Deo docerent; sed etiam, quòd nullam potestatem verè soluendi Ecclesiæ esse relictam assererent, dicentes cum Luteranis solius esse Dei peccata remittere; & iniuriam Deo fieri, si homines quod solius Dei est sibi vsurpent. Quod ipsorum argumentum

neque repugnant nobis in hoc oracula, sed Zaborouio.

gumentum ita refellit Ambrosius, vt ostendat maiorem eos Deo iniuriam facere, qui mandatis Dei de remittendis peccatis non obediunt, quàm Ecclesiam quæ mandatum Dei exequens peccata remittit. Hoc igitur responsum ad suam quoq; obiectionem accipiat Zaborouius. & sciat, non solùm Deum tunc peccata remittere, cùm per seipsum remittit, sed etiam cùm remittit per Sacerdotem. Sacerdos enim non sua sed Dei auctoritate & virtute remittit: quod verò per homines Dei virtute fit, id Deo per homines operanti tribuitur. quo etiam sensu sancti Patres loquuntur, dum solius Dei esse proprium asserunt peccata condonare. Nihil igitur officit, quòd solus Deus peccata remittere dicatur.

Ait porrò Zaborouius suos quoq; Ministros habere potestatem duplicem, Institutionis, & Correctionis. Instituunt enim in Fide & moribus ex verbo Dei: & ex eodem Dei verbo corripiunt proteruos tradendo eos satanæ. Verùm vt concedam Ministros hanc vtramque potestatem habere (verè enim neutram habent legitimè: vtramque habent vsurpatè, cùm eam ab Ecclesia non acceperint) cùm potestatem peccata verè remittendi & retinendi, ligandi & soluendi non habeant, parum illos duplex illa potestas iuuat. nos enim hoc loco de potestate remittendi disputamus. Neque enim quia potestatem instituendi & corripiendi peccata habent, sequitur eos quoq; potestatem remittendi peccata habere; cùm nec institutio & correctio sit vera peccatorum remissio: multi enim etiam laici instituere possunt & corripere: at remittere peccata nonnisi Sacerdotes possunt, qui accepto ad id Spiritu sancto rite consecrati sunt. Deinde cùm ait, se habere potestatem exemplo Pauli tradendi proteruos satanæ in interitum carnis: nescio an proferre possit exemplum eius in satanam & homines potestatis, vt eorum mandato satanas in aliquem insilierit, eumque in carne cruciauerit. irrueret potiùs in ipsos Ministros, tanquam ab ipsis graui iniuria affectus temeraria vsurpatione in dæmones potestatis. solùm enim nostrorum Sacerdotum potestati se subiectos agnoscunt dæmones, à quibus ex humanis corporibus quotidie pelluntur inuiti.

qui cum suis non habet eā potestatem; sed nec in dæmones.

Maxima, inquit, pars vestrorum Sacerdotum his clauibus destituta videtur, ob defectum scientiæ discernendi. At longè maior est pars in Ecclesia Sacerdotum scientia & arte discernendi pollentium. Ij verò qui tale scientiam non habent, non ideo claues & potestatem non habent, sed solùm absq; scientia ipsis rectè & vtiliter vti non possunt: accedente vero scientia non confertur eis noua potestas clauium, sed sua potestate melius vti possunt.

hanc inscitiā non perdit in Catholicis.

Peccata, inquit, quæ in apricum non veniunt, soli Deo confitenda docemus.

Occulta etiā confitenda.

cemus. At quàm temerè? Neque enim Christus inter peccata publica & occulta distinxit: sed omnia vniuersè Apostolis remittenda commisit. *Quorū remiseritis peccata, remittuntur eis.* Non ex nostro, inquit, cerebro doctrina hæc enata. Certe non ex Euangelio, vti iam ostendi. Sequimur, inquit, in hac re Dauidis exemplum dicentis; *Delictum meum cognitum tibi feci*: &; *Tibi soli peccaui.* At male sequimini: nam in lege veteri Deus non dederat hominibus potestatem remittendi peccata: nec quenquam obligauit vt ab homine peteret peccatorum remissionem; nec vt ea homini confiteretur. Si ergo sub lege noua esse nolitis, & cū Iudæis iudaizare libeat, poteritis homines legis veteris in hoc imitari. At si Christiani estis, parere Christi mandato debetis, qui suam remittendi potestatem suis Ministris tradidit suo nomine exequendam; omnesq;, qui remitti sibi peccata cuperent à Deo, obligauit Sacerdotibus vt confiterentur, ratum promittens se habiturum in cœlo, quod ipsi remiserint vel retinuerint in terra. Quanquā quod attinet ad Dauidem: prorsus falsum est, illum soli Deo peccata sua confessum esse. Confessus est enim & Nathan; *Peccaui*, inquiens, à quo etiam mox diuinā sententiam de remissione peccatorum audiuit; *Transtulit à te Deus peccatū tuum.* Neq; dicit; *Delictum meum cognitum tibi* soli *feci*, sed absolutè *cognitum tibi feci.* quod verum est, etiamsi corā Nathan illud Deo cognitum fecisset: nam etiam quod Sacerdotibus in hoc genere dicitur, Deo ipsi dicitur, cuius locum & personam illi repræsentant. Quod verò addit; *Tibi soli peccaui*: nihil ad rem est. Soli enim Deo peccauit: at non soli confessus est. Nos etiam soli Deo peccamus. sed non soli ipso iubente peccatum confiteri debemus.

neq; hoc norma Iudæorū.

quin & Dauidis.

Sequimur, inquit, consilium Ioannis ita scribentis; *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus Deus, vt remittat nobis.* At non dicit Ioannes, si soli Deo confiteamur, sed absolute, *si confiteamur*, scilicet ei cui Deus vt confiteamur mandauit: Nos enim etiam Deo confitemur, cùm Sacerdoti confitemur, iuxta diuinum eius mandatum. Pergit. Sequimur praxim primitiuæ Ecclesiæ, quæ soli Deo talia peccata confitenda docuit: adducit quē Chrysostomum *homil: de Confessione & Pœnitentia*, vbi ait: *Neq; necessarium est præsentibus testibus confiteri cogitatione fiat delictorum exquisitio: absq; teste sit hoc iudicium: solus te Deus confitentem audiat.* Verum Chrysostomus hoc loco de Confessione Sacramentali non loquitur: sed solùm hortatur fideles ad confessionem cordis quotidie Deo ad sui confusionem faciendam: ad eam enim non requiritur præsentia testium. De Confessione verò oris manifeste docet Sacerdoti faciendam, qui potest peccata prorsus purgare. Quinimo ipse Chrysostomus *homil: 4.* ait; *Non cogo te in medium*

Ioannes id non vetat.

nec vsus Ecclesiæ nec Chrysost.

medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes: mihi soli dic peccatum priuatim. Quod si concedamus Chrysostomum loqui hoc loco de Confessione Sacramentali: tunc publicam tantùm confessionem, quæ fiebat in theatro in Ecclesia coràm multitudine fidelium & testium dicit non esse necessariam. eam enim Nectarius eius antecessor, occasione cuiusdam peccati cum scandalo publicè reuelati, sustulerat. Priuatam verò semper censuit necessariam, vt *ex homil: 4. de Lazaro.*, & alijs plurimis locis patet. Nam, quemadmodum Paulus, non solùm corde credi docuit ad iustitiam, sed etiã ore fieri confessionem ad salutem: ita etiam non solùm corde confessio priuata & Sacramentalis est facienda, sed & ore. Ex quo patet Zaborouium non satis fideliter hunc locum Chrysostomi citare contra ipsissimam Chrysostomi sententiam. *imò probat.*

Sed peiore adhuc fide citat Augustinum *10. Confess. c. 3. Quid mihi,* inquit, *est cum hominibus, vt audiant confessiones meas, quasi sanaturi sint languores meos: curiosum genus ad inuestigandum vitam alienam, desidiosum ad corrigendum suam: & vnde sciunt, num ego illis vera dicam, cùm à meipso de meipso audiunt. Nemo autem nouit quæ sunt in homine, nisi Deus & spiritus eius.* Hic duplex Zaborouij error est. alter, quod obiectioné August: loco sententiæ ipsius adducit: quæ est crassa vel ignorantia, vel infidelitas. respondet enim mox Augustinus, se magno fructu etiam hominibus confiteri. Alter est, quod putat Augustinum de confessione Sacramentali loqui, quod falsissimum esse ex eodem loco conuincitur. Loquitur enim Augustinus de ea confessione, quam in illis Confessionum libris faciebat omnibus, qui illius literas lecturi essent. ait enim; *Hominibus coram te confiteor per has literas.* Nullum igitur Zaborouius testimonium, nisi falsum vel impertinens, pro se proferre potuit contra Confessionis Sacramentalis secretæ vsum. Vtinam verò legisset praxim primitiuæ Ecclesiæ apud Bellarminum *lib: 3. de Pœnitentia.* vbi singulorum seculorum testimonia producit pro secretæ Confessionis vsu. F. *Austinus nil contra nos.*

Concludo igitur, Zaborouium meas rationes, quibus Ministros Euangelicos potestate peccata remittendi carere probaui, soluere non potuisse. Fixum igitur manet, Ministros Euangelicos legitimos non esse, & maximam fidelibus omnibus iniuriam irrogare, cùm eos re omnium præstantissima & maximè ad salutem necessaria, remissione scilicet peccatorum, quam per Ministros Deus fieri voluit, priuant. Nostros verò Catholicos plurimùm sibi gratulari debere, quod eos Ministros habeant & agnoscant, è quorum ore peccatorum remissionem læti accipiunt, Spiritu S. cooperante, & sermonem eorum confirmante. *Zaborouius refutando nos nil egit.*

CAPVT XIII.

Ministros Euangelicos non esse veros Sacerdotes, nec Sacrificium noui Testamēti offerre. ac proinde non esse legitimos Euangelij Ministros.

NEmini dubium est, qui vel mediocriter in scriptorum Ecclesiasticorũ
libris versatus sit, in Ecclesia Christi veros & proprios Sacerdotes sem-
per fuisse, quorum munus esset in altari sacrificium offerre Deo. Presbyte-
ros enim & Episcopos propriè Sacerdotes fuisse omnes omnium seculorum
Ecclesiastici scriptores testantur. Nam & Augustinus *20. Ciuit. c. 10. Epi-*
scopi, inquit, *& Presbyteri propriè dicuntur Sacerdotes.* Et Chrysostomus
sex libros de Sacerdotio scripsit. & Liturgiæ quotquot extant in Græca &
Latina Ecclesia, omnes de Sacerdotibus loquuntur, qui in altari offerunt
Deo sacrificia. Ac ne de primitiuæ Ecclesiæ sensu quis dubitet; proferam
aliquot primi seculi Patres. Clemens Romanus *Canone 3. Apostolorum* refert.
Si quis Episcopus, aut Presbyter, præter ordinationem Domini, quam de sa-
1. *crificio instituit, alia quædam, puta aut mel, aut lac, aut pro vino siceram*
super altare obtulerit, deponitur. Dionysius Areop. *Eccl: Hierarch: capite 3.*
2. docet Antistitem cum Sacerdotibus sanctum panem & benedictionis cali-
cem sacrosanctis altaribus imponere. vbi etiam cæteros ritus sacrificij com-
3. memorat. Ignatius in Epistola ad Smirnenses; *Non licet*, inquit, *sine Episcopo*
baptizare, neq; offerre, neq; sacrificium immolare, neq; dochen (vetus trans-
4. latio habet Missam) *celebrare.* Iustinus in Dialogo cum Tryphone; *De no-*
stris, inquit, *quæ in omni loco offeruntur Sacrificijs, hoc est, pane Eucharistiæ*
& poculo similiter Eucharistiæ, iam tum locutus prædixit Malachias. A ne-
mine sanè Deus hostias accipit nisi à Sacerdotibus suis. Vniuersos igitur qui
per nomen ipsius sacrificia offerunt, quæ IESVS *Christus fieri tradidit, hoc est*
in Eucharistia panis & calicis quæ in omni loco à Christianis fiunt, præuertēs
Deus gratos sibi esse testificatur. Irenæus *aduersus hæreses lib: 4. cap: 32.* di-
5. xit. Christum noui Testamenti nouam docuisse oblationem (in Eucharistia
panis & calicis) *quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo*
6. *offert Deo.* id què testimonio Malachiæ confirmat. Idem Anacletus Petri
successor *epistola 1. cap: 2.* de Episcopo sacrificante in vestibus sacris.

Sacerdotes semper fuere in Ecclesia.

ab ipso eius primordio ut testes PP.

Alexander

Alexander de vino sine aqua in Missarum solennijs non offerendo, & 7.
Telesphorus in epistola ad omnes vniuersaliter *cap: 2* de tribus Missis nocte 8. &c.
Natalis Domini celebrandis, Pius, Anicetus, Soter, & alij primitiuæ illius Ecclesiæ Patres. Hinc itaque manifestum est in Ecclesia semper veros Sacerdotes fuisse: qui non solùm spiritualia Deo sacrificia offerrent (quod commune omnibus Christianis est) verùm etiam externa & propria sacrificia, nempe Corpus & Sanguinem Domini in Eucharistia.

Sed & Paulus *ad Hebr: 5.* testatur: Omnem Pontificem constitui *in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis:* ostendens Sacerdotem propriè dictum ad propriè dicta sacrificia constitui, qualia sunt non spiritualia sed externa. Quin & Sacerdotes spirituales, cùm in Scriptura commemorantur, nonnisi respectu sacrificiorum spiritualium eo nomine appellantur offerentes vitulos labiorum vel hostias beneficentiæ, ita vt dubium non sit, Sacerdoté nónisi respectu sacrificij dici. Cùm igitur Ministri Euangelici non sint ij, qui propriè Sacerdotes dici possint, nec propriè dicta sacrificia offerant: non sunt ex eorum Ministrorum numero, qui semper in Ecclesia fuerunt. ac proinde non sunt Ministri legitimi. Imò neque Presbyteri aut Episcopi dici possunt. Episcopos enim & Presbyteros fuisse propriè Sacerdotes externa sacrificia offeréres tota Ecclesia primitiua testatur. Agnoscunt quidé Ministri Euangelici se esse Sacerdotes spirituales, quomodo omnes fideles viri & fœminæ sunt Saterdotes metaphoricè & impropriè, offerentes sacrificia orationum & laudum Dei. At propriè se esse Sacerdotes, qui propriè dicta externa sacrificia Deo offerant, non agnoscunt. Vti & Zaborouius hoc loco agnoscit, cùm distinguit sacrificium in propitiatorium & eucharisticum, Euangelicos qué asserit eucharistica, id est laudum & precú sacrificia, non verò propitiatoria offerre.

& Paulus.

Sacerdotium non est, nisi ratione sacrificij.

Verùm Zaborouius inprimis in eo peccat, quòd duplex tantùm sacrificium statuat, propitiatorium & eucharisticum. nam præter propitiatorium sunt multa alia sacrificia externa, verè & propriè sacrificia: non enim solùm pro peccatis Deo offeruntur sacrificia: sed & pro beneficijs acceptis, vt erat 1.
Agnus Paschalis: & pro impetrandis nouis gratijs, quales erant hostiæ pacifica: & ad recognoscendam summam Dei maiestatem ac dominium, vti erant holocausta quæ tota comburebantur. Deinde nomine sacrificij Eucha- 2.
ristici, si intelligit sacrificium quod est in Eucharistiæ Sacramento, vti Patres loquuntur: tale sacrificium non potest omnino suis Ministris tribuere, cùm illud execrentur. Si verò intelligit sacrificium precum, laudum, & aliarum piarum actionum: tale sacrificium est impropriè dictum: & cùm illud solum suis Ministris concedit, agnoscit eos nonnisi impropriè Sacerdotes dici:

Sacrificij partitio Zaborouiana inepta.

Preces, & actiones virtutum impropriè sunt sacrificia.

tes dici: tum quia eo modo etiam non Ministri sunt Sacerdotes, nimirum omnes fideles viri pariter ac fœminæ offerentes Deo sacrificia precum & laudum: tum quia Scriptura actus virtutum. opponit sacrificio proprie dicto: *Misericordiam volo non sacrificium. Oseæ 6. Melior est obedientia quam victimæ. 1. Reg: 15.* Non igitur actus virtutum sunt proprie sacrificia. Deniq;
3. in Ecclesia est vnicum propriè dictum sacrificium, nempe sacrificium Christi. ergo alia ab hoc distincta non sunt verè & propriè sacrificia. ac proinde eos qui illa offerunt, non faciunt esse verè & proprie Sacerdotes.

Christus in Eucharistia principaliter per sacerdotem sacrificat.

Præterea, cùm addit Zaborouius, sacrificium propitiatorium in lege noua nullum alium præter Christum offerre posse: non aduertit etiam nostrũ in Eucharistia sacrificium à Christo principaliter offerri per manus & ministerium Sacerdotum: ij enim non suo sed Christi nomine offerunt. quare sacrificium, quod in altari offertur, est & nostrum ministerialiter, & Christi principaliter: quia ipsius nomine & ipsius sermonibus, vt ait Ambrosius, celebratur & offertur. Si igitur existimat Zaborouius sacrificium propitiatorium principaliter in nos cadere non posse; verum dicit, sed non ad propositum: nos enim tale sacrificium nobis non arrogamus. Si verò putat ne ministerialiter quidem in nos cadere posse; fallitur vehementer: hoc enim est, Sacerdoti summo ministerium Sacerdotum denegare. Licet enim sine ministerio nostro voluerit sacrificium suum in cruce offerre, quo pretium sufficientissimum nostræ liberationis comparauit: quia tamen illud pretium in cruce nulli applicuit (nulli enim tunc erant remissa peccata) ideo voluit inter cætera media etiam per incruentum & Eucharisticum sacrificium, non sine nostro ministerio, illud pretium liberationis nobis applicare. sicut & per Sacramenta nostro itidem ministerio illud applicat.

Sed expendamus, quomodo argumenta nostra, quibus externum legis nouæ sacrificium euidentissimè probauimus, à Zaborouio diluantur.

Religio esse nequit sine sacrificio.

Primum argumentum erat ex necessaria connexione inter legem seu Religionem & sacrificium: quæ tanta est, vt altero ablato vel posito alterũ quoque auferi & poni oporteat; dicente Paulo. *Translato Sacerdotio necesse esse translationem quoque legis fieri.* & sanè meritò. Lex enim omnis tam vetus quàm noua Dei veri cultum præscribit. qui tum in alijs ritibus, tum præcipue in ritu sacrificij, quo summus Dei cultus continetur, consistit. Summus enim Dei cultus est Deum bonorum nostrorum auctorem recognoscere, & quæ de manu ipsius accepimus, ea in ipsius honorem tota impendere & insumere. quod fit in sacrificio. Quocirca si legis translatio & mutatio fiat, ritum quoque sacrificij transferri oportet: vt cùm prior ritus vnà cum lege sublatus sit, alter cum noua lege in locum illius sufficiatur. alioqui absurdum

dum esset, legem, quæ tota ad cultum Dei ordinatur, præcipuo & summo Dei cultu carere. Quare cùm lex vetus vnà cum omnibus suis sacrificijs cessauerit: debet in lege noua dari nouum sacrificium legis nouæ proprium, sacrificijs legis veteris respondens. alioqui lex noua careret præcipuo Dei cultu per sacrificium; & esset ea ex parte lege veteri longe inferior.

Negat Zaborouius sacrificium legis nouæ debere esse externum & propitiatorium. at immeritò negat. Lex enim non solùm interna Deo sacrificia assignat, sed etiam externa. Nam sicut non animo tantùm constamus, verùm & corpore; ita non interna tantùm, verùm etiam externa ratione Deo sacrificare debemus. quemadmodum & Paulus docet; *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Inter externos etiam ritus colédi Deum præcipuus & summus est sacrificium, quo illum summum bonorum nostrorum auctorem agnoscimus in honorem ipsius impendendo id, quòd sacrificamus. Nisi igitur lex noua imperfecta censeri debeat, perfectissimum Dei cultum, qui in sacrificio externo consistit, præscribat oportet. Neque nunc laboro, an hoc sacrificium sit propitiatorium vel non (de hoc enim postea) sed vrgeo solùm esse debere externum & verum sacrificium, siue pro peccato offeratur, siue pro beneficijs acceptis, siue pro gratijs impetrandis, siue absolutè ad recognoscendam summam Dei in nos potestatem. hi enim sunt sacrificiorum externorum fines. *etiam externo & ita verè dicto.*

Addit deinde. sacrificium externum in lege noua esse vnicum illud & propitiatorium Christi in cruce peractum sacrificium: præter quod nulla alia sint nisi laudum & precum, quæ ille eucharistica ad fucum faciendum vocat sacrificia. Verùm non intelligit tale sacrificium in lege noua requiri, quod homines nouæ legis Deo offerentes eum summo honore colant: sacrificium verò in cruce factum solus Christus obtulit Deo. Quare nisi concedatur tale sacrificium, quod homines ipsi Deo offerant, verè lex noua dicenda esset carere externo & propriè dicto sacrificio: siquidem sacrificium ideo in lege requiritur, vt homines habeant, quo Deo supremum cultum illi debitum impendant: sacrificium verò crucis à solo Christo non ab hominibus oblatum est. Deinde tale sacrificium in lege requiritur, quo Deum homines quotidie colant: at Christi in cruce sacrificium semel tantùm oblatum est. Necesse igitur est dari tale sacrificium, quo Deus à Christianis quotidie summo colatur honore. Neque satis est ad hunc finem indicare sacrificia interna piarum actionum: tum quia hæc sunt impropriè dicta sacrificia, & legi veteri ac nouæ communia: tum quia non solùm interno actionum cultu, sed etiam rebus externis, quas de manu Dei accepimus, Deum venerari debemus, eas in ipsius honorem in sacrificio impendentes. Ex quo patet, *quod Deo offeratur ad cultum eius. & à Christianis quidem quotidie.* *Gratiæ non sufficiunt.* 1. 2. 3.

patet, præter sacrificium Christi in cruce oblatum, & sacrificia laudum, dari debere in lege noua sacrificium externū, quod homines ipsi Deo offerāt & eum perpetuo honore colant. Tale enim sacrificium lex requirit, quo Deum homines venerentur; & præcipuum ei cultum deferant; non interna solum sed externa etiam ratione.

Sacrificium Christi in cruce non proprium legis nouæ. 1. Deinde sacrificium in cruce à Christo oblatum non est proprium nouæ legis sacrificium, sed commune omni legi omnium seculorum & temporum. Sacrificium enim alicuius legis proprium idcirco dicitur: quia eo ritu faciendum ab illa lege præscribitur. Sic sacrificia legis naturæ dicuntur, quæ lege naturali in cordibus scripta dictabantur facienda: sacrificia quoq; legis veteris erant illa propria, quæ in lege veteri præscripta & constituta erant ab hominibus legis illius facienda. Atqui Christus non ex præscripto alicuius legis aut naturalis aut scriptæ, sed ex solo Patris mandato tradidit semetipsum pro nobis hostiam & oblationem Deo. Non igitur vllius legis hoc sacrificium dici debet. Nam etsi tam in veteri quàm in noua lege hoc sacrificium indicetur, tum figuris, tum vaticinijs Prophetarum, tum rei ipsius descriptione: tamen non ita indicatur, quasi ex præscripto legis alicuius faciendum vel factum; sed tanquam extra omnem humanam legem ex solius Dei mandato implendum. Est igitur hoc sacrificium supra omnem legem hominibus datam commune omni legi & omnibus cuiuscunque legis hominibus quoad valorem, efficaciam, vtilitatem. Pro omnibus enim cuiusuis legis hominibus oblatum est.

Insulsum verò est quod respondet Zaborouius, sacrificium crucis ratione valoris & efficaciæ esse commune omnium temporum hominibus: ratione vero temporis esse proprium noui Testamenti. quia id Christi sanguine obsignatum est.

2. Nam vt omittam nouum Testamentum conditum & obsignatum esse in cœna, non in cruce cùm de calice diceret Christus; *Hic est calix noui Testamenti:* quod rectè probat Bellarminus *1. de Missa c. 8.* certe ex eo, quod sanguine Christi obsignatum est nouum Testamentum, non

2. sequitur sanguinem in cruce fusum esse proprium noui Testamenti: sed tātùm efficere aliquem effectum singularem in nouo Testamento: nempe obsignationem. cùm alioqui secundùm se sit communis vtriq; Testamento, & in vtroq; Testamento suos effectus habeat. neque enim ritu proprio alicuius Testamenti est, in cruce oblatus Deo. Nam esse proprium alicuius legis in ratione sacrificij est ex prescripto, & ritu illius legis fieri: Christi vero in cruce sacrificium non ex præscripto alicuius legis hominibus datæ, sed extra omnem legem ex solo præscripto Patris oblatum fuit. Imò eo ipso,

etsi peculiare quid illi attulerit.

4. quod nouum Testamentum obsig atum est sanguine Christi in cruce fuso,

sequitur

ſequitur non ſtetiſſe nec conditum fuiſſe, niſi poſtquam ſanguis Chriſti fuſus eſſet: ac proinde poſt peractum in cruce ſacrificium. Non igitur eſt ex præſcripto legis nouæ aut noui Teſtamenti, ſed antequam lex noua ſeu nouum Teſtamentum conditum & obſignatum eſſet, ſacrificium hoc peractũ eſt. Deinde quomodo id, quod tempore antecedit nouum Teſtamentum, dici poteſt ratione temporis proprium noui Teſtamenti? quod tamen inepte aſſeruit Zaborouius. 5.

Addit præterea cauſam noſtram proximè adducto Pauli teſtimonio iugulari. Si enim vetus Sacerdotium teſte Paulo tranſlatum eſt in Chriſtum vnicum Sacerdotem, ſequitur in nos tranſlatum non eſſe. Verùm minimè id ſequitur: tum quia Paulus non dicit in vnicum Sacerdotem Chriſtum eſſe tranſlatum vetus ſacerdotium, vti eum Zaborouius loquentem facit: tum quia etiamſi id diceret, non excluderet tamen Sacerdotes Miniſtros: ſed tantùm alios ſummos Sacerdotes: vnicus enim ſummus Sacerdos excludit plures ſummos Sacerdotes, non verò plures inferiores Sacerdotes ſummo Sacerdoti miniſterium exhibentes. imò quia eſt ſummus, debet habere alios inferiores, quorum reſpectu dicatur ſummus. F. *Chriſti ſacerdotium non tollit ſacerdotium Chriſtianum.* 1. 2. 3.

Porro poſtquam oſtendi neceſſarium eſſe in lege noua externum aliquod proprie dictum ſacrificium, quod ab hominibus Deo offerri debeat: intuli hoc ſacrificium non aliud eſſe, quàm ſacrificium CORPORIS & SANGVINIS DOMINI, non quidem in cruce cruentè oblatum ob rationes dictas, ſed in altari incruentè ſub ſpeciebus panis & vini Deo pro nobis ſacrificatum. Nam neque Scriptura aliud in lege noua ſacrificium verũ præter Corporis & Sanguinis Chriſti agnoſcit: neq; aliter Corporis & Sanguinis Domini ſacrificium offerri à nobis poteſt, niſi eo modo quo nobis Corpus & Sanguis Domini ab ipſo Domino relicta & in manus tradita ſunt; nempe ſub ſpeciebus panis & vini: ac proinde incruentè. nam cruentè & ſub ſua propria ſpecie Chriſtum ſemel tantùm offerri debuiſſe Scripturæ manifeſtè teſtificantur. *Sacrificium noſtrum incruentum.* 1. 2.

Et ſanè, niſi hoc ſacrificium Euchariſtiæ cum omni primitiua Eccleſia concedamus: non poterimus vllum aliud proprium nouæ legis ſacrificiũ aſſignare. quod eſſe longè abſurdiſſimum ſatis iam oſtenſum eſt: cùm nulla lex, nulla religio ſine vero & externo ſacrificio, quod ab hominibus offerretur, fuerit vnquam, aut eſſe poſſit. Neque vlla tam immanis & barbara natio fuit, quæ Deum ſuum externo ſacrificio colendum non exiſtimauerit: ſoli Miniſtri Euangelici ſunt tam immanes & barbari, vt tale ſacrificium, nouæ præſertim legi, quæ nos ad perfectiſſimũ Dei cultum inſtituit, denegent. *nec vllum aliud.*

Hic Zaborouius; Semel, inquit, offerri, & ſemper offerri, implicat

contradictionem. Cùm ergo Scriptura dicat, Christum non habere necessitatem quotidie, primò pro suis, deinde pro populi delictis hostias offerre; hoc enim fecit semel se offerendo. *Hebr*: 7. 27. Item *cap*: 9. 25. 28. Item *cap*: 10. 10. sequitur implicare contradictionem, dicere Christum semper se offerre. Verùm inprimis Zaborouius non soluit argumentum nostrum ex necessitate sacrificij ductum. Aut enim sacrificium Corporis Christi in altari quotidie offerendum admitti debet: aut concedendum legē nouā omni sacrificio externo carere. Deinde imperitè de contradictionis implicatione loquitur. Si enim diceremus, vna eademq; ratione semel & semper offerri Christum, verè contradictionem implicaremus: contradictionis enim lex est, vt vna eademq; ratione idem affirmetur simul & negetur: at cùm non eadem ratione id affirmemus & negemus, vti ipsemet agnoscit: non potest nisi imperitè nobis contradictio obijci.

neque id refellit Zaborouius.

Dicimus itaq; vtrumque asseri in Scriptura: nempe & Christum semel oblatum esse, vt ex citatis locis patet: & semper ac in omni loco offerri debuisse, vti ex vaticinio Malachiæ, ex ratione sacrificij Melchisedechiani, ex institutione Eucharistiæ, ex vsu altaris, denique ex praxi vniuersæ, præsertim verò primitiuæ Ecclesiæ ab Apostolis edoctæ, infrà ostendemus. Vtrũque igitur admittendum est absque contradictione: quia vtrumq; verum est alia atq; alia ratione. Nam Scripturæ, cùm docent Christum semel oblatum esse, neq; quotidie aut sæpe offerre semetipsum; loquuntur de oblatione per mortem, ac proinde de oblatione cruenta: ita vt sensus sit: Christum semel tantùm se obtulisse per mortem, neq; futurum deinceps, vt se iterum per mortem offerrat. Hunc sensum esse manifestũ est ex ipsius Pauli verbis *Hebr*. 9. 26. *Alioquin*, inquit, *oportebat eum frequenter pati ab origine mundi*, si sæpe offerret semetipsum. De tali ergo oblatione loquitur, quæ fit per passionem & mortem, quod ea semel facta sit, & repeti non debuit. Non igitur his verbis omnis Christi oblatio excluditur, sed ea solùm quæ est per mortem, & cruenta.

Christus semel oblatus offertur semper.

Quodsi dicas: ideo secundùm Apostolum Christus semel tantùm offerri per mortem debuit, quia illa vnica oblatio cùm fuerit perfectissima, & sufficientissima ad destructionem peccati, repeti non debuit. atqui hæc ratio excludit omnem aliam oblationem Christi. Nam vel illa altera oblatio ordinatur ad nouam remissionem peccati acquirendam, vel ad nullam remissionem. Si primùm dicatur: Apostolus reclamat, ad peccatorum remissionem obtinendam nullo alio sacrificio opus esse, nisi sacrificio crucis, cùm in eo perfectissima peccatorum remissio sit acquisita. Si secundum: frustra erit tale sacrificium. Huic obiectioni ita primùm respondeo. Etiamsi ad remissionem

missionem peccatorum hoc sacrificium necessarium non esset, esset tamen necessarium propter alios fines. neq; enim sacrificij vnicus tantùm finis est remissio peccati, sed etiam pro beneficijs gratiarum actio, vel impetratio aliorum bonorum, vel recognitio summæ diuinæ potestatis. Et etiam, cùm sacrificio præcipuus Dei cultus contineatur, ea maximè de causa sacrificiũ externum in Ecclesia necessarium esset, vt haberent fideles quo Deum quotidie summo honore afficere possent, ne religio esset sine sacrificio externo. Deinde dico, sacrificium Corporis & Sanguinis Domini in Eucharistia etiã ad remissionem peccatorum, quam sua morte promeruit Christus, nobis applicandam esse necessarium. Etenim Christus sua passione, & morte, & sacrificio in cruce oblato, promeruit quidem nobis remissionem peccatorũ sufficienter, non tamen efficaciter. Sufficienter quidem, quia sola huius sacrificij virtute omnia omnium hominum peccata remitti possunt, si fuerit illis applicatum: neque vllius alterius sacrificij virtute remitti possent. Non efficaciter verò: quia Christus, etsi pro omnibus se in cruce sufficienter obtulit, & omnibus remissionem peccatorum obtinuit, nulli tamen contulit actu remissionem peccatorum, sed eam reliquit per media à se instituta efficaciter vnicuiq; in particulari applicandam. Reliquit ergo locum sacrificio incruento, vt remissio peccatorum, quam ille sufficienter omnibus in communi meruit, sed nemini in particulari applicuit, per sacrificium incruentum nobis applicaretur. Etsi enim suo modo virtus sacrificij crucis applicetur per sacramentum Baptismi & Eucharistiæ; tamen per modum sacrificij non applicatur, nisi per hoc incruentum sacrificium. Voluit enim Christus plura instituere media, quibus virtus sui sacrificij in cruce peracti hominibus in particulari applicaretur. Quare quod nobis in cruce obtinuit, id obtineri nullo alio sacrificio potest: obtinuit enim nobis, vt virtute suæ passionis peccata nostra tollerentur, & pretio sanguinis sui redimerentur: per sacrificium vero incruentum nihil tale obtinetur de nouo, sed tantùm applicatio virtutis passionis Christi, & pretij redemptionis in cruce pro nobis oblati. Itaque cùm per sacrificium incruentum nobis remittuntur peccata, nonnisi virtute sacrificij cruenti remittuntur: per sacrificium enim incruentum solùm applicatur sacrificij cruenti virtus, ita vt cruentum sacrificium omnes opes suas per incruentum in nos effundat. etsi enim sacrificiũ cruentum sit sufficientissimum ad saluandum, nullum tamen actu saluat, nisi cui fuerit applicatum. inter alios vero modos applicationis est sacrificium incruentum.

Multiplex sacrificij necessitas.

etiam ad remissionem peccatorum.

dum nobis efficaciter virtus cruenti sacrificij applicatur.

Ex quibus patet: alia atque alia ratione verum esse, Christum & semel se obtulisse, & semper offerre. Nam in propria specie & per mortem atque

Inepte nobis contradictionem objicit Zaborouius. cruentè semel se obtulit: sub specie verò panis & vini & incruentè semper se offert. Item ad acquirendam nobis in communi remissionem peccatorũ semel se obtulit: ad eam verò in particulari applicandam semper se offert in altari. Nulla igitur in his admittitur à nobis contradictio. Nam etsi Zaborouius alterum membrum dicat esse falsum: tamẽ non quicunque falsum dicit, contradictionem implicat. is enim solùm contradictionem implicat, qui idem secundùm idem affirmat & negat: falsum verò dici potest, vel solùm affirmando vel solum negando. imperitè igitur objicit contradictionis implicationem. An verò falsum sit alterum distinctionis membrum, quod ex Scripturis vniuersa antiquitas credidit & docuit, vt mox ostendã, ipse viderit, si videndi pollet facultate.

Cùm verò Andreæ Apostoli verba in medium protulissem, quæ Presbyteri & Diaconi Achaiæ ex ore ipsius audita scriptis consignârunt; *Ego*, inquit, *omnipotenti Deo, qui vnus & verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari: cuius carnem postquam omnis populus credentium manducauerit, Agnus qui sacrificatus est integer perseuerat & viuus.* Hic Zaborouius vt verissimæ narrationi fidem abrogat, totam in dubium reuocat. Si, inquit, ista ex Actis Apostolorum quæ D. Lucas conscripsit deprompsisses, magnum pondus haberent. Quasi verò quæ in Actis Apostolorum non extant, & à grauissimis ac sanctissimis viris in Ecclesia pro certis habita sunt, nullius ponderis haberi debeant.

Historia certaminis Andreæ Apostoli dignissima fide. 1. Neque enim ea sunt ex actis Andreæ, qui liber ab Ecclesia pridem reprobatus est: neq; ex Abdia, quem nuper in lucem prolatum scribis

2. à Volfango Sasio: sed ex passione eiusdem Apostoli, quã Presbyteri & Diaconi Achaiæ tanquam oculati spectatores fidelissimè perscripserunt. quæ

3. quidem narratio & apud antiquos Patres fuit magnæ auctoritatis, eius quẽ aliquam partem citat Augustinus libro *de vera & falsa Pœnitentia capite* 8.

4. & ab Ecclesia cum cæteris apocryphis libris non solùm non reprobata est, sed etiam digna habita quæ officio publico in Ecclesijs per vniuersum orbẽ recitanda insereretur, Et verò nescio, quæ maior fides huic narrationi cõ-

5. ciliari potuit: cùm enim in Ecclesia omnibus seculis tot doctissimi viri fuerint, eos proculdubio non latuisset, si quid in ea re fide minùs dignum esset. vti & in alijs rebus quæ dubia erant non dissimulârunt. Ne tamen nil dicere videretur ait Zaborouius, ijs D. Andreæ verbis euerti Missam priuatam.

neque ea est contra priuatas Missas. At quàm acutè? Quia, inquit, Agnus ille ab omni populo credentium manducabatur. Non igitur, inquit, fuit sola communio Sacerdotis in Missa, sed etiam populi. O argutum correctorem! Quasi verò D. Andreas dixerit Agnum sacrificatum semper ab omni populo credentium manducari solitũ:

tantùm

tantùm enim ait: postquam omnis populus carnes eius manducauerit, Agnum qui sacrificatus est integrum perseuerare: ad quod verificandum satis est, quod aliquando & suis temporibus ab omni populo manducaretur.

Sed & illud non minùs insulsum & nugatorium est, cùm ait: Si Agnus ab omni populo manducatus integer perseuerat: sequitur illum spiritualiter, ore Fidei, non ore corporis manducari. quæ enim ore corporis manducantur, ea integra non manent, sed in ventrem abeunt. Non sequitur, Zaboroui. Quæ enim ore sumimus mysteria, non id solùm sunt quod videntur, sed multo magis id quod non videtur: in visibilibus enim inuisibilia & supernaturalia nobis communicantur dona, verbo Dei illa sanctificante. quocirca ore quoque sumenda sunt, quia in ijs quæ ore sumimus nobis communicantur. Neque verendum est, ne corrupta & comminuta in ventrem vadant, vt tu impurè argumentaris. quia non continent rem corruptibilem, sed incorruptibilem, Corpus videlicet & Sanguinem Christi. Cibi enim corruptibilis id est proprium in stomacho corrumpi, & corruptum in ventrem mitti. Hic verò cibus incorruptibilis sub specie corruptibili nobis præbetur, qui nec à stomacho confici, nec corruptus mitti in ventrem potest. neq; enim ad corpus alendum, sed ad animam diuina gratia saginandam, nobis datur. *neq; contra esum carnis Christi.*

Tandem tale instituit argumentum; Sacerdos dignior est quàm victima; si igitur Sacerdotes offerrent Christum sub speciebus panis & vini, essent digniores Christo, quod absurdum est. Sed quàm hallucinetur, inde apparet. Cur enim Sacerdos dignior esse debeat, quàm victima? Respondebit: quia Sacerdos dat & offert victimam Deo, victima verò datur: is autem qui dat dignior est ea re quam dat. Si id ita est: ego simili probabo Apostolos non dedisse per impositionem manuum Spiritum S. Is enim qui dat est dignior ea re quam dat: at Apostoli dabant per impositionem manuum Spiritum sanctum: ergo erant digniores Spiritu S. Videsné, Zaboroui, quàm ineptè argumentaris? Propositio itaq; illa: Sacerdos dignior est quàm victima: licet in multis rebus locum habeat, quas quis ex se & propria virtute dat, tales enim res communiter esse solent minoris dignitatis; tamen cùm quis auctoritatem dandi non ex se sed ex diuina virtute habet, non est necesse, vt sit præstantior ea re quam dat: potest enim Deus longè digniora nobis dona dare, eorumq; alijs donandorum potestatem facere. Sic & Corpus suum & Spiritum sanctum nobis dedit Christus, & vtriusque dandi potestatem concessit. Quanquam nec illud vniuersè verum est eum, qui ex se & ex propria potestate dat rem aliquam, esse illa re digniorem. Nam in Diuinis Pater æqualis dignitatis donauit nobis Filium, & vterque Spiritum sanctum. Idcirco dico communiter tantùm in humanis id verum esse, non autem vni- *Non opus Sacerdotem digniorem esse sacrificio.*

uersè. Christus etiam obtulit semetipsum in cruce: neq; tamen seipso est dignior. imò in altari quotidie se offert per manus Sacerdotum, neq; tamen victimam dignitate offerens superat. ac proinde in nobis quoq; non erit absurdum, victimam esse præstantiorem nobis, quum non simus principales in offerendo, sed Ministri.

CAPVT XIV.

Malachiæ vaticinium de externo nouæ legis sacrificio, & oblatione munda in omni loco offerenda.

PVtat Zaborouius nos ita esse à Scripturis destitutos, vt eis probare non possimus externum legis nouæ sacrificium. At fallitur. Quæ est enim illa oblatio munda, quæ in omni loco offerenda prædicitur apud Malachiã *cap: 1. 11.* reiectis sacrificijs Iudæorum immundis? Non alia proculdubio, quàm oblatio Corporis & Sanguinis Domini. præter hanc enim nulla oblatio alia munda est: nulla in omni loco Deo offertur: nulla successit sacrificijs Iudæorum: nec aliam vllam primitiua Ecclesia ab Apostolis edocta pro sacrificio nouæ legis proprio agnouit & venerata est. Verba Malachiæ sunt; *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificabitur, & offeretur nomini meo oblatio munda: quia magnũ est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Nam quod ait Zaborouius oblationem mundam esse oblationem precum. de qua Paulus *1. Tim: 2. 8. Volo viros orare in omni loco, attollẽtes puras manus:* ea oblatio spiritualis est non externa: nec de ea loqui Malachiam plurimis rationibus ostenditur.

Malachias non loquitur de sacrificio precum pro sacrificijs Iudaicis subrogando.

1\. Primùm; si de oblatione precum loqueretur, ea oblatio non magis est munda, quàm oblatio sacrificiorum Iudaicorum: nam sicut oblatio precum tunc solùm est munda, cùm puræ manus attolluntur ad Deum; sin minus, immunda: ita & oblatio sacrificiorum puris manibus & puro corde oblata erat munda; immundo verò corde oblata erat immunda: non igitur vlla esset ratio, cur oblatio precum diceretur munda, oblatio verò illa sacrificiorũ immunda, cùm vtraque æquè munda & immũda diuerso respectu dici possit.

2\. Deinde oblatio illa in omni loco offerenda ita prædicitur fore mũda, quomodo illa sacrificia Iudaica nõ poterãt dici munda: alioqui si sacrificia illa poterãt esse æquè munda sicut illa futura oblatio

oblatio, non fuiſſet cauſa, cur reijcientur à Deo tanquam immunda, & alia oblatio quæreretur æquè munda. Cùm igitur oblatio precum eo prorſus modo ſit munda, quo modo ſacrificia quoque Iudaica erant munda, nempe ex religione offerentium: conſequens eſt non de oblatione precum agi apud Malachiam, ſed de alia oblatione; quæ ita erat futura munda, quo modo ſacrificia Iudaica non poterant dici munda. Adhæc noua quædam oblatio 3.
prædicitur futura in omni loco, qualis non erat vnquam in lege veteri. alioquin ſi ea etiam fuiſſet in lege veteri, non erat lex vetus propter eam reijcienda à Deo, ſed potiùs retinenda. quippe quæ oblationem mundam in ſe contineret. Cùm igitur oblatio precum fuerit etiam in lege veteri: ſequitur non de ea apud Malachiam ſermonem eſſe, ſed de alia noua, quæ in lege veteri non fuerit. Præterea ſacrificijs externis Iudæorum non ſuccedunt 4.
in lege noua ſacrificia interna & ſpiritualia (hæc enim erant ſimul cum ſacrificijs Iudaicis, nec erat neceſſe vt ſubſtituerentur) ſed externa & aſpectabilia. Nam ſacrificijs internis Iudæorum proprie reſpondent ſacrificia interna Chriſtianorum; externis vero externa. Cùm ergo hic agatur de oblatione, quæ in locum ſacrificiorum externorum ſucceſſura erat: manifeſtum eſt, non agi hic de interna ſed de externa & aſpectabili oblatione in omni loco; ita vt, quum ſacrificia illa Iudaica non offerrentur niſi in vno loco, hoc eſt Ieroſolymis, prædicetur futura talis oblatio externa, quæ non Ieroſolymis tantùm ſed in omni loco debeat offerri. Oblatio verò precum etiam in lege veteri non Ieroſolymis tantùm offerebatur, ſed etiam in omni loco, tam à Iudæis, quàm à gentibus: qui tum piè Deum colebant, vti habetur *Act: 10. 22. & 25.*

Accedit quòd apud Malachiam prædicitur propter oblationem illam 5.
magnum futurum Dei nomen in gentibus: at ſi ſolùm oblatio precum eſſet futura, maius Dei nomen fuiſſet in Iudæa quàm in gentibus: ſi ab his interna ſolùm oblatione Deus fuiſſet colendus, cùm in Iudæa tam internis quàm externis coleretur ſacrificijs. vnde potiùs eo nomine diminutus fuiſſet Dei honor apud gentes & Chriſtianos quàm apud Iudæos. Huc etiam ſpectat, 6.
quòd prædicitur oblatio ita futura ex ſe munda, vt inquinari nulla ratione poſſit: alioqui ſi inquinari poſſet, non differret munditie à ſacrificijs Iudæorum. Hæc enim ſolùm differentia ſtatui poteſt inter ſacrificia Iudæorum & hanc oblationem: quòd illa licèt aliquando potuerint eſſe munda, cùm ſcilicèt ita vt par erat offerrentur; tamen non erant ita munda, vt inquinari & pollui non poſſent, vel defectu ex parte offerentium, ſi animo impuro offerrentur: vel proprio ſuo defectu ac vitio, ſi manca & vitioſa, & non ſecũdùm præſcriptum legis ſacrificarentur. hanc enim ob cauſam vocat ibidem

Deus panem pollutum, qui non talis qualem lex præcipiebat offerebatur. & queritur sibi in sacrificio offerri languidum, cæcum, claudum, debile, & id genus alijs vitijs animal contaminatum. Porrò oblationem precum non esse ita mundam, vt inquinari non possit per se manifestum est. inquinatur enim, vel defectu attentionis & reuerentiæ, quoties labijs tantùm honoramus Deum corde procul ab eo remoto: vel defectu syncereæ intentionis, cùm eo fine oramus, vt oculis hominum orantes appareamus. Non igitur oblatio precum est illa oblatio munda, de qua Malachias vaticinatur: quam ita vult esse mundam, vt pollui & inquinari non possit. alioqui munditie sacrificia Iudaica non superaret. Id quod maximè verum est in sententia Euangelicorum, qui omnia opera nostra docent esse mala ex se & peccata mortalia, si rigidè à Deo iudicentur: per Fidem tamen non imputari nobis in peccatum. Sic igitur oblatio precum erit ex se immunda oblatio, & tantùm per imputationem munda: vnde magis esset immunda quàm munda, quia intrinsecè immunda, extrinsecè munda. Insuper oblatio prædi-
7 citur munda in omni loco: at oblatio precum non est munda in omni loco: in plurimis enim locis non offeruntur orationes mundæ, vt dictum est. Er-
8 go oblatio precum non est oblatio de qua loquitur Malachias. Denique oblatio precum offerri potest ab omnibus: at hæc oblatio à solis veris Sacerdotibus erat offerenda: ita enim exponit Malachias *in cap: 3.3. Purgabit*, inquit, *filios Leui: & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum: & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia.* Soli igitur Leuitæ ex populo Dei eliguntur ad hoc sacrificium offerendum. quod, sicut antè vocauerat *oblationem*, ita hic vocat *sacrificium in iustitia*; opponens illud pollutis & immundis sacrificijs Iudaicis. Quod etiam expressius docet Isaias *cap: vltimo 21. Et assumam*, inquit, *ex eis in Sacerdotes & Leuitas.* Non igitur omnes debebant esse Sacerdotes respectu huius sacrificij, sed aliqui duntaxat ex populo Dei assumpti.

Sacrificium Christianorũ pollui nequit.

Porrò sicut oblationi precum Malachiæ vaticinium aptari non potest, ita oblationi Corporis & Sanguinis Domini conuenientissimè accommodatur. Hæc enim sola oblatio ita est munda, vt pollui & vitiari nullo modo possit: quia est tum ex se munda & sancta, ac proinde gratissima Deo: tum ex principali offerente qui est Christus Dominus: eius enim reliqui Sacerdotes sunt Ministri cùm & verbis ipsius non suis hanc oblationẽ consecrent; & ipsius nomine ac potestate sacrificium hoc peragant; & totam sacrificij huius virtutem in illud Christi sacrificium in cruce referant. quod enim pretium in cruce Christus nobis acquisiuit, hoc in altaris sacrificio in nos effunditur, expenditur, distribuitur. Quocirca etsi Sacerdotes

Ministri

Ministri pollutis manibus & animis quandoque hoc sacrificium tractent, nequaquam tamen illud in se polluunt: tum quia sanctitatem illi insitam auferre non possunt: tum quia adest principalis offerens Christus, de cuius manibus non potest non sanctum & Deo non gratum procedere sacrificium. Nam simili ratione Baptismus, quamuis ab impuro Ministro conferatur, sanctus est; nec sanctior si à sanctiore; nec minus sanctus si à minus sancto administretur: quia non à Ministro sed à Christo suam dignitatem & sanctitatem accipit, & eiusdem Christi qui semper sanctus est institutione ac nomine confertur. Nam neque munera quæ Principis nomine offeruntur vitio legati minus grata existunt, cùm Principis non legati nomine offeruntur. Ex quo etiam existit: vt hæc oblatio ita sit munda, quomodo sacrificia Iudaica non fuerunt, & sua munditie ac sanctitate omnia alia sacrificia longissimo superat interuallo.

Est etiam oblatio noua, qualis in veteri lege nulla fuit. & Scriptura teste successit sacrificijs Iudæorũ, vti Paulus *ad Hebr: 10. 5.* ex illo *Psal: 39.* loco deducit: *Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi.* Noluit enim Deus Iudaica sacrificia; quia erant imperfecta; nec ad mundandos à peccato homines sufficientia: oblationem autem Corporis Domini in eorum locum substituit, tanquam perfectam, & ad nos sanctificandos maximè idoneam. Eà enim in cruce oblata pretium redemptionis acquisitum, & obtentum est: sed quia nemini tunc fuit applicatum, debuit in altari quotidie offerri, vt idem pretium nobis quotidie applicaretur, & in salutem nostram impenderetur ac distribueretur. Denique per hanc oblationem Deus quotidie summè honoratur, dum res omnium pretiosissima & ipsi longè gratissima offertur in odorem suauitatis. verè què huius oblationis respectu apud Malachiam dicitur; *Magnum est nomen meum in gentibus.*

quale Iudæis non fuerit.

& quo summè colitur Deus.

Insulsum vero est quod aduersarij opponunt, vnicum esse legis nouæ sacrificium, semelq; oblatum. nam etsi vnicum sit ratione rei oblatæ, vna enim numero victima est Corpus & Sanguis Christi, præter quam nulla alia victima datur: tamen si modus offerendi spectetur, est multiplex. Eadem enim victima & cruentè in cruce oblata est, & incruentè in omni loco secundùm Malachiæ vaticinium offertur. Cùm verò Scriptura semel Christum oblatum esse, nec quotidie se offerre pronuntiat; de oblatione per mortem loquitur, vti ex tota epistola *ad Hebræos* manifestum est. Eadem tamen Scriptura in omni loco eandem victimam offerri incruentè testatur. id enim cùm de cruenta Christi oblatione intelligi non possit, de incruenta intelligendũ esse euidentissimè consequitur. Quare, etsi Zaborouius multas cruenti & incruenti sacrificij differentias coaceruet: non tamen efficit ista sacrificia esse diuersa

& quotidie, & multis locis offertur.

diuersa quoad rem oblatam, sed tantùm quoad modum offerendi: vt quod illud in cruce semel, hoc in infinitis locis & singulis diebus; illud in propria specie & cruentè, hoc incruente & speciebus panis & vini contentum offeratur.

necessariò. Cur verò incruentè Christum oportuerit offerri: id non in sacrificij
1. cruenti insufficientiam referendum est: sed quod Sacrificium illud, licèt sufficientissimum, nemini tamen in particulari Christo ita volente applicatum fuit. alioqui nulli damnarentur, sed omnes essent salui virtute passionis Christi. Institutum igitur est huius applicationis causa incruentum sacrifi-
2. cium, vt per illud virtus cruenti nobis applicaretur. Et quamuis non desint alij modi, quibus ea applicatio fieri potest, per Fidem videlicet & Sacramenta. tamen diuinæ Christi bonitati placuit multiplicare media, vt tantò
3. vberiùs ea virtus in nos effunderetur. In particulari verò necessarium fuit vt applicaretur per sacrificium, vt ea ratione, & Deus honore summo qui ei sacrificio impenditur non priuaretur: & lex noua præcipuo Religionis actu
4. qui est sacrificium non careret. Non enim potuit lex noua sine sacrificio esse: non debuit autem aliud sacrificium quàm Corporis & Sanguinis Domini habere: hoc enim solum est, quod emundare conscientias nostras & sanctificare (quæ propria est legis nouæ gratia) potest.

Neq; verò sequitur quod ait Zaborouius, sacrificium hoc cùm toties repetatur esse imperfectum: quod repetitionem imperfectionis esse argumentum Paulus affirmet. nam repetitio quam Paulus damnat est cùm alia numero victima in locum prioris substituitur; id qué ad nouam remissionem peccatorum à priore distinctam promerendam. talis enim repetitio manifestum esset insufficientis sacrificij argumentum, siquidem vna victima omnium peccatorum remisionem minimè obtineret. At nos neque nouam victimam substituimus; sed vnam & eandem semper offerimus: neque ad nouam peccatorum remisionem obtinendam, sed ad eam, quæ per victimam cruentam obtenta est, nobis applicandam. Non igitur ad nos illa repetitio sacrificij, quam Paulus damnat, pertinet. Sacrificium igitur incruentum, cùm non ad nouam remisionem obtinendam; sed ad eam, quæ in cruce obtenta fuit, applicandam ordinetur, non habet quidem eam perfectionem, quam sacrificium crucis, ipso Christo ita volente & disponente, vt hoc sacrificium totam vim suam ex illo in cruce peracto sacrificio haberet & eius virtute operaretur; ita vt sola incruenta oblatio vim redimendi homines non habeat sed cruenta; & ex vi cruentæ incruenta sit hominibus salutaris: tamen in suo quoq; genere sacrificium incruentum est perfectum. Nam quamuis per ipsum nō omnibus simul hominibus applicetur virtus sa

non ob imperfectionem suam.

etsi cruento illo vnico imperfectius sit Christo ita volente.

crificij incruenti: id tamen non ex defectu huius sacrificij prouenit. poterat enim Christus si voluisset totum passionis suæ fructum omnibus simul hominibus in hoc sacrificio applicare: sed ex Christi iustissima voluntate, qui voluit huius sacrificij vsum perpetuum in Ecclesia esse, tum religionis & Dei colendi causa, tum ad excitandum in hominibus perpetuum erga hoc sacrificium affectum, & repetendam iugiter passionis ipsius memoriam. vnde ex consequenti voluit per hoc sacrificium non omnem simul passionis suæ fructum nobis applicari, sed ad id obtinendum perpetuò repeti.

Porrò imperfectionem repetitio tunc arguit, cùm id ex proprio vitio & defectu & insufficientia sacrificij prouenit, vt necesse sit illud repeti: non verò si ex sola offerentis voluntate & dispositione, in cuius arbitrio positum est, ad plura vel pauciora, ad hæc vel illa obtinenda sacrificium ordinare. Nam & per sacrificium crucis multa alia bona nobis Christus mereri potuit, quæ tamen de facto non meruit: quia ad eum finem passionem suam non ordinauit. Potuit enim (vt alia taceam) promereri nobis, vt peccare non possemus; vel saltem vt à peccato originali prorsus immunes essemus; vel vt omnes infallibiliter gloriam consequeremur: ad quæ tamen promerenda passionem suam non ordinauit; nec Deo obtulit. Neq; tamen idcirco quis dixerit sacrificium crucis fuisse imperfectum: erat enim ex se infiniti valoris; licet non ad omnia obtinenda à Christo fuerit ordinatum. ad quæ tamen si ordinatum fuisset, vim ea promerendi omnino sufficientem habuisset.

Cruentū quoque non omnia effecit, quæ posset.

Iam superest, vt ostendamus falsò Zaborouium gloriari, cùm ait, se sanctos Patres sequutum in loco Malachiæ explicando. Ii enim omnes, quotquot hunc locum tractarunt, de oblatione Eucharistiæ vnanimi consensu eum exposuerunt. id quod ex ipsis quos adducit Patribus perspicuum est. Inprimis adducit Irenæum *lib: 4. cap: 33.* sed more suo infideliter. Nam Irenæus licèt nomine *incensi* intelligat orationes sanctorum: tamen nomine *oblationis mundæ* intelligit oblationem Eucharistiæ Corporis & Sanguinis Domini. Ita enim habet *cap: 32. Discipulis*, inquit, *suis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint: eum qui ex creatura est panem accepit, & gratias egit dicens; Hoc est corpus meum. Similiter & calicem qui est ex ea creatura quæ est secundùm nos suum sanguinem confessus est: & noui Testamenti nouam docuit oblationem: quam* oblationem *Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo offert Deo; ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in nouo Testamento. de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificauit; In omni loco offertur incensum nomini meo, & oblatio munda &c.* Hæc

F.

Irenæus contra Zaborouium est, falsò citatus ab illo.

Irenæus

Irenæus. Ex quibus omnes fraudes Zaborouij in adducendis Patribus perspici possunt. Cur enim tam expressam Irenæi sententiam dissimulauit? cur Irenæi verba cōtra Irenæi mentem adduxit, nisi vt fucum faceret & falleret? Duo enim considerat Irenæus in Malachiæ vaticinio, & incensum, & oblationem mundam: incensumq; exponit orationes Sanctorum: oblationem verò mundam ait esse oblationem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia. De qua oblatione tria docet. primò causam & necessitatem huius oblationis. *Necesse enim*, inquit, *est primitias offerre Deo ex creaturis ab ipso acceptis. non quòd oblationibus nostris Deus indigeat, sed quòd nos ad nostrã salutem ijs indigeamus: & ne videamur beneficiorum Dei ingrati. Cùm igitur panem & calicem in Eucharistia, hoc est Carnem & Sanguinem Christi, singulari Dei beneficio à Deo acceperimus, necesse est vt ad nostram salutem & ad demonstrandam gratitudinem nostram, ea Deo offeramus.* Secundò. Christum eam oblationem tanquam noui Testamenti propriam instituisse, & sub exemplo in cœna confirmasse, & Apostolis, vt eam offerrent consilium dedisse. Tertiò Ecclesiam ab Apostolis hanc oblationem didicisse, & eam in vniuerso mundo offerre Deo. Si igitur Irenæus oblationem mundam non esse aliam nisi Corporis Christi in Eucharistia, non solùm disertè affirmat, sed etiam Christi, Apostolorum, & Ecclesiæ primitiuæ in vniuerso mundo vsu confirmat: qua fronte Zaborouius ausus est antiquissimum Patrem qui statim Apostolis successit pro sua sententia adducere?

disertè enim ait Malachiã vaticinatum de sacrificio Corporis Christi & Sanguinis.

F

At nō maiori fide adducit pro se Iustinũ in *Dialogo cum Tryph. Orationes*, inquit, *& gratiarũ actiones esse solum & perfectũ & acceptum Deo sacrificiũ, quod soli Christiani offerre solent.* At dolosè omittit, quod ibidem Iustinus de oblatione munda ex Malachia docet. *De nostris*, inquit, *hoc est gentium, quæ in omni loco offeruntur sacrificijs, hoc est pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ, iam tum locutus prædixit Malachias. Nos quidem glorificare nomen eius, vos autem profanare &c. A nemine sanè Deus hostias accipit, nisi à Sacerdotibus suis. Vniuersis igitur qui per nomen ipsius sacrificia offerunt, quæ* IESVS *Christus fieri tradidit: hoc est in Eucharistia panis & calicis, quæ in loco omni à Christianis fiunt præueniens Deus gratos sibi esse testificatur. quæ autem à vobis & à vestris Sacerdotibus offeruntur, renuendo abijcit.* En quam apertè Iustinus oblationem in omni loco secundùm Malachiæ vaticinium offerendum vocat panis Eucharistiæ & calicis sacrificiũ. idque sacrificium IESVM CHRISTVM fieri tradidisse, & esse Deo longè gratissimum, cùm ei in omni loco oblatum fuerit, & paulò antè oblatione similæ fuisse figuratum. Hoccine igitur est, Zaboroui, fideliter Patres citare? an non potiùs contra mentem ipsorum verba torquere & falsificare? Nam

Iustinus martyr itidem.

quod

quòd Iustinus vocat orationes solum & perfectum sacrificium? nunquid inde sequitur sacrificia externa non esse vera sacrificia? alioqui negandum quoq; esset sacrificia Iudaica fuisse vera sacrificia: ijs enim in Scriptura præponuntur sacrificia laudum: *Holocaustis*, inquit Dauid, *non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Dicuntur ergo orationes esse solum verum & perfectum sacrificium ratione effectus: quia per se placent Deo, & conferunt nobis salutem. aliæ verò res externæ, si sine spiritu interno offeruntur, non sunt hoc modo verè sacrificia, licèt in essentia sint sacrificia. Deinde non comparat orationes Iustinus cum Eucharistia, quam ipse vult esse gratissimum Deo sacrificium, sed cum alijs rebus externis quæ Deo offeruntur. *Preces cur solum sacrificium.*

Tertio loco profert Tertullianum *lib: ad Scapulam c. 2. Sacrificamus*, inquit, *pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & quomodo præcepit Deus pura prece.* Verùm hic locus non est ad propositum. Nam neq; Tertullianus hic locum Malachiæ explicat, quod Zaborouius susceperat probandum: neque nos negamus sacrificium precum. sed præter hoc spirituale sacrificium adstruimus aliud externum Corporis & Sanguinis Domini sacrificium. Quanquam de eo etiam optimè intelligi potest hic Tertulliani locus. Verè enim hoc sacrificium in altari pura & sacra prece offertur. Sicut enim Dominus in vltima cœna gratias agens, benedicens, & laudans Deum, hoc sacrificiũ celebrauit. ita nobis similiter pura prece, hoc est gratiarum actione, benedictione siue consecratione Corporis & Sanguinis Domini, & diuinis laudibus hoc sacrificium celebrandum præcepit. Voluit ergo Tertullianus docere sacrificium nostrum in altari pura prece à nobis offerri: hoc est, nõ sanguinis aliqua effusione, nec mactatione, nec odorum consumptione, vti in communibus sacrificijs fieri solet; sed sacris & diuinis verbis, quibus & Deus laudatur, & sacrificium Deo consecratur, vti ipsemet Tertullianus seipsum mox explicat. Porrò Tertullianum sacrificium Corporis Domini quod in altari offertur agnouisse, expresse docet liber *de orat. c. 14.* in quo ait; *Solennior erit statio tua, si ad arã Dei steteris. Accepto Corpore Dom: & reseruato vtrũq; saluũ est, & participatio sacrificij, & exequutio officij.* En aram Dei, in qua Corpus Domini sacrificatur, & acceptio Corporis Domini participatio sacrificij dicitur à Tertulliano. similiter libro *de velandis virginibus c. 9.* idem Tertullianus ait; *Non permittimus mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec vllius virilis, nedum Sacerdotalis officij sortem sibi vendicare.* Certè oblatio in Ecclesia, quæ sit Sacerdotalis officij, & non possit à muliere exerceri, non est oblatio precum: eam enim etiam qui Sacerdotale officium non gerunt, & mulieres licitè in Ecclesia facere possunt.

Tertullianus nil pro Zaborouio ineptè citatus.

F.

nam is agnoscit sacrificiũ Corporis & Sanguinis Christi.

possunt. Est igitur oblatio in ara Corporis Domini. Porrò Tertullianus locum Malachiæ lib: *3. contra Marcionem cap: 15.* exponens inquit, *In omni loco sacrificium nomini meo offertur, & sacrificium mundum: gloriæ scilicet relatio, & benedictio, & laus, & hymni.* Quæ verba optime ad sacrificiú altaris referri possunt: (quod vti dictum est) sacra prece celebratur, glorificatione videlicet Dei, benedictione seu consecratione sacrificij, denique laudibus & hymnis diuinis. Alludit enim Tertullianus ad Christi in Eucharistiæ celebratione exemplum. Quocirca ex Tertulliano Zaborouius nil solidi pro se & contra nos deriuare potest, nisi verba ipsius contra ipsius mentem detorquendo. Illæ enim laudes, quas commemorat Tertullianus, ad sacrificij altaris celebrationem pertinent: & per eas sacrificium altaris significatur, Tertulliano ipso suam sententiam exponente.

Hieronymus sacrificium Agni immaculati quotidianum adstruit clarissimè.

F.

Iam quod ad Hieronymum attinet: eum quoque falsò pro se adducit Zaborouius. Is enim, etsi priorem partem Prophetiæ Malachiæ, quæ est de incenso, interpretetur de orationibus Sanctorum: posteriorem tamen partem quæ est de oblatione munda, non de orationibus, sed de ea oblatione quæ est in ceremonijs Christianorum, hoc est, quam certis ceremonijs & ritibus offerunt Christiani, quam *in cap: 46. Ezechielis* vocat sacrificium Agni immaculati, quod nulla intermittitur die: sed omni tempore orto sole semper offertur, sacrificium legitimum Deo, iuge ac perpetuum. Imò hoc iuge sacrificium vltimis temporibus ab Antichristo auferendum esse docet *libro 1. in cap: 12. Danielis.* vt vel ex eo agnoscat Zaborouius, cuius ipse & omnes Euangelici membra sint, cùm hoc sacrificium sublatum volunt. Adhæc huic sacrificio altare assignat Hieronymus, cùm ait; *Sacerdotem ad altare Christi quasi Virginem de thalamo procedere debere. epistola 4. ad Rusticum cap: 8.* & . *Romanum Pontificem*, ait, *super ossa veneranda Petri & Pauli offerre Domino sacrificium, & tumulos eorum arbitrari altaria Christi 2. aduersus Vigilantium c. 3.* & : *Episcopum victimas offerre pro populo, & Carnes Agni sacro ore conficere. epistola 180. ad Fabiolam.* &: *quotidie in sacrificijs Christi de genimine vitis veræ, id est Christi, vinum bibere. epistola 150. ad Hebidiam q. 2.* & , *offerre Victimas super altare Domino. in cap: 60. Esaiæ. idque secundùm ordinem Melchisedech in pane & vino. de Traditionibus Hebraicis in cap: 14. Geneseos.* Ergo qui fieri potest vt Hieronymus, qui tam diserte affirmat Corpus Christi in altari à Sacerdotibus ritu Melchisedechiano in pane & vino offerri, à Zaborouio in contrarium sensum trahi possit: maximè cùm Hieronymus per sacrificium precum hoc altaris sacrificium sæpe intelligat: quod non aliorum sacrificiorú more, mactatione hostiæ, sed benedictione & oratione perficiatur. vti de Tertulliano quoque docuimus.

Venio

Venio ad Augustinum: quem pro se inuitum ac renitentem Zaborouius trahere vult *lib: 1. de Aduersario legis & Prophetarum cap: 2.* vbi tamen Augustinus prorsus contrarium loquitur. Dicit enim Ecclesiam, quæ ab Apostolorum temporibus per Episcoporum successores certissimas vsq; ad nostra & deinceps tempora perseuerat, immolare Deo in Corpore CHRISTI sacrificium laudis: immolare autem non secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech. id qué probat ex dicto loco Malachiæ. Et quamuis incensum exponat orationes sanctorum: tamen oblationem mundam intelligit sacrificium secundùm ordiné Melchisedech. Quo etiam modo eundem locum Malachiæ exponit *18. de Ciuit: cap: 25.* cùm ait, *Hoc sacrificium per Sacerdotes secundùm ordinem Melchisedech in omni loco à solis ortu vsque ad occasum Deo offerri, iuxta Malachiæ vaticinium.* Vt enim *lib: 83. quæstionum cap: 61.* ait: *Ipse*, hoc est Christus, *est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, qui seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, & eius sacrificij similitudinem celebrandam in suæ passionis memoriam commendauit: vt illud quod Melchisedech obtulit Deo, iam per totum orbem terrarum Christi in Ecclesia videamus offerri.* Quid hic Augustinus pro Zaborouio? *Augustinus apertè cōtrarius Zaborouio.* F.

Denique citat Eusebium Cæsariensem *in 1. Demonstrationum Euangelicarum lib: c. 6.* vbi ait, Malachiæ vaticinium significare omnes gentes prædicatione Euangelij ad Deum conuersas, eius nomen celebraturas, & vitulos labiorum oblaturas. At hoc quoque infideliter, & contra mentem auctoris adducit. Is enim eo loco dicit gentes, in toto mundo orationis incensum, & sacrificium mundum, non per cruores sed per pias actiones, oblaturas. Duo igitur dicit Eusebius, & orationis incensum, & sacrificium mundum hoc est Eucharistiæ. quæ non per cruores, sed per pias actiones, id est per mysticam consecrationem gratiarum actiones & preces, offertur. vti ipsemet tum *cap: 10.* tum in *Oratione de Laudibus Constantini* seipsum exponit. *Quis alius*, inquit, *solo Seruatore nostro excepto, sacrificia rationalia sanguinisq; expertia precibus & arcana quadam diuinæ laudis celebranda ratione suis discipulis obeunda tradidit? Qua de causa, tum altaria in toto orbe terrarum constructa sunt: tum augustæ sanctæq; Ecclesiæ ædificatæ: tum diuina sacrificiorũ sola mente rationeq; perceptorum ministeria soli Deo destinata.* Vult ergo sacrificia in altari celebrari, quæ sint sacrificia Corporis & Sanguinis Domini. quæ ideo sacrificia rationalia appellat: quia sola ratione menteque percipiuntur. non enim sensus, sed sola ratio & Fides agnoscit, quid sit illud, quod sub speciebus panis & vini in altari offertur. Modum etiam offerendi exponit. *Cùm enim sanguinis expertia sint, non gladio nec*

Eusebius Cæsariensis itē. F.

etsi sacrificiũ hoc vocet laudis, precum, rationale.

sanguinis effusione, sed precibus & diuinarum laudum celebratione gladij loco celebrantur. Quocirca dicitur hoc sacrificium precum, quia precibus mysticis offertur: & sacrificium laudis, quia laudum diuinarum celebratione, non externa mactatione & sanguinis effusione offertur. Sic enim & Augustinus illud vocat sacrificium laudis, sed in Corpore Christi: Et ipse Eusebius *ibidem cap: vltimo. Sacrificamus*, inquit, *Deo sacrificium laudis: sacrificamus Deo plenum & odorem afferens & sacrosanctum sacrificium: sacrificamus nouo more secundùm nouum Testamentum hostiam mundam.* Quare sacrificium non sunt preces ipsæ, sed id quod precibus mysticis Deo offertur, sacrosanctum & Deo plenum & mundum sacrificium Corporis & Sanguinis Domini in altari. id quê nouo more. non enim mactatione & sanguinis effusione in veteribus sacrificijs adhiberi solita; sed mystica prece, mystica consecratione & benedictione, mysticis laudibus.

Constat igitur Zaborouium pessima fide Patres pro sua sententia adduxisse, eorumque verba contra expresissimam ipsorum mentem impudenter detorsisse. Est enim hoc Hæreticorum ingenium verba aliqua obscura ex libris Patrum vrgere, clarioribus & maximè perspicuis relictis; vt ita fucum hominibus faciant, quasi SS. Patrum sententiam sequantur. Sed hæ fraudes ipsis locis inspectis facilè deteguntur.

Cor nostrum non est illa oblatio munda

Duo restant soluenda, quæ à Zaborouio aduersus nostram sententiam obijciuntur; vnum est. posse cor nostrum dici oblationem mundam per Fidem Christi, iuxta illud *Act: 15. 9. Fide purificans corda eorum.* Verùm
1. neque secundùm doctrinam Luteri & Caluini dici potest cor per Fidem absolutè mundum. quia secundùm eos Fides non facit cor absolutè mundum; cùm non tollat peccatum, sed solùm contegat per imputationem iustitiæ Christi. Et etiamsi per Fidem verè mundaretur non tamen eo modo dici potest mundum, quo illa oblatio apud Malachiam dicitur munda. tum
2. quia illa oblatio eo modo dicitur munda, quo modo sacrificia Iudaica non poterant dici munda: at illa quoque erant munda per Fidem, quando cũ Fide offerebantur: ergo hæc mundities per Fidem non sufficit ad illam oblationem, quæ maiori quadam ratione dicitur munda: nempe ita vt pollui & immunda reddi non possit: quo modo neq; cor humanum nec illa sacrificia dici possunt oblatio munda. tum quia oblatio illa ita dicitur munda,
3. vt antè non fuerit similis alia oblatio: atqui cor mundum per Fidem etiam tunc & antè fuit oblatio munda: non igitur de munditie cordis sermo est
4. apud Malachiam. Denique oblatio apud Malachiam dicitur in omni loco munda: at cor non est mundum in omni loco: non igitur oblatio illa munda intelligi potest oblatio cordis.

Alterum

Alterum est, quod opponit Zaborouius; si Missa sit sacrificium incruentum, eam non posse dici sacrificium propitiatorium: quia, vt ait Paulus, *sine sanguinis effusione non fit remissio. Hebr: 9. 22.* Verùm hoc argumentum nullius plane est momenti. Neque enim nos asserimus sacrificiũ incruentum ex se conferre remissionem peccatorum: sed eam, quæ per sanguinis effusionem in cruce acquisita est, applicare. Et hic totus est error aduersariorum, cùm sibi falsò persuadent sacrificium incruentum secundùm nos nouam remissionem peccatorum ex se parere: cùm nos, illud nonnisi virtute sacrificij cruenti operari, & ab eo totam suam virtutem accipere, doceamus. Quare sublatis calumnijs, quibus nos onerant, & sententiam Catholicam peruertere nituntur, nihil solidi habent quo nos oppugnent.

Sacrificij Christiani vis ex cruento Christi.

CAPVT XV.

Christum è cœlo sacrificium Corporis & Sanguinis sui in Eucharistia per manus Sacerdotum offerre.

PRobaui in *Nodo Gordio* D. Pauli argumento ex *8. cap: ad Heb.* petito, Christum è cœlo verum & propriè dictum sacrificium offerre. Ita enim argumentatur; Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias cõstituitur. Cùm igitur Christus sit Pontifex in cœlis constitutus, vt tanquã cœlestis sanctuarij & tabernaculi Minister suo Pontificali officio in cœlo fungatur; necesse est vt habeat quod offerat. Et quamuis non explicat, quale sit illud sacrificium quod ibi offert: indicat tamen, cùm eum Sacerdotem appellat secundùm ordinem Melchisedech: ac proinde ritu Melchisedechiano in pane & vino (vt mox ostendam) offerre debere, non aliam oblationem, quàm Corporis & Sanguinis sui. hæc enim vnica est Christi oblatio.

Sensit vim huius argumenti Zaborouius: nec habuit quod ei opponeret, nisi quod ex Græco legi debeat in præterito; Necesse fuit & hunc habere quod offerret: non in præsenti; Necesse est & hunc habere aliquid quod offerat. quod ait ex verbo προσενέγκῃ patere.

At fallitur. Nam neq; vox προσενεγκῃ requirit præteritum tempus, cùm habeat indefinitam significationem: nec sensus patitur, vt in præterito sed

Christus nũc etiam sacri-

ficat in cœlo residens secũdùm Paulũ. rito sed in præsenti accipiatur. vti omnes interpretes hactenus intellexerunt. Etenim Paulus loquitur de oblatione, quæ fit in cœlis à Christo, qui consedit in cœlis tanquam sanctuarij cœlestis Minister ad munera sui Ponti ficatus exercenda Cùm ergo ei oblationem assignat, non assignat præteritam, quam antequam in cœlum ascendisset habuerit, sed præsentem, quam in cœlis nunc existens habet, habiturusq; est in æternum, tanquam Sacerdos in æternum. Indicant id verba ista Pauli; *Talem,* inquientis, *habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis: Sanctorum Minister & tabernaculi veri, quod fixit Deus & non homo..* Quibus verbis assignat illi, tanquam propriam sedem Pontificatus ipsius & tabernaculum ad offerendum, cœlum: eam qué sedem à dextris magnitudinis appellat. sicut & *cap: 1. 3.* sedem maiestatis vocauerat, in qua à dextris Dei sedet, pari cum Patre honore, magnitudine, maiestate. Hanc autem sedem assignat ad munera Pontificalia exercenda. Pontifex enim in suo sanctuario & tabernaculo, cuius factus est Minister, ministrare debet, & Pontificalia sua munera exercere: ad hoc enim sanctuarium habet, vt in eo munera sua exerceat. Sicut & legalis Pontifex in secundo tabernaculo, in quo erant sancta sanctorum, suas oblationes faciebat semel in anno eò ingressus: alij vero Sacerdotes legales in priori tabernaculo sua sacrificia offerebant. vti Paulus *cap: sequenti* exponit. Cùm igitur Christus Pontifex factus sit cœlestis sanctuarij & tabernaculi Minister, necesse est, vt in cœlis munus suum Sacerdotale & Pontificale exerceat, quale est oblatio hostiarum: ad eas enim offerendas omnis Pontifex constituitur. Non potest igitur mens Pauli trahi ad oblationem præteritam, quam in terris fecit: sed de præsenti omnino intelligenda est, quam in cœlis modo constitutus, & tanquam cœlestis sanctuarij Minister λιθουργὸς facit.

(cui Sanctorum Minister idem quod sanctuarij) Malè verò habet Zaborouium,, quòd illa verba *Sanctorum Minister,* conuerterim *Sanctuarij Minister.* Optimo sanè iure id feci ad ambiguitatem virandam, quam vox *Sanctorum* secum fert: potest enim & ad homines sanctos, & ad res sanctas, & ad sancta Sanctorum hoc est locum sanctissimum seu sanctuarium referri. Paulus enim in tota hac epistola, cùm Sancta tribuit Christo, Sancta Sanctorum seu sanctuarium cœleste in quod ingressus est Christus intelligit, vt patet *cap. 9. 12. per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta. & v. 24. Non in manufacta Sancta IESVS introiuit exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum.* Alludit enim ad Pontificem legalem, qui semel in anno intrabat in sancta Sanctorum figuram gerens Christi, qui intraturus erat tanquam Pontifex in sancta Sanctorum cœlestia, seu in sanctuarium cœleste. Merito igitur ex mente Pauli vsus sum voce sanctuarij, vt

arij, vt vox Sanctorum in proprio suo sensu acciperetur: cùm de ijs Sanctis intelligenda sit in quæ ingressus est Christus: ingressus est autem cœlum: de sanctuario igitur cœlesti intelligenda est. quod etiã ex adiunctis verbis colligitur. Dicitur enim *Minister Sanctorum & tabernaculi veri quod fixit Deus & non homo:* vt per sancta tabernaculum ipsum cœleste sanctissimum intelligatur.

Idem indicat ratio Pauli adiuncta; nempe Christum in cœlis debere habere quod offerat. *Si enim*, inquit, *esset super terram, nec esset Sacerdos; cùm essent qui offerrent secundùm legem munera.* hoc est. Si esset Sacerdos super terram & terreni tabernaculi Minister, non esset necesse vt esset Sacerdos: nam Sacerdotes super terram terrena tantùm munera offerunt, quæ sunt figuræ & exemplaria cœlestium: ad talia autem munera sufficiebãt Sacerdotes legales, qui secundùm legem offerebant munera: Neque propterea opus erat exurgere nouum alium Sacerdotem secundùm alium ordinem nempe Melchisedechi non Aaronis offerentem. Necesse igitur est Christum in cœlis tanquam in propio sui Pontificatus loco & tabernaculo offerre. Sicut enim terrena munera requirunt Sacerdotem super terram & in tabernaculo terreno offerentem: ita cœlestia & diuina munera, qualia Christus offert ad sanctificandas & mundãdas animas à peccatis, cœlestem locum & tabernaculũ per se requirũt. Nã licet sacrificium incruentũ in terris instituerit, vt illius ministerium hominibus traderet; tamen in cœlis, tanquam in proprio sui Pontificatus & Sacerdotij loco, illud offerre in perpetuum debuit. Non tamen idcirco cœlum cum terra miscet, vt nugatur Zaborouius. Nam sicut, cùm dicimus Christum in cœlo & è cœlo gubernare Ecclesiam suam in terris, ita vt & is qui gubernat & gubernatio sit in cœlo, Ecclesia verò quæ gubernatur sit in terra; non miscemus cœlum & terram: ita neque miscemus, cùm dicimus Christum in cœlis constitutum è cœlo offerre seipsum sub speciebus panis & vini in terris existentem. Similiter quamuis in cruce seipsum obtulerit semel: tamen quia debebat esse Sacerdos in æternum in cœlis, debuit quoque in cœlis illud idem sacrificium semper offerre sub specie panis & vini ritu Melchisedechiano.

2. alioqui non esset Sacerdos.

Quocirca ex ratione Pauli omnino consequitur Christum ex eo quòd est Sacerdos in cœlis, & cœlestis sanctuarij Minister, debere habere omnino victimam, quam in cœlis & è cœlis offerat. Nam si tantùm offerret super terram, tanquam in proprio ad offerendum loco, & tanquam terreni tabernaculi Minister, nulla esset ipsius Sacerdotij & sacrificij necessitas. Neque enim negat Paulus Christum super terram obtulisse, tam in cruce quàm in cœna: sed loquitur de proprio Sacerdotij loco & proprio sanctuario, quod vult,

quia nulla sacrificij eius esset necessitas.

vult respectu Sacerdotij Christi, quod Melchisedechianum est, esse cœlum.

3. Denique idem indicat figura Pontificis legalis, quam toto *cap: 9.* vrget D. Paulus, & applicat Christo. Sicut igitur solus Pontifex semel in anno intrabat in sancta Sanctorum, seu in secundum tabernaculum, non sine sanguine, quem offerret pro sua & populi ignorantia: ita Christus Pontifex futurorum & cœlestium bonorum, semel intrauit in sancta Sanctorum in cœlum, vt ibi offerret suum sacrificium. Quemadmodum autem Pontifex legalis, priùs quàm intraret sancta Sanctorum, mactabat hostiam in ara holocaustorum, dein mactatam victimam secum in sanctuarium inferebat, illatamque offerebat: ita Christus ingressus cœleste sanctuarium, non aliam victimam offert, præter illam, quam per mactationem obtulit in cruce, absque noua mactatione, & incruentè.

Typus veteris legis id Paulo confirmat.

Iam quid Zaborouius ad hoc respondeat, audiamus. Christum, inquit, in cœlo non defunctum esse officio Sacerdotali. Nam licet prima officij sui parte, quæ est suiipsius oblatio, defunctus sit semel in cruce se offerendo: tamen alterâ nunc fungitur, deprecando pro nobis & apparendo vultui Dei pro nobis. Sed duplex hic lapsus est Zaborouij. Alter, quòd Paulus non quamcunque officij Sacerdotalis partem vrget, sed oblationem. Quia enim omnis Pontifex ad offerendas hostias constituitur; ideo & Christum Pontificem cœlestem vult in cœlo habere quod offerat. Nisi igitur oblatio propriè dicta, propter quam omnis Pontifex constituitur, Christo concedatur, non erit Christus secundùm argumentationem Pauli Pontifex cœlestis. Alter lapsus Zaborouij est, quòd deprecationem pro nobis partem officij Sacerdotalis constituit: cùm tamen ex se sit communis etiam ijs qui Sacerdotes non sunt. Nam deprecari offerendo sacrificium solis Sacerdotibus conuenit: at extra sacrificium est quid Sacerdotibus cum ijs qui Sacerdotes non sunt commune. Vnde si Christus in cœlo non in sacrificio sed extra sacrificium deprecatur pro nobis: sequitur eum in cœlo nullam propriam Sacerdotij partem implere, contra expressam Pauli mentem.

Hallucinatur Zaborouius.

1\.

2\.

Respondere alij solent: Christum offerre in cœlis suum sacrificium cruentum repræsentando, & vim ac efficaciam ipsius nobis applicando: eoquè modo adstare vultui Dei, & interpellare pro nobis. At hi non vident Paulum vrgere oblationem propriè dictam, propter quam omnis Pontifex constituitur. Si igitur hæc Christo denegetur, denegabitur ea oblatio quam Paulus vrget, & tribuit Christo. Repræsentatio verò oblationis cruentæ non est oblatio propriè dicta: sicut nec repræsentatio veri hominis est verus homo, sed imago duntaxat ipsius: & commemoratio solumque repræsentatio dici potest metaphoricè oblatio ad eum modum, quo preces nostræ dicun-

Paulus non loquitur de repræsentatione cruenti sacrificij à Christo in cœlo.

stræ dicuntur oblationes quædam spirituales. Similiter & interpellatio, cùm sit oblatio quædam precum, non potest dici oblatio, nisi improprie. Quãtus autem nuda repręsentatio oblationis non fit vera oblatio tamen ea repręsentatio quæ fit in oblatione incruenta, quia continet eandem realem victimam, quam etiam sacrificium crucis continebat, nihil obstat, quominus sit & repręsentatiua oblationis cruentæ, & simul vera oblatio. Repræsentat enim oblationem cruentam, quatenus sub speciebus diuersis panis & vini diuisionem illam Corporis ac Sanguinis Domini, quæ fuit in cruce facta, designat. propter quam causam præcepit Christus hoc sacrificium fieri in suã commemorationem, & mortis suæ annuntiationem. Quia vero repræsentat, non imaginariè tantùm, sed re ipsa, eandem victimam quæ fuit in cruce exhibendo, ideo simul est oblatio victimæ sub specie panis & vini existentis, & repræsentatio victimæ oblatæ in cruce.

Nec est quod quis opponat Paulum docere Christum in cœlo consedisse, *vt appareat vultui Dei, & interpellet pro nobis.* Nam inter cæteros interpellandi modos est etiam vnus hic, vt interpellet in sacrificio seu sacrificiũ offerendo. Neque pertimescendum est, vt hoc sacrificio sacrificium crucis euertatur: cùm potiùs ad hoc institutum sit, vt illud repræsentet, & perpetuam eius memoriam fidelibus renouet: & præterea vt omnem virtutem ipsius ac fructum nobis applicet. vnde illud maximè amplificat & extollit. Neque Scripturæ, cùm affirmant nos vna oblatione esse sanctificatos, sacrificium incruentum excludunt. Id enim verum esset, si incruento sacrificio nouam aliam vim nos sanctificandi tribueremus, præter illam, quæ ex sacrificio cruento proficiscitur. At cùm id non asseramus, verissimum esse fatemur vnam oblationem esse, qua nos sanctificari oporteat. Nam & in sacrificio incruento virtute illius vnius sacrificij sanctificamur: cùm incruentum nihil aliud sit, quàm cruenti applicatio.

Interpellat Christus pro nobis in sacrificio nostro

quod cruenti renouatio est neq; excluditur oraculis.

CAPVT XVI.

Sacrificium secundùm ordinem Melchisedech à Christo institutũ & oblatum esse.

Si Christus est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, consequens esse docuimus, vt ritu Melchisedechi sacrificauerit, in pane scilicet & vino. Negat id sequi Zaborouius immeritò. Quid enim absurdius, quam Sacerdotem secũdùm ordinem Melchisedech non secundùm ordinem Melchisedech

Non esset secũdùm ordi-

nem Melchisedech Sacerdos Christus, nisi ritu eius offerret.

chisedech sacrificare? Etenim Sacerdotij essentia sacrificio continetur, ita vt idem sit Sacerdos, quod sacrificus & offerens. vti & à Paulo in ordine ad sacrificium definitur *Hebr: 5.1.* & *cap: 8. 3.* *Omnis*, inquit, *Pontifex ad munera & hostias offerendas constituitur.* Si igitur quis sit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, necesse est secundùm ordinem Melchisedech vt sacrificet: sicut & is qui secundùm ordinem Aaron dicitur Sacerdos, necesse est vt secundùm ordinem Aaron, hoc est Aaronico ritu sacrificet. Alioqui si secundùm alium ordinem sacrificet, secundùm alium quoque ordinem erit Sacerdos: nec dicetur absolutè secundùm ordinem Melchisedech Sacerdos. Nam ordo & ritus sacrificij ad ordinem Sacerdotij magis spectat (nempe tanquam actus proprius & essentialis ipsius) quàm vlla alia circumstantia & conditio personæ Sacerdotis. quocirca magis ab ordine & ritu sacrificij denominabitur huius vel illius ordinis Sacerdos, quàm ab alijs accidentarijs Sacerdotis conditionibus. Si igitur Christus non secundùm ordinem Melchisedechi sacrificauit, absolutè non esset secũdùm ordinem Melchisedechi, Sacerdos: quia in eo quod est quasi essentiale Sacerdotio ordinis Melchisedechiani, hoc est in sacrificio, non esset secundùm ordinem Melchisedech sed alterius ordinis Sacerdos, nempe cuius ritum & ordinem in sacrificio sequeretur.

Sacrificium Christi cruẽtum secundùm nullius Sacerdotij ritum.

At ne quis mihi opponat sacrificium Christi cruentum non fuisse secũdùm ordinem Melchisedech: cùm Melchisedech seipsum cruentè nunquã obtulerit: respondeo sacrificium Christi in cruce non fuisse secundùm vllius certi Sacerdotij, quod ante præcesserit, ordinem: sed extra omnem Sacerdotij ordinem à Deo in lege scripta aut naturæ institutum. In nulla enim lege quisquam seipsum cruentè sacrificauit Deo: nec vllus talis sacrificij ordo præcessit, vt typus esset quoad hoc sacrificij Christi: sed fuit ille ordo & modus sacrificij omnino singularis, soli Christo proprius. Quocirca vt Christus dici possit secundùm ordinem Melchisedech Sacerdos, aliud sacrificium, seu alter ordo & ritus sacrificij assignandus est. Alioqui, si nunquam secundùm ordinem Melchisedech sacrificauit, nunquam fuit reipsa Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech: si verò secundùm alium ordinem & ritum sacrificauit, alterius quoq; ordinis dicetur Sacerdos, non ordinis Melchisedechiani. Nam quemadmodum nequaquam dicetur secundùm ordinem Aaron Sacerdos, qui ritu Aaronico & secundùm ordinem Aaron non sacrificat: ita & de Sacerdote Melchisedechiano sentiendum est.

Insulsè igitur ait Zaborouius, non esse absurdum, Sacerdotem secũdùm ordinem Melchisedech ritu Melchisedechiano non sacrificare. quia qui ritus fuerit sacrificandi Melchisedecho ex Scripturis, inquit doccre non

potes

potes. Nam si hæc ratio quid valeret, concluderet Melchisedech Sacerdotem fuisse sine vllo sacrificio, vel sine vllo ritu & ordine sacrificij: quia talis ritus secundùm Zaborouium ex Scripturis ostendi non potest. Quid autem absurdius est, quàm Sacerdotem sine sacrificio, aut sacrificium sine vllo ritu dici? cùm Paulus Sacerdotem respectu sacrificij definiat: & non minùs a sacrificio dicatur Sacerdos, quàm homo ab hominis essentia, album ab albedine. Deinde cùm Scriptura doceat Christum Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech fuisse; eo ipso docet sacrificium Melchisedecianum ritu Melchisedechi obtulisse: cùm Sacerdotium sine sacrificio, & sacrificiũ sine Sacerdotio esse non possit: quicunq; tandem fuerit ille ritus. Estq; hoc potentius argumentum ad sacrificium ex Sacerdotio inferendum, quàm illud Zaborouij ad sacrificij ritum negandum, quòd in Scriptura secundùm ipsum non habeatur expressè. nam nos in Scriptura ritum sacrificij Melchisedeciani expressum esse infrà probabimus. *Nisi sacrificaris ritu Melchisedechiano, sacerdos ritus eius non eris Christus*

Similiter & illa Zaborouij responsio insulsa est: cùm ait Christum dici à Paulo Sacerdotem secundùm ordinem Melcisedech: non ob similitudinem & typum sacrificij: sed ob similitudinem & typum personæ in quibusdam conditionibus, quas ad *Hebr: 7.* Paulus persequitur. quòd sicut Melchisedech fuit rex & Sacerdos, rex pacis, rex iustus, sine patre, sine matre, neque initium dierum neq; finem vitæ habens, & Abrahamo benedixit tãquam maior. ita & Christus. De genere verò sacrificij Melchisedeciani, ne gri quidem. Insulsam esse istam responsionem dico. tum quia Paulus non suscepit omnes similitudines inter Melchisedecum & Christum persequendas, vti disertè idipsum testatur in *capite 5. 11.* sed eas duntaxat persequitur, quæ ad ipsius institutum facere videbantur; quæque dignitatem Sacerdotis Melchisedeciani supra Aaronicum aduersus Iudæos maximè indicarent. tum quia sacrificium Melchisedecianum sufficienter asseruit, cùm Christum esse Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech docuit. neq; enim Sacerdos est sine sacrificio: & ex sacrificio Sacerdotium necessário concluditur. *Melcisedeco similis Christus ratione sacrificij a Paulo dicitur* 1. 2.

Quanquam & in capite 5. 11. cùm ait: *De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* In his, inquam, verbis quid aliud innuit, quàm ipsum sacrificium Melchisedecianum Corporis & Sanguinis Domini sub panis & vini speciebus? quod tanquam altissimum mysterium semper fuit difficile & inexplicabile, non solùm illis Capharnaitis, cùm *Ioan: 6.* dicerent; *Quomodo hic carnes suas potest nobis dare ad manducandum? Durus est hic sermo; & quis potest eum audire?* & propterea abierunt retro, & Christum reliquerunt: sed etiam in Ecclesia illa veteri primæui illi Christiani mysterium Euchari- *Paulus non præterijt sacrificium Corporis Christi sub specie panis.*

stiæ maximè occultabant; ita vt nec ad illud celebrandum Cathechumenos propter ipsorum infirmitatem admitterent, sed vbi ad Canonem ventum erat, eos exire iuberent. Multò minùs infidelibus illud explicabant. à quibus multas propterea calumnias patiebantur, vt de infanticidio, & quòd humanis carnibus vescerentur: ipsius què pro concione obscurā mentionem faciebant; *Norunt fideles quod manducant.* vti sæpe loquitur S. Augustin. Quod mysterium etiam nunc scandalizat Euangelicos, qui vnâ cum Capharnaitis & gentilibus illi obloquuntur. Quare non prorsus non meminit huius sacrificij Paulus. vti tum ex dictis constat: tum ex *cap: 8.* vbi assignat Christo in cœlis sacrificium quod perpetuò offerat tanquam Sacerdos in æternum: & in *cap: 13.* de altari Eucharistiæ loquens (vti mox euincemus) *Habemus*, inquit, *altare de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.*

& idcirco Sacerdotem illū æternum vocat.

Verùm non solùm ex Sacerdotio secundùm ordinem Melchisedech infertur necessariò sacrificium Melchisedecianum: sed etiam ex ipsa eius æternitate. Dicitur enim ab Apostolo Christus *Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech in æternum.* Si igitur est Sacerdos in æternum, in æternum habet quod offerat: cùm Sacerdos sit propter sacrificium, vti Paulus argumentatur *cap: 8. 3.* & æternus Sacerdos propter sacrificium in æternum offerendum. Non igitur solùm in cruce obtulit seipsum cruentè semel, sed etiam quotidie & in æternum offert seipsum incruentè. Alioqui cùm proprium Sacerdotij munus sit sacrificium, sequeretur, eum qui defunctus est sacrificio, Sacerdotio quoque defunctum esse: quia cessat à proprio Sacerdotij munere. Cùm ergo Paulus nolit Christum in cœlis defunctum esse Sacerdotio, sed in æternum eum esse Sacerdotem asserat; fit vt perpetuum illi quoque sacrificium assignet.

non autem alio nomine.

Neque verò alter modus inueniri potest, quo Christus dicatur Sacerdos in æternum, nisi propter perpetuam & in æternum duraturam oblationem. Cur enim dicetur Sacerdos in æternum? an ratione effectus? quia nimirum remissio peccatorum, qui est effectus cruenti sacrificij, semper & in æternum consequetur omnibus seculis consequentibus? Verùm id ad mentem Pauli non est satis, qui non solum effectum Sacerdotij Christi æternum agnoscit: sed etiam Christum ipsum Sacerdotem, quà Sacerdos est, seu ratione Sacerdotij viuere in æternum, & habere quod offerat, *cap: 8.* Atqui si proprio Sacerdotij munere fungi in æternum non posset: eo ipso quà Sacerdos & ratione Sacerdotij non maneret. Quicunque enim munere proprio Sacerdotij fungi non potest, eo ipso Sacerdotio defunctus censetur: cùm Sacerdos non sit nisi propter munus Sacerdotale exercendum.

Nam si

Nam si dicat Zaborouius præter oblationem esse alia quoque Sacerdotij Christi munera: nempe pro nobis intercedere, deprecari, causam nostram agere, adstare vultui Dei pro nobis. respondeo hæc omnia si in sacrificio fiant, Sacerdotalis esse functionis: si extra sacrificium, communia Sacerdotibus & ijs qui Sacerdotes non sunt. quod vel ex eo patet. quod Sacerdotales functiones nonnisi Sacerdotibus exequi licet. At intercedere, deprecari, & similia, sunt alijs etiam qui Sacerdotes non sunt licita. Non igitur propriè sunt Sacerdotũ functiones. Quocirca si Christus in cœlis non habeat alias functiones, nisi intercedendi & deprecandi, Sacerdos esse inde non probatur. Aduocati enim sunt magis ista quàm Sacerdotis: nisi in sacrificio ad eum finem instituto adhibeantur. Sed esto sint istæ Sacerdotis functiones. tamen si Christus præcipua quasi essentiali sua functione careret; maiori ratione diceretur defunctus Sacerdotio; quàm illud exercere: cùm à principali sumi debeat denominatio. Quanquam cùm Paulus clarissimè dicat Christum in cœlis ita esse Sacerdotem, vt habeat ibi quod offerat: quis reliquus est dubitandi locus? Accedit, quod nõ est necesse vt effectus maneat manere causam: potest enim effectus permanere etiam non permanente causa. sic doctrina Apostolorum manet manebitque semper in mundo, etiamsi Apostoli ipsi non maneant, neque Deus dicitur semper creator etiamsi effectus creationis maneat semper. Non igitur ex eo solùm, quod effectus sacrificij Christi manet semper, sequitur Christum manere Sacerdotem in æternum, verè & propriè loquendo, nisi etiam maneat Christi oblatio. An vero Christus dicitur Sacerdos in æternum ideo, quia perpetuò suam passionem pro nobis Deo offert? At hæc oblatio, cùm fiat per simplicem repræsentationem, non per sacrificium verum & reale: neque actus veri & propriè dicti sacrificij est neque Sacerdotem necessariò requirit, cùm à non Sacerdoribus fieri possit. Non igitur huius oblationis respectu dici potest Christus Sacerdos in æternum.

Sacerdos non est, qui non sacrificat.

Christus Sacerdos Melchisedechianus, nõ quia suos cruciatus semper offert Patri.

An quia perpetuò pro nobis suas preces offert? At oblatio precum non est propriè dictum sacrificium, sed metaphoricum & spirituale. neque ad eas offerendas Sacerdos constituitur, sed propter externas tantùm & reales hostias. Ex quibus concludo. nullam posse assignari rationem, propter quam Christus dicatur verè Sacerdos in æternum, nisi verè & realiter quotidie offerat. quod vti de cruento sacrificio dici nequit, ita de incruento intelligi necesse est.

neque quia pro nobis precatur.

Deniq; ad hoc, vel Christus sit Sacerdos secũdùm ordinem Melchisedech, non satis est vt sit similis Melchisedecho in certis personæ conditionibus: hæc enim Sacerdotis essentiam non constituunt, & extra Sacerdotis essentiam inueniri

neq; propter similitudinẽ aliam, quàm in sacrificio.

inueniri possunt: verùm necesse est, vt in ipsa Sacerdotij essentia, quæ sacrificium respicit, sit illi similis. Vetus enim pronuntiatum est; Accidentia non constituere rei essentiam. Neque si quis in accidentibus quàm plurimis sit homini similis, non autem in essentia, dicetur verè & essentialiter homo. Quare cùm conditiones illæ personæ Melchisedechi sint accidentariæ Sacerdotio, non potest respectu illarum Christus dici verè Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, nisi sacrificium Melchisedecianum accedat, cuius solius respectu Melchisedech erat sacerdos. Nam si Melchisedech ipse ratione illarum solummodo conditionum abstrahendo à sacrificio non erat Sacerdos; quomodo Christus propter earum tantùm similitudinem Sacerdos dici potest?

alioqui similis & Aaroni

Adhæc Christus similis erat non solùm personæ Melchisedechi in certis conditionibus, sed etiam Aaronis & Pontificis legalis: hanc enim similitudinem persequitur ex professo Paulus toto *cap: 9 ad Hebr.* Si igitur similitudo in persona sufficit ad hoc, vt Christus dicatur Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech: nulla erit ratio quominus etiam dici possit Sacerdos secundùm Aaron. quod tamen tota animi contentione negat Paulus. His igitur inuictis sanè ex Scriptura argumentis conuincitur Christum Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech dici non posse; nisi sacrificium ritu & ordine Melchisedechi offerat: cùm omnes aliæ rationes sint accidentariæ Sacerdotio, hæc autem sola ad essentiam Sacerdotij Melchisedechiani pertineat.

Melchisedechi sacrificiũ in pane & vino.

1. Iam hic vrget Zaborouius: ex Scripturis probari non posse, quis ritus sacrificandi Melchisedeco fuerit. Nam ex illis *Geneseos 14. 18.* verbis: *Proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei.* ait solùm colligi Melchisedecum Abrahamo protulisse panem & vinum ad refectionem ipsius, non autem Deo obtulisse. At errorem Zaborouij conuincit, non solùm Rabbinorum, sed vniuersorum planè Patrum, & totius Ecclesiæ primitiuæ ab Apostolis eruditæ auctoritas; ita vt nullum reperias, qui ex hoc loco non intellexerit Melchisedecum, tanquam Sacerdotem Dei altissimi, panem priùs oblatũ Deo, & oblatione sanctificatũ protulisse, & sic Abrahamo benedixisse: vt quemadmodũ participãdo panem esset particeps sacrificij, ita & benedictionis: qui enim edunt de sacrificio sacrificij fiunt participes.

2. Colligunt autem id & ex particula *Enim*, qua redditur ratio eius quod antecessit, non eius quod sequitur. vnde etiam in Hebræo post illa verba. *Erat enim Sacerdos Dei altissimi*, est punctum finem periodi significans.

3. Colligunt & ex reipsa: neque enim panibus profanis eguit Abrahamus vt reficeretur: siquidem prædis abundè onustus redibat: vnde etiam præda sua

Melchi-

Melchiſedecum locupletauit, & decimas ei obtulit. Sed cùm Melchiſedech Sacerdos eſſet; quemadmodum benedictionem illi ſpiritualem impertijt, ita & panes priùs ſanctificatos & Deo oblatos, ad maiorem à Deo benedictionem obtinendam, protulit Abrahamo manducandos.

Accedit, quod benedicere non ſit proprium Sacerdotis: cùm & Reges & alij qui Sacerdotes non fuerunt benedixiſſe legantur populo: dummodo maiores & ſuperiores eſſent. vnde & Paulus *ad Hebr: 7.* dicit Minorem à maiore benedici, ſiue ſit Sacerdos ſiue non. Non igitur rectè coniungitur illud; *Erat enim Sacerdos* cum *benedixit:* cùm illud non ſit ratio iſtius.

Cùm igitur ea ſit tam veterum Rabbinorum traditio, quàm omnium Sanctorum Patrum ab Apoſtolis accepta, & ſemper in Eccleſia credita: quæ tanta temeritas eſt Euangelicorum, vt venerandæ antiquitati in re tam euidenti ſe opponant? cùm ipſi nullum pro ſe ex tota antiquitate Patrem adducere poſſint. Nam quos adduxit Zaborouius vt probaret legendum eſſe hoc loco de Melchiſedecho: *Proferens,* non offerens: fruſtra laborem ſuſcipit. Quia neque vulgata noſtra legit offerens, ſed *Proferens:* neque nos aliter legendum dicimus: neque verbum Offerens vrgemus: ſed panem antè Deo oblatum, priuſquam proferretur Abrahamo, probamus.

Longiſſimum Catalogum SS. Patrum texit Bellarmi. *lib: 1. de Miſſa cap: 6.* qui Melchiſedecum non ſolùm panem & vinum obtuliſſe affirmant, ſed etiã in hac oblationis Euchariſtiæ typũ fuiſſe: & Chriſtum ideo dictum Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, quòd ſecundùm ordinem & ritum ſacrificij Melchiſedeciani panem & vinum in Euchariſtia obtulerit offerendo Corpus & Sanguinem ſuum. quin etiam propter idem Euchariſtiæ ſacrificium, dictum eſſe Sacerdotem in æternum. Id quod etiam Hieronymus ex multis antiquiſſimis Patribus probat *in epiſtola ad Euagrium* de Melchiſedech; nempe ex Irenæo, Hippolyto, Euſebio tam Cæſarienſi quam Emiſſeno, Apollinario, & Euſtathio. *auctores grauiſſimi pro noſtra expoſitione.*

Et ſanè, quamuis expoſitio Euangelicorum verbis Geneſeos aptari poſſet (quod non concedimus) quia tamen nullum talis expoſitionis habet auctorem, ſed temere contra omnem veterum ſenſum & traditionem illam affingunt: nulla ratione à temeritatis nota immunes eſſe debent; quòd ſua phantaſmata nullis nixa fundamentis contra omnium ſententiam ſequantur. Veteres autem illos in primæua Eccleſia nonniſi ab Apoſtolis eam ſententiam accepiſſe, certum & indubitatum eſt illis ipſis teſtibus: vt ex 13. & 14. *capite,* ſatis patet. *pro Zaborouiana nulli.*

Iam quod dixeramus ſacrificium cruentum non eſſe nouæ legis proprium, ſed commune omnium temporum & hominum: tum quia non tantùm no-

tum nouæ legis hominibus seruiuit, sed omnibus prorsus cuiusuis legis hominibus. nam & pro omnibus à Christo oblatum est: & omnes per fidem in Christum ipsius fiebant participes: tum quia non ab hominibus nouę legis oblatum est, sed à solo Christo. qui nulli legi erat obnoxius, sed supra omnem legem erat, & omnium cuiusuis legis hominum Dominus; necesse verò est cuiusuis legis sacrificium ab hominibus illius legis offerri, cùm propter illius legis homines sit institutum: id, inquam, refellit Zaborouius dicens ratione temporis & effectus dici posse noui Testamenti proprium: quia & tempore noui Testamenti oblatum est, & Sanguine huius sacrificij nouum Testamentum obsignatũ est. Verùm id supra iam refutatũ est. Nó enim, quicquid noui Testamenti tempore fit, illico propriũ dici debet noui Testamenti. Si enim fiat id, quod est nouæ & veteri legi commune, aut non ex præscriptio legis, sed ex alijs liberis causis; aut ab eo qui nulli legi est subiectus; non potest dici id nouę legis proprium. Tale vero est sacrificium crucis: quod pro hominibus tam noui quàm veteris Testamenti oblatum est; id qué non ex præscripto legis, sed extra legem, ex libera Christi voluntate & Patris mandato; est qué oblatum à Christo, qui nulli legi erat subiectus, sed omnis legis Dominus.

Frustra nouo Testamento cruentum sacrificium Christi vindicat Zaborouius.

1.

2. Et quamuis Sanguine Christi nouum Testamentum obsignatum sit, qui est quidam huius sacrificij effectus. non tamen idcirco hoc sacrificium noui Testamenti proprium dici debet: cùm etiam ad vetus Testamentum effectus & fructus ipsius pertineat. Imò si de effectu loquamur: potiùs dici debet commune vtriq; Testamento quàm proprium vnius. quia in vtrũque Testamentum fructus huius sacrificij dimanat. Verum enim est, quod ait Petrus *Act: 15. 11. Credimus per gratiam Domini nostri* IESV *Christi nos saluari, quemadmodum & illi.*

commune enim est nouo & veteri.

3. Si verò de ritu & essentia sacrificij agamus, vti in hac quæstione agendum est: sic nullo modo dici potest noui Testamenti proprium. tum quia ipsorum quidem sententia priùs oblatum est in cruce, quàm nouum Testamentum conditum & obsignatũ esset: post fusum enim in cruce Sanguinem obsignatum volunt: tum quia non ritu in lege noua præscripto, nec ab eo qui legi alicui subiectus esset, oblatum est: quod requiritur vt legis alicuius proprium sacrificium dicatur: sic enim & veteris legis sacrificia dicebantur illius legis propria. Deniq; potiùs dicendum esset nouum Testamentum ex hoc sacrificio processisse, quàm ex Testamento sacrificium.

ritus illius nouo non est proprius.

1.

2.

3.

Cùm vero opponit Zaborouius pari ratione consequi sacrificium quoque Melchisedecianum non esse nouæ legis proprium: quia cùm sit oblatum à Christo tam pro viuis Apostolis, quàm pro mortuis Patriarchis, eius fructus ad

ctus ad homines vtriusq; Testamenti pertinebat: fallitur omnino. Sacrificium enim in vltima cœna, ritu & ordine legis nouæ proprio in typo Melchisedech præsignificato oblatũ est:& Apostolis traditum, vt illud in lege noua tãquam propriũ offerrent. quod de sacrificio crucis dici non potest. Quod verò ad fructum & effectum eius spectat: is nonnisi ad fideles Christianos, qui sunt sub nouo Testamento, pertinet. pro quibus solis institutum est: sicut & alia legis nouæ Sacramenta nihil prodesse possunt, nisi solis Christianis. idquè disertè docet Paulus *ad Hebr: 13. 10.* cum ait: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.* & in Canone Missæ dicitur; *Offerimus hoc sacrificium pro omnibus fidelibus Christianis viuis atq; defunctis.* Nihil igitur concludit Zaborouij argumentum. *Melchisedechiani ritus sacrificium Christi non potest esse cõmune vtrique Testamẽto.*

Similiter cùm ostendit hoc nostrum sacrificium sub specie panis & vini non magis dici posse Melchisedechianum quàm Aaronicum. quia non solùm Melchisedech, sed etiam Aaronici Sacerdotes obtulerunt panem & vinum. *Numer. 28. 5. Exod. 29 3.* respondeo; Sacerdotes Aaronicos nec puros panes obtulisse, sed oleo conspersos: nec principaliter & per se, sed in ordine ad alia sacrificia, veluti condimenta quædam. vt ex locis citatis patet. Nam in oblatione Agni adijcebatur simila conspersa oleo, & vinum, quo victimæ perfundebantur. Melchisedech verò principaliter & per se panem & vinum obtulit. Deinde Aaronici Sacerdotes non erant adstricti ad oblationem panis & vini, sed alia quoque sacrificia indifferenter offerebant tam cruenta quàm incruenta. Melchisedech verò solùm hoc tanquam proprium habuit sacrificium: nullum enim aliud ipsius sacrificium Scriptura commemorat. Quo genere argumenti Paulus ad æternitatem Christi probandam vsus est: quòd Scriptura Melchisedeci nec initium dierum, nec finem commemorat, quasi homo quidam æternus esset, ad typum Christi, qui verè æternus est, exprimendum. Meritò igitur & Christus Sacerdos solùm Melchisedecianus dici debet, & ipsius sacrificium Eucharisticum Melchisedecianum. *Aaronici Sacerdotes alia ratione panẽ obtulerunt.* 1. 2. 3.

Illud verò nugatorium prorsus est, quod adijcit; Si mors Christi pro omnibus omnium ætatum hominibus sacrificium fuit, erroneè igitur, inquit, asseritis Patres in limbo ad Resurrectionem Christi detentos fuisse: saluati enim erant vi mortis Christi credentes futuram, quam nos credimus factã. quid enim? an non detineri illos aliquo loco oportuit, cùm ante Christum in cœlis esse non possent? Vt enim rectè Paulus ait *ad Hebr: 9.* Nondum fuit *propalata via Sanctorum, priore tabernaculo habente statum:* hoc est, quamdiu Testamentum vetus significatum per tabernaculum prius habebat statum, non patebat via in Sancta sanctorum, hoc est, in cœlum. at postquam *Nemo ante Christum in cœlos adijt.*

quam Christus aduentu suo perrupit velum tabernaculi, propalata est via Sanctorum ad sanctuarium cœleste. Vnde & *Numer: 35.* Deus mandat post mortem Sacerdotis Magni omnes exules redire in patriam. scilicet, nonnisi post mortem Pontificis Magni Christi nos, qui exules sumus, ad patriam nostram, quæ est Paradisus, reuerti debuimus. Ac proinde mors Christi erat Patribus veteris Testamenti expectanda certo ad id à Deo destinato loco, cùm cœlum intrare ante Christum non possent.

Sancti porrò erant in limbo, cuius nomina varia.

Hic porrò locus & in Euangelio dicitur sinus Abrahæ, in quem Lazarus ab Angelis deportatus fuit: & à D. Petro *in epist: 1. cap: 3. 19.* carcer, in quo spiritibus ibi detentis Christus veniens prædicauit: & à Luca infernus *Act: 2. 31.* necnon à Dauide *Psal: 15. Non derelinques animam meam in inferno: nec sanctum tuum dabis videre corruptionem.* A Patribus communiter dicitur limbus. Non dicitur autem carcer aut infernus propter aliquam pœnam & cruciatum, quem detentis inferret: sed propter detentionem vsque ad definitum à Deo tempus. Huc facit locus *ad Hebræos 11.* vbi de veteribus illis Patribus dicitur: *Hi omnes testimonio Fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt non sine nobis consummarētur.* Non igitur perfectam gloriam & beatitudinem sine nobis, qui sub Testamento nouo sumus, consecuti sunt: verùm expectare in aliquo loco ad id à Deo constituto suam beatitudinem ad Christi aduentum debuerunt: qui *ascendens in altum duxit secum captiuam captiuitatem* in cœlum. *Ephes: 4. 8.* Atque ita veteres illi Patres non sic salui facti sunt per Fidem in Christum venturum, & futuram eius mortem, vt statim in cœlos ascenderent, & gloriam ac beatitudinem illico consequentur: siquidem Scripturæ contrarium prorsus docent: sed quòd salutem illam æternam suo tempore per Christum, in quem venturum crediderunt, essent consecuturi.

Luter, Caluinus, iniquiore carcere iustos teneri volunt.

Quanquam non est, quod Zaborouius queratur de limbo nostro, in quo dicimus Patres ad aduentum Christi detentos fuisse. maiori enim ratione de suo Caluino & Lutero queri potest, qui longè grauiorem & diuturniorem limbum introduxerunt. in quo, non ad primum Christi aduentum, sed ad diem vsque iudicij spiritus iustorum detineri volunt; vt ante mundi finem cœlestem gloriam consequuturi non sint. Ita Caluin: *3. Instit: cap: 25. &* *26.* Luterus *in prælectione in Genesim*

CAP.

CAPVT XVII.

Christum in vltima cœna verum sacrificium obtulisse, & Apostolis offerendum tradidisse.

AIunt Euangelici in Scripturis non haberi Christum in vltima cœna sacrificium aliquod obtulisse. Nos contra docemus: illud quod in vltima cœna Christus fecit, cùm verbo suo & benedictione panem fecit esse Corpus suum, & vinum Sanguinem, verissimum sacrificium fuisse. Quid enim huic Christi actioni deest, quominus vera oblatio & sacrificium dici possit ac debeat? Nam & Corpus Christi ex se est vera victima, & Deo longè gratissima, non minùs in cruce quàm in Sacramento: & sicut in cruce in forma rei viuentis per actionem mactatiuam Deo est oblata: ita in vltima cœna in forma panis per eam actionem, qua panes offerri & sacrificari Deo solent, est oblata. Etenim non vnus & idem modus est offerendi & sacrificandi, sed pro rerum diuersitate diuersus. Nam cùm in sacrificio res offeratur Deo in honorem ipsius consumenda, ea consumptio alia est in rebus viuentibus, alia in rebus inanimatis: siquidem viuentia consumuntur per mactationem, qua vitam amittunt, & esse viuentia desinunt: res verò inanimæ, vt panes, non mactari in sacrificio debent, sed ad consumptionem sibi conuenientem offerri: panis verò consumptio est, vel manducatio, vel alia similis eius confectio. Cùm igitur Christus in vltima cœna Corpus suũ in forma panis ad honorem & cultum Dei obtulerit ea actione qua panes Deo offeruntur in honorem ipsius consumendi; sequitur, verè & realiter Corpus suum in forma & specie panis obtulisse.

Actio Christi in cœna extrema erat sacrificantis.

Cur enim Corpus Christi in cruce potuit esse victima, & non in Sacramento? cùm idem vtrobique sit Corpus, & Deo vtrobiq; gratissimum, & vtrobiq; modo sibi cõuenienti offeratur? in cruce quidem per modum rei viuentis mactatione: in Sacramento per modum panis oblatione ad consumptionem pani conuenientem. Sicut enim panes in veteri Testamento tunc sacrificabantur, cùm donabantur Deo ad hoc, vt in ipsius honorem consumerentur: ita & Christus in vltima cœna Corpus suum in forma & specie panis verissimè sacrificauit; quia ita illud in Dei honorem impendit, vt ab omnibus in honorem ipsius manducaretur.

vt & in cruce.

Neque verò necesse est, vt Corpus Christi manducando consumatur

Corpus Christi in se non debet consumi in nostro sacrificio.

secundum seipsum & suam substantiam, vti blasphemè cogitant cum Capharnaitis Euangelici: sed sicut in forma & specie panis offertur, ita in forma & specie panis consumitur, ipsum in substantia immortale & incorruptibile manens. Si enim nihil aliud esset nisi panis, consumeretur ad consumptionem panis, vti in panibus communibus & ad corpus nutriendum ordinatis accidit. At cùm sub forma & specie panis sit alia quædam substantia, nempe diuinum & immortale Christi Corpus: non est necesse quo ad substantiam suam consumi & interire, sed sub ratione panis duntaxat, quæ est consumptio Sacramentalis.

Eucharistiæ diuinæ sacrificium in honorem Dei institutum.

Porro negare aduersarij non possunt Christum in cœna, cùm Corpus sub forma & specie panis constituit ad manducandum, in honorem & cultum Dei illud impendisse. Hoc enim indicant illæ gratiarum actiones & preces, quas in constituendo hoc diuinissimo mysterio legitur præmisisse. Indicat & ratio. neque enim summum illum honorem & cultum, qui ex
1. Corpore ipsius sub specie & forma panis oblato deriuari in Deum potest
2. (sacrificium enim, summus Dei honor est) aut inuidere aut impedire vo-
3. luit. Si enim panibus communibus in lege veteri oblatis honorabatur Deus: quantò magis pane hoc diuinissimo ad consumptionem & manducationem in Dei honorem & cultũ Dei oblato honorari Deum existimare debemus? Quocirca non est dubium, quin Christus & ad Dei honorem Corpus suum sub specie panis constituerit; & ad consumptionem Sacramentalem, hoc est, vt sacramentaliter a manducantibus cõsumeretur in eiusdem Dei honorem ordinauerit; ita vt nihil ad sacrificandum requisitum vllo modo huic sacrificio defuisse censendum sit.

Cùm igitur Christus in vltima cœna eam rem fecerit, quæ sacrificium omni iure dici potest & debet, cùm ei ad rationem sacrificij nihil desit: cõsequens est Christum in cœna verum sacrificium obtulisse, & Apostolis deinceps offerendum tradidisse. Nam quamuis vox oblationis & sacrificij nõ legatur hic expressa: legitur tamen res ipsa, quæ verissimum est sacrificium. Qui enim rem suam in honorem Dei ita impendit, vt ad Dei honorem cõsumatur, is verissimum illius rei sacrificium Deo offert; etiamsi voce oblationis & sacrificij non vtatur: non enim voces sacrificium faciunt, sed res. Hoc autem fecit Christus, cùm Corpus suum & Sanguinem eo fine sub specie panis & vini verbo suo consecrauit, vt ad Dei honorem a fidelibus manducaretur, & sacramentaliter consumeretur. Verissimum igitur Corporis & Sanguinis sui sacrificium fecit.

id res ipsa loquitur descripta.

Porro quia dicere aduersarij solent, Christum non sacrificium sed Sacramentum instituisse: respondendum est vtrumq; simul instituisse, cùm nihil de-

hil defuerit, quod ad vtriusq; propriam rationem pertineret. Nam quatenus signa constituit continentia & indicantia Corpus suum & sanguinem per modum cibi & potus Sacramentum instituit: quatenus verò Corpus suũ & Sanguinem in forma panis ad Dei honorem impendit, vt à fidelibus mãducaretur, & sacramentaliter consumeretur, ea ratione in sacrificium Corpus suum obtulit Deo. ita vt & Deo sit sacrificiũ, & hominibus Sacramentũ.

Esse Sacramentum pote idem & sacrificium.

Ad manducandum, inquiunt, non ad offerendum reliquit nobis Corpus suum. Imò quia ad manducandum, etiam ad offerendum reliquit. Non potest enim à nobis manducari Corpus Christi, nisi prius sacramentaliter conficiatur, & consecretur Christi ipsius verbis & potestate. quæ consecratio cùm in Dei honorem fiat, & ordinetur ad consumptionem, in quo ratio propria sacrificij posita est, eo ipso Deo in sacrificiũ offertur. Quod enim in honorem Dei fit, Deo fit & offertur: quod autem ita Deo offertur, vt ad cõsumptionem offeratur, verè in sacrificiũ offertur. Ita igitur Christus reliquit nobis Corpus suum manducandum, tanquam rem prius Deo oblatam. Nam & in lege veteri solenne erat ex rebus Deo in sacrificium oblatis edere. id quę innuit Paulus *ad Hebr: 13.* cùm ait; *Habemus altare, de quo edere nõ habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.*

Nisi sacrificetur Christi corpore, manducari illud nequit.

In memoriam annuntiationis mortis Domini (inquiunt) hoc Sacramentum institutum esse. Rectè quidem. Nam & hoc sacrificium, cùm sit ad viuum repræsentatiuum mortis Christi, in memoriam, annuntiationem, commemorationem mortis Christi fieri verissimè dicitur. Quid enim mortem Domini ita repræsentat, quàm cùm ex vi consecrationis constituitur hinc Corpus, inde Sanguis Domini? quæ est ipsissima mortis Christi imago, diuisionem Corporis & Sanguinis, in qua mors eius consistit, repræsentans. In qua etiam incruenta & mystica separatione Corporis & Sanguinis, qualis fit ex vi verborum, multi graues Theologi constituunt essentiam huius sacrificij: sed de hoc alibi.

nec r præsentare mortem Christi.

Vnum non omittam; Zaborouium more suo hoc quoque loco falsò & fraudulenter citasse & variasse verba Eusebij *1. Demonstr: Euangel: cap: 10.* Nam quod Eusebius ait: *Christum sacrificij sui in cruce peracti memoriam, vt nos ipsi Deo pro sacrificio offerremus, instituisse:* id Zaborouius ita inuertit: *Christus*, inquit, *nobis pro sacrificio memoriam reliquit, quam perpetuò Deo offerremus.* mutans & torquens Eusebij verba ad suum sensum: quasi non sacrificium aliquod verum, sed solam memoriam offerendam Christus reliquerit. Cuius tamen contrarium ibidem Eusebius clarissimè docet, & ex Scripturis demonstrat: nempe Christum nobis sacrificium verum in altari offerendum reliquisse, quo passionis ipsius memoria continetur. ita vt illa verba

F.
Eusebius à Zaborouio malè citatus contra ipsum est.

verba *pro sacrificio*, non habeant sensum exclusiuum, sed assertiuum, sacrificij nobis à Christo relicti.

Verba Christi sacrificij rationem adstruunt.

Verùm sacrificium Christi in cœna vrgemus etiam ipsius Christi verbis. qui non solùm dabat Corpus suum Apostolis ad manducandum, sed etiam pro illis: *Hoc est* (inquit) *Corpus meum, quod pro vobis datur. Luc. 22. 19. quod pro vobis frangitur. 1. Corinth. 11. 24.* Cui enim dabat pro illis, nisi Deo? Dicit autem in præsenti *Datur*: vt intelligeremus tunc oblatum fuisse Deo Corpus Christi pro nobis. Et ne dubitaremus in specie panis pro nobis datum, vsus est Paulus verbo *Frangitur*: quod cùm panem respiciat, qui tum dicitur frangi quum datur, manifestè indicat in specie panis Corpus Christi datum & oblatum esse.

Respondet Zaborouius, esse Enallagen temporum, præsens sumi pro futuro: quia de re iam iam futura Christus loquebatur. sicut *Ioan: 10. 15. Ego pono animam meam pro ouibus meis.* At licèt præsens accipiatur aliquando pro futuro, non tamen temere & sine necessitate à propria ad figuratam acceptionem recurri debet: hoc autem loco nulla talis acceptionis assignatur necessitas.

Tropi nulla hîc necessitas

1. Nam etsi futurum erat breui, vt Christi Corpus in cruce pro nobis daretur: tamen etiam de præsenti datione Christi verba accipi non repugnat. ita vt vtroque modo Corpus suum pro nobis dederit Christus, & sub specie panis in Eucharistia, & sub propria specie in cruce. Cùm igitur non repugnet in præsenti accipi Christi verba, non est recurrendum ad figuras.

2. Deinde verbum *Frangitur* omnino vrget, vt sub panis specie intelligamus datum pro nobis Christi Corpus. Cùm igitur sub specie panis non fuerit in cruce datum, sequitur non de fractione in cruce, sed de fractione in Eucharistia, intelligenda esse Christi verba. Nam de Christo in cruce nusquam Scriptura vtitur hoc modo loquendi, vt dicat Corpus ipsius fractum in cruce. imò contrario loquendi modo vtitur, quo dicit, Corpus Christi in cruce frãgi non debuisse, iuxta Prophetiam; *Os non cõminuetis ex eo. Ioan: 19. 33.*

3. Adhæc cùm Corpus absolutè dicitur frangi, nulla alia re addita, quæ impropriam & figuratam acceptionem ostendat, non potest intelligi nisi de vera quæ Corpori conuenit fractione: hoc enim omnes per fractionem Corporis & dicentes & audientes intelligunt. Si ergo Paulus absolutè diceret Corpus Christi frangi, nullo addito signo impropriæ locutionis, non posset intelligi, nisi de fractione propria in cruce, non de metaphorica dolorum, aut lacerationis membrorum. Porrò si de fractione corporis, non vt corpus est, sed vt sub specie panis continetur, verba Pauli intelligantur, vti reuera debent intelligi (loquitur enim de corpore prout est panis nobis ad manducandum propositus) eadem erit fractio Corporis quæ panis: cùm ob similitudinem pa-

nem panis corpori coueniat. Quemadmodũ ergo panis dicitur frangi cùm datur, iuxta illud; *Frange esurienti panem tuum*. hoc est, da: non enim de diuisione panis est præceptum, sed de largitione: neque peccabit contra præceptum, si absq; diuisione det panem integrum; imò magis præceptum implebit: ita & Corpus Christi, quatenus formam panis gerit, dicitur per modum panis frangi, cùm datur. Quanquam etiamsi fractionem pro diuisione accipias: vtroq; modo Corpus Christi dici potest per modum panis frangi, non in seipso, sed sub ratione panis, cùm in specie panis diuiditur & cōsumitur ad Dei honorem: in quo etiam rationem sacrificij nonnulli ponunt. Cùm igitur Corpus Christi non possit in verbis Pauli dici *frangi*, nisi sub ratione panis; siue *frangi* significet dari siue diuidi: hinc fit, vt ea fractio pro nobis necessario accipi debeat non de traditione pro nobis in cruce (ea enim non fuit in forma panis) sed de traditione in Eucharistia. ex quo consequitur Corpus Christi in Eucharistia pro nobis esse traditum Deo. 4.

Similiter ex verbis Pauli, quibus Christus Sanguinem consecrauit, triplex argumentũ duci potest pro Sacrificio. Primum. quia semper in præsenti Dominus locutus est; *Qui pro vobis effunditur. Matth.26. Mar.14. Luc.22.* Cùm igitur non repugnet verba Christi intelligi in præsenti, debent accipi in præsenti. Quodsi vulgata versio habet in futuro *Effundetur*, Græca tamen exemplaria habent in præsenti. Et vtraq; lectio vera est. Nam ita fundebatur in præsenti, vt & in futuro fundendus esset, tam in calice, quàm in cruce. Deinde apud Lucam particula *Qui* refertur in Græco, non ad Sanguinem, sed ad calicem. τοῦτο τὸ ποτήριον τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐγχυνόμενον. hic calix qui pro vobis effunditur. Sanguis igitur vt in calice erat, effundebatur pro nobis sub specie vini. Quia sicut vinum cùm Deo sacrificabatur, effundebatur: ita & Sanguis Christi effundi dicitur: quum sub specie & secundùm similitudinem vini offertur. Zaborouius exponit de effusione in cruce, quæ paulò pòst erat futura. at non rectè. Nam inprimis cùm in præsenti nō repugnet Christi verba accipi, exponi debent in præsenti secundùm leges exponendi Scripturas. Deinde absurdum est dicere, calicem illum, quem Christus in cœna tenebat, effusum esse in cruce. qui loquendi modus ex Zaborouij expositione sequitur. Demum licèt calix pro vino in calice contento per Metonymiam sumatur modo loquendi vsitatissimo: non tamen vsitatus loquendi modus est dicere calicem vini effundi; nisi cùm ex calice ipso vinum effunditur. Nam si quod continebatur antè in calice, non ex calice effundatur, sed ex alio vase in quod translatum fuit; non potest vllo apud homines recepto loquendi modo dici calicem vini tunc effundi; cùm vinum in calice antè contentum & in aliud vas translatum ex illo alio vase effunditur. Si-

Alia Christi verba pro sacrificio.

1.

2.

propriè omnino accipienda. 1.

2.

3.

tur. Similiter ergo calix continens Christi Sanguinem non potest dici effusus tunc, cùm Sanguis postea in cruce, non ex calice, sed ex Christi Corpore effusus est. Quocirca non possunt, nisi absurdissimè torqueri Christi verba, si de calicis effusione in cruce cum Zaborouio exponantur.

quia Sanguis ille sacrificari priùs debet quàm Sacramentum fieri.

Alterum argumentum sumitur ex illis verbis; *In remissionem peccatorum.* Etenim Sanguis Christi vt erat in calice, non effundebatur in remissionem peccatorum per modum Sacramenti, sed tantùm per modum sacrificij. Nam per modum Sacramenti datur nonnisi ijs quibus iam sunt remissa peccata: quia si quis cum peccato ad hoc Sacramentum & indignè accedit, *iudicium sibi manducat & bibit.* Apostolo teste *1. Corinth: 11.* Solùm igitur oblatus & effusus Sanguis per modum sacrificij vim habet remittendi peccata. Cùm ergo hic de ea effusione Sanguinis agatur, quæ fit in calice & ex calice in remissionem peccatorum: necesse est eam effusionem ad sacrificium, non ad Sacramenti sumptionem pertinere.

aut obsignare Testamentum.

Tertium summitur ex illis verbis; *Hic calix nouum Testamentum est in sanguine meo. Lucæ 22.* & *1. Cor: 11.* & ex illis *Matth 26. Hic est sanguis meus noui Testamenti.* Ex quibus sic argumentor; Sanguis Testamenti est sanguis victimæ iam immolatæ: priùs enim sanguis ille fit sacratus per sacrificium; tum assumitur ad firmandum & obsignandum Testamentum. Atqui in vltima cœna Christus fecit Testamentum, vti ex locis citatis patet, ergo in vltima cœna fuit sanguis Christi sacrificium. Sanguis enim nondũ sacrificatus nunquã adhibebatur ad firmanda fœdera & Testamenta, vti patet *Hebr: 9.* de sanguine Testamenti veteris.

quod in cœna factum, non in cruce.

Porrò non in cruce sed in cœna conditum esse nouum Testamentum; non solùm Christi citata verba docent, sed etiam res ipsa loquitur. Nam in cruce Christus nulla verba de Testamento fecit: neque promissiones hæ-
1. reditatis cœlestis publicauit: neque instrumentum Testamenti confecit, quo
2. hæreditas legata applicaretur. quæ omnia ad condendum & constituendum
3. Testamentum requiruntur. In cœna autem & de Testamento locutus est, id què ijsdem planè verbis quibus vsus est Moyses in condendo Testamento veteri; *Hic est sanguis Testamenti:* & promisit remissionem peccatorum, ac proinde & hæreditatem cœlestem: & instrumentum Testamenti cõfecit ad applicandas suas promissiones, nempe Sacramentum Corporis & Sanguinis sui. Non igitur dubium esse potest in cœna conditum esse Testamentum nouum & obsignatum. quod & Patres omnes fatentur.

At obijcit Zaborouius: Si Corpus suum Christus in cœna obtulisset, sequeretur eum habuisse tunc duo corpora: alterum visibile ad mensam cum Discipulis sedens, alterum inuisibile sub speciebus latens: alterum dans, al-

terum

ſterum datum. quod eſt impoſſibile. Verùm futilis eſt & ab ignorantia petita obiectio. Neque enim Deo repugnat vnum & idem corpus, in vno quidem loco viſibile, in alio inuiſibile reddere. Eſſe enim viſibile & inuiſibile ſunt accidentia quædam corporis: non ſequitur autem ſi varientur accidentia, corporis quoque eſſentiam illico variari: præſertim ſi de diuina potentia abſoluta loquamur. Poterat igitur abſque contradictionis implicatione Corpus Chriſti & in menſa viſibile eſſe in propria forma, & in Sacramento inuiſibile. Etſi enim in eodem loco & ſecundùm eandem rationem contradictionem implicet, idem ſimul eſſe viſibile & inuiſibile; non tamen in diuerſis locis & ſecundùm diuerſas rationes. Corpus enim Chriſti in Sacramento non extenſo & diuiſibili modo, ſed inextenſo & indiuiſibili exiſtit totum in toto, totum in ſingulis partibus panis: ablata autem extenſione, res alioqui viſibilis redditur inuiſibilis. Quodſi quis exiſtimet accidentia cõtraria (qualia ſunt de quibus loquimur) diuerſa prorſus ſubiecta requirere: is, ſi cõſideret eandẽ numero animã in diuerſis mẽbris exiſtentem, in vno quidem mẽbro moueri, in altero nõ moueri ſed quieſcere poſſe: facilè intelliget, vni quoque corpori in diuerſis locis diuina virtute poſito idem cõtingere poſſe. Imo quemadmodum vna eademquè anima naturaliter in pluribus ſimul membris tota ſimul poteſt exiſtere: ita & vni eidemque corpori diuina poteſtate idem poſſe euenire, nempe vt ſimul ſit in pluribus locis: cùm id nullam contradictionem inuoluat. quæ ſola regula eſt cognoſcendi à Deo aliquid fieri non poſſe, ſi nimirum inuoluat in ſe aliquam contradictionem.

Corpus idem eodem tempore videri vno loco alio non videri poteſt.

CAPVT XVIII.

Apoſtolos externum ſacrificium obtuliſſe probatur.

SI Apoſtolos diuino Chriſti mandato paruiſſe æquum eſt exiſtimare: perſpicuum erit, illos Chriſti exemplum & mandatum ſecutos externum ſacrificium Deo offerre conſueuiſſe. Id enim illa Chriſti verba docent; *Hoc facite in meam commemorationem.* Nam totum illud, quod ipſe in myſterij huius celebratione fecit, Apoſtolis quoque in ſui commemorationem faciendum mandauit. Porro Chriſtus primùm Deo gratias agens benedixit panem; & fecit Corpus ſuum impendens illud in Dei honorem; vt ab omnibus ad vitam æternam percipiendam manducaretur: deinde fregit, & dedit diſcipulis ad manducandum. Idem igitur diſcipulos facere voluit. vt ipſi

Ritu eodem, quo ipſe feceris, Apoſtolos iuſſit facere Chriſtus.

similiter & ritu eodem benedicerent, & benedicendo consecrarent Corpus ipsius: idque totum in gratiarum actionem pro omnibus diuinis beneficijs, & in Dei honorem ac laudem offerendo; vt diuina bonitas, quæ nobis tam diuina munera præstat, summis honoribus in hoc mysterio celebretur: tum verò vt idem Corpus in gratiarum actionem & honorem Deo oblatum & ipsi manducarent, & alijs ad manducandum præberent. quam esse ipsissimam sacrificij imaginem in præcedenti capite docuimus. Et quemadmodum Christus ipsis & pro ipsis dabat Corpus suum & Sanguinem: ita & ipsi idem facere debuerunt, vt & alijs Corpus Domini distribuerent, & pro alijs offerrent.

Corpus Christi esse in specie panis crediderunt Apostoli.

At inquit Zaborouius non visum ab Apostolis Christum se sub specie panis & vini Deo offerentem. non igitur id fecerunt. Imò verò viderunt Christum benedictione consecrantem Corpus suum sub specie panis, & illud in honorem Dei impendentem, vt à fidelibus manducaretur. quod ipsissimum est Corporis Domini sacrificium. Viderunt igitur sacrificantem. ac proinde idem exemplo ipsius ac præcepto facere debuerunt. Quamuis verò oculis carnis Christi corpus sub panis specie non cernerent: oculis tamen Fidei Christo dicente; *Hoc est Corpus meum*, non poterant non videre. Neque enim tam increduli erant Christi verbis, vti sunt nostri Euangelici: & quia nouerant beatos esse qui non viderunt & crediderunt: sicut & diuinam in Christo naturam carnis oculis non videntes firmiter crediderunt.

& se eius dispensatores ac Sacerdotes.

Non, inquit, Sacerdotes sed dispensatores mysteriorum Dei se agnoscebant Apostoli *1. Cor: 4. 1.* Quasi verò inter cætera Dei mysteria, non sit summum & præstantissimum Corporis & Sanguinis Domini mysterium; cuius dispensatio non solum vt Sacramentum est; sed etiam vt sacrificium ex Christi institutione omnibus Sacerdotibus incumbat. Nam si in veteri lege communes panes in honorem Dei offerre & consumere nonnisi Sacerdotum erat. quantò magis hunc diuinissimum panem in Dei honorem verbis Christi conficere & consumere Sacerdotum erit? Eam verò dispensandi hoc mysterium potestatem illis Christi verbis; *Hoc facite*, sibi commissam Apostoli cùm intelligerent: intellexerunt quoque se Sacerdotes ijsdem verbis à Christo constitutos consecratosque esse. vti etiam semper Catholica Ecclesia intellexit.

Paulus sacrificium intellexit.

Quocirca Paulus *1. Cor: 10. 21.* disertè sacrificij meminit. *Non potestis*, inquit, *mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum*, *mensæ* nomine intelligens altare *seu mensam sacrificij*, in qua victimæ immolabantur, & ad
1\. edendum assumebantur. Id ita esse patet. Primo, quia quod dixerat *participes mensæ*, alijs verbis dicit *participes altaris*: pro eodem accipiens *mensam &*

Iam & altare: *Qui*, inquit, *edunt hostias, participes sunt altaris.* agebat enim de ea participatione mensæ, quæ in edendis hostijs posita est. Mensa autem, ex qua edendæ hostiæ sumuntur est altare: teste Paulo *Hebr: 13. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.* Huius igitur mensæ, hoc est altaris, dicit participes esse eos qui hostias edũt. 2.
Deinde perspicuum est mensam dæmoniorum non appellari mensam conuiuij priuatam & domesticam, in qua gentiles sacris peractis conuiuari solebant; vti falsò putat Zaborouius. Talem enim mensam non prohibebat fidelibus Paulus (nisi propter scandalum) sed permittebat: eo persuasus argumento, quòd cùm idola nihil sint, ea quoque quæ ipsis immolantur, nullam vim habent ad maculandum conscientiam, vt *ex eodem & octauo capite* apparet. vnde neque eam potuit appellare mensam dæmoniorum: neque eius participes potuit dicere esse participes mensæ dæmoniorum: sed mensam dæmoniorum appellauit mensam in idolio, seu in loco in quo idolum est positum, quæ erat mensa sacrificij. Ita enim de eadem re agens loquitur *cap: 8. 10. Si quis viderit eum qui habet scientiam in idolio recũbentem.* Ex quo apparet ante idolum ipsum ad altare consueuisse gentiles recumbere, & edere victimas dæmonibus immolatas; ita vt falsum planè sit, quod ait Zaborouius, ethnicos in suis altaribus bibisse ne fando quidem auditum esse. Quemadmodum igitur per mensam dæmoniorum intellexit mensam sacrificij: ita per mensam Domini mensam quoque sacrificij intellexisse censendus est, vt comparatio constaret.

Denique idem indicat scopus & argumentatio Pauli. Vult enim fideles deterrere ab idolorum cultura, quæ in esu victimarum dæmonibus immolatarum consistebat. Gentiles enim assumebant secum fideles ad sua idolia, vt ibi secum recumberent, & coram idolo ad ipsius cultum peracto sacrificio vescerentur. vti *in cap: 8. 10.* indicatur. Vtitur autem Paulus hoc argumento. Non potestis esse participes mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum. Atqui estis participes mensæ Domini edendo de mensa ipsius panem qui est participatio Corporis Domini, & bibendo calicem qui est cõmunicatio Sanguinis Domini. id què ex eo patet. quòd sicut Israëlitæ secundùm carnem edendo victimas fiebant participes altaris: ita & vos edendo victimas de altari & mensa Domini efficimini participes mensæ seu altaris Domini, ac proinde & sacrificij Domini: esse enim participem altaris est esse participem sacrificij in altari oblati. Non igitur potestis nec debetis esse participes mensæ seu altaris dæmoniorum. In qua argumentatione, cùm de esu victimarum & de participatione altaris ac sacrificij agatur, quis non videt mensam Eucharistiæ esse altare? & panem ac vinum Eucharisticum

in hac mensa propositum esse veram victimam oblatam Deo? atque participationem huius mensæ, & esum panis ac potum calicis esse participationem altaris ac sacrificij in altari Eucharistco oblati?

Ineptiæ Zaborouianæ. Nugæ igitur meræ sunt, quæ à Zaborouio hic dicuntur. Primùm mensam Domini non opponi altaribus dæmoniorum. constat enim mensam & altare pro eodem accipi: sicut & participatio mensæ dicitur à Paulo participatio altaris. Deinde conuiuia priuata nomine mensæ intelligi. nam Paulus in idolio recumbentes & conuiuantes redarguit: mensas verò priuatas & domesticas ex victimis confectas absolutè permittit: & solùm ratione scandali prohibet. Denique ethnicos nunquam in suis altaribus bibisse. Constat enim ex Paulo recumbentes in idolio comedisse & bibisse ex immolatis.

1.

2.

3.

4. argumentum ex Paulo. Porrò meminit etiam sacrificij & altaris Eucharistici Paulus *Hebr: 13.* 10. dum ait: *Habemus altare, de quo edere non habēt potestatem qui tabernaculo deseruiunt.* Etenim quæ alia est esca, quam de altari edunt Christiani, quamque non erat licitum attingere Iudæis, nisi Eucharistia? Nam hæc est propria illa Christianorum esca, quæ successit escis legalibus Iudæorum, de quibus hic sermo est: eamque hic in altari indicat, quam *1. Cor: 10.* in mensa Domini indicauerat: eadem que sola est, quam Iudæi nobiscum edere non poterant. quia cæteras omnes spirituales escas communes nobiscum habuerunt. Christum nimirum per Fidem sicut & nos manducauerunt.

qui altare nostrum spirituale & corporatum statuit, Quid hic Zaborouius? Altare, inquit, spirituale, id est Christum, altari materiali Iudaico opponit. Fateor. sed non id solùm spirituale dicitur, quod sola mente & Fide concipitur: verùm etiam id, quod licet externum sit & materiale, diuinum tamen quid & spirituale continet. Idcirco enim ritus illi Iudaici materiales & carnales dicebantur, quia nihil diuinum & spirituale, sed tantùm materiale continebant. Nostri verò ritus, nostra Sacramenta, materialia quidem sunt, vt rebus externis continentur: sed quia in illis materialibus & externis, diuinas quoque res & spirituales complectuntur; meritò dici possunt & debent spiritualia. nisi forte Eucharistiam quid merè terrenum & materiale, non verò diuinum & spirituale Zaborouius asserere audeat. Non igitur oppositio materialis altaris Iudæorum impedit, quominus externum apud nos altare intelligatur, in quo tamen diuina & spritualia sacrificia tractentur. neq; argumentum Zaborouij ex oppositione ductum quidquam virium habet.

1.

2. Deinde si solùm per altare spirituale intelligatur Christus: etiam Iudæi habuerunt talē altare, Christum scilicet Fide apprehensum, de quo spirituales escas per Fidem edebant. Nihil igitur præ Iudæis Christianos habere ostendisset

ostendisset Paulus: cuius tamen oppositum probare intendit: nempe Iudaicis doctrinis non esse acquiescendum: quibus escæ carnales proponuntur. quæ nihil proferunt ambulantibus in eis; quia gratiam & sanctificationem nullam conferunt: quærendas potiùs alias escas, quæ cùm edentur gratia stabiliunt cor. Tales autem escas Iudæi non habent, nec habebant in altari, nos vero habemus: quia habemus altare longè præstantiùs, & in altari escā diuiniorem, nempe Christum. quam escam non possunt edere Iudæi, quamdiu tabernaculo deseruiunt. Quodsi hæc esca Christus intelligatur per solam Fidem apprehensus: habuerunt potestatem Iudæi hanc escam edendi, etiam tunc cùm tabernaculo deseruirent. imò & eo ipso tempore multi erant Iudæi, quibus Euangelium nondum erat sufficienter publicatum: qui simul & tabernaculo seruiebant, & Fidem in Christum habebant tanquam in Messiam promissum, & ex consequenti hanc escam per Fidem manducabant. *alioqui præ Iudæis habere nos aliquid non probasset.* *cùm in hoc pares nobis essent.*

At inquit Paulum solùm docere, eos qui tabernaculo deseruiunt, ceremonijs què legalibus morte Christi abolitis addicti sunt, non posse edere hanc escam. Respondeo. Paulum non solùm hoc docere, sed etiam indicare, hanc escam Iudæos nunquam edere potuisse: quia non habuerunt escas quæ gratia stabilirent cor. Cùm igitur hoc dici non possit de Christo per Fidem manducato: consequens est, non de tali esca Paulum locutum, sed de esca Eucharistiæ, in qua Christus, non solùm per Fidem, sed etiam secundùm veram & realem suam substantiam manducatur. 3. *Paulus autē velit non posse attingere altare nostrū.*

Adhæc Paulus non loquitur de esca purè spirituali: sed de esca externa, externa & reali manducatione edenda. Ergo & de altari reali atq; externo, in quo hæc esca edenda proponatur. esca enim externa, externum altare requirit, si de altari edenda proponatur. Probo igitur Antecedens ex ipsa Pauli quam adiungit ratione. Ex eo enim probat Iudæos hanc escām edendi potestatem non habere: quia Iudæis non est facta potestas edendi eas victimas, quæ pro peccatis oblatæ cùm sint, sanguis earum infertur per Pōtificem in sancta Sanctorum. Cùm igitur hæc victima sit talis (est enim oblata pro peccato; & sanguis eius illatus est per Christum Pontificem in sancta Sanctorum, *vt cap: 9.* in eadem epistola docet Paulus) consequens est hanc victimam edi à Iudæis secundùm legem non posse. Atq; etiam propterea IESVM extra portam & extra castra passum esse dixit, vt indicaret suum Corpus & Sanguinem non ad eos pertinere, qui sunt intra castra & tabernacula Iudaica; sed ad illos duntaxat, qui ex castris & tabernaculo egressi ad illum confugiunt. Quis non videt Paulum in hac tota argumentatione probare Iudæis non fuisse permissum externam victimam pro peccato oblatam 4. *& hoc escis simile materiatum nempe.*

externa ratione edere? neq; enim ſpirituali manducatione, quæ fit per Fidem, vſquam prohibiti fuerunt. Loquitur igitur Paulus, ſicut de externa eſca, ita & de externo altari, de quo hæc eſca edenda ſit: ac proinde non de Chriſto per Fidem apprehenſo, ſed de eodem realiter in altari Euchariſtiæ exiſtente.

5. *& diuerſum ab illis.* Denique ſic contra Zaborouium arguo. Paulus diſtinguit inter eſcam & altare: vult enim eſcam de altari edi: altare enim eſt quid extrinſecum & quaſi locus quidam eſcæ: idem autem ſuiipſius locus eſſe non poteſt. Neceſſe igitur vt huic eſcæ, quæ Chriſtus eſt altare à Chriſto diſtinctum aſſignetur. Hoc autem non poteſt eſſe crux, in qua Chriſtus ſemel victima Deo factus eſt pro nobis. Nam neq; verum eſſet; *Habemus altare &c.* ſed Habuimus. quia non habemus Chriſtum in cruce, ſed in cœlo: neq; dicendum eſſet nos edere de hoc altari, ſed de cœlo.

6. *& omni tempore extans.* Accedit, quod Paulus, cùm dixit; *Habemus altare &c.* etiam omnia tempora conſequentia reſpexerit, ita vt ſemper Eccleſia ſit habitura hoc altare: in perſona enim totius Eccleſiæ loquebatur. Atqui modo dicere non poſſumus habere hoc altare: quia crucem Domini, in qua is ſacrificatus eſt, non habemus; cùm ea non extet, niſi in partes minutiſſimas diſſoluta. potiùſq; dicendum eſſet, non habere nos altare, nec de altari nos edere Chriſtum, ſed aliunde: ſicut ſublata arbore non poteſt quis dicere ſe habere arborem, de cuius fructibus edat; etiamſi illi fructus de illa arbore fuerint olim decerpti.

7. *ita Patres intellexerunt Paulum.* Ex his itaq; omnibus manifeſtum eſt non poſſe aliam expoſitionem verbis Pauli accommodari: niſi de altari Euchariſtiæ Paulus intelligatur. vti etiam SS. Patres intellexerunt: Theophilactus, Chryſoſtomus, Sedulius, Theodoretus, Oecumenius, & alij.

Zaborouius falsò mihi quædam affingit. Non omittam autem, falsò Zaborouium quædam mihi impoſuiſſe, quæ à me aſſerta non ſunt: nempe, quòd negem Chriſtum eſſe ſpiritualem eſcam. Hoc enim non nego: at dico Chriſtum non extra Euchariſtiam per Fidem apprehenſum eſſe illam eſcam, de qua Paulus loquitur. Similiter, quòd per eos qui tabernaculo deſeruiunt intelligam Chriſtianos fideles. id enim prorſus falſum eſt. Cùm verò dico, Chriſtum per Fidem apprehenſum eſſe talem eſcam, quam edere per Fidem poteſtatem habent omnes homines tam fideles quàm infideles: putat id implicare contradictionem, vt infideles per Fidem edant. Quaſi verò infidelibus non ſit facta poteſtas per Fidem Chriſtum cognoſcendi: quo poſito, non erunt amplius infideles ſed fideles: ſicut & cæci cùm fiunt videntes, non manent amplius cæci.

Iam quod obijcit Apoſtolos nulla altaria materialia habuiſſe: & poſt

illorum

illorum tempora multis seculis Christianos illis caruisse: id tam manifestè falsum est, vt probatione non egeat. Nam & Canon tertius Apostolorum altaris meminit. & Ignatius Ioannis Apostoli discipulus in *Epistola ad Ephesios; Nisi, inquit, quis intra septa altaris sit, priuatur pane Dei.* & in *epist: 5. ad Philadelphios* sic ait; *Obsecro vos, vt vna Fide, vna prædicatione, vna Eucharistia vtamur: vna est enim Caro Domini nostri* IESV CHRISTI; *& vnus illius Sanguis qui pro nobis effusus est; & vnus calix qui pro omnibus nobis distributus est; vnus panis qui omnibus fractus est; vnum altare omni Ecclesiæ; & vnus Episcopus cum Presbyterorum collegio & Diaconis cõseruis meis.* Idem Dyonisius *Eccl: hierarc. cap: 3. Pontifex,* inquit, *vbi orationem sanctam supra diuinum altare peregit.* Euaristus Papa circa Annum Domini 100. vt habetur apud Bruchardum *lib: 1. cap: 27. Omnes,* inquit, *Basilicæ cum Missa debent consecrari: altaria verò placuit, non solùm vnctione Chrismatis, sed etiã Sacerdotali benedictione sacrari.* Tertul: in *lib: de Pœnitentia,* inter cætera pœnitentium signa, id quoq; commemorat; *Presbyteris aduolui, aris Dei adgeniculari.* Irenæus *libro: 4. cap: 20. & 34.* Cypr: *ep. 55. 64. 66. 72. 73.* Qua igitur fronte contra tot primitiuæ Ecclesiæ, & eorum qui discipuli Apostolorum fuerunt testimonia, altarium in primitiua Ecclesia vsum negare audet Zaborouius?

Ab Apostolorum tempore altare habuerunt Christiani.

quod impudentissimè negat Zaborouius.

At quia citat pro se Origenem, Ambrosium, Chrysostomum: ostendam quomodo more suo verba horum Patrum falsificet, contra expressam ipsorum mentem ea detorquendo. Et quidem Origenes *homil: 11. in Numeros cap: 18.* ex professo probat Sacerdotibus Domini, cùm assistant altari & altari seruiant, debere primitias offerri. Nam etsi *libro 6. contra Celsum* dicat, nobis pro aris esse iustorum mentes: Non eo sensu id dicit, quasi altaria externa excludat: sed vt etiam altaria spiritualia, quæ sunt iustorum mentes, ostendat. vtraq; enim altaria habemus. Simili quoque ratione Clemens Alexandr. *7. Stromat.* altaria spiritualia commemorat: externa tamen minimè repudiat. Chrysostomus verò ita pro altari externo decertat; vt & honorandum esse doceat, & qui illud velit subruere, dignum esse qui lapidibus obruatur. *Tu,* inquit, *altare honoras, quod accipit Corpus Christi 2. Cor: homil: 20.* & *homil: 53. ad populum. Si quis,* inquit, *vellet hoc altare subruere, nonne illum lapidibus obrueretis?* Neque solùm hominibus, sed etiã Angelis venerandum docet *libro 6. de Sacerdotio* cùm ait; *Locum altari vicinum in illius honorem qui immolatur Angelorum choris plenum esse.* Quo itaque pudore Zaborouius Chrysostomum altarium excludendorum auctorem facit, quem tantùm esse altarium propugnatorem constat? Cautè verò fecit, cùm locum epistolæ ad Hebræos non adnotauit: si adnotasset, fraus eius

F.

& impudentiùs id Patribus affingit.

magis

F. *citat scripta quorundam, quæ non scripserunt.*

magis patuisset. Magis vero errauit in Ambrosio. quem & falsò citat in epistolam ad Hebræos: cùm talem commentarium Ambrosius non scripserit. & de Ambrosij mente res est certissima, qui Liturgiam in altari celebrandã à sancto Barnaba primùm conscriptam auxit: & celebrandam in Ecclesia Mediolanensi ad hæc vsq; tempora reliquit. & locum illum *1. Corinth. 10.* de mensa Domini (vt alia taceam) de altari interpretatur.

Liturgiæ antiquissimæ extant octo.

Verùm erroris conuincunt Zaborouium, non solùm antiquissimi Patres, sed etiam Liturgiæ vetustissimæ ab ipsis propè Apostolorum temporibus in Ecclesia receptæ, & hucusq; retentæ. Inter quas primum locum habet Liturgia Romanæ Ecclesiæ omnium antiquissima, auctore ipso Diuo Petro Apostolo: Liturgia item Ecclesiæ Ierosolymitanæ auctore D. Iacobo: Liturgia Eccl: Alexandrinæ auctore D. Marco Euang: Liturgia Ecclesiæ Æthiopum auctore D. Matthæo: Liturgia Ecclesiæ Mediolanensis primùm à Diuo Barnaba conscripta, postea à D. Ambrosio aucta: Liturgia Ecclesiæ Cappadociæ auctore D. Basilio: Liturgia Ecclesiæ Constantinopolitanæ auctore D. Chrysostomo: Liturgia deniq; Mozarabum & Armenorum.

magnæ auctoritatis, etsi nõ canonicæ.

Ineptè vero Zaborouius negat Liturgiam Iacobi esse Iacobi Apostoli. alioquin, inquit, pars canonicæ Scripturæ esset. ineptè, inquam, neque enim quæcunq; traditio canonicam Scripturam facit: sed ea duntaxat, quæ fuerit publico totius Ecclesiæ iudicio comprobata. cuius etiam iudicio omnes Scripturæ sacræ libri habentur canonici: non quòd in seipsis non fuerint semper sacri & diuini libri: sed vt id nobis diuino aliquo & infallibili testimonio constaret, Ecclesiæ accessit testimonium. quod propter perpetuam Spiritus sancti assistentiam, qui Ecclesiæ promissus est vt maneat in ea in æternum. diuinum censeri debet ac infallibile. Quamuis igitur Liturgias illas tanquam ab Apostolis profectas certa traditione habeamus: quia tamen Ecclesiæ declaratio non accessit, hinc fit, vt non eam illis auctoritatem quã canonicis Scripturis, & ijs quæ ad Fidem spectant, tribuamus; sed eam duntaxat, quam rei omnium seculorum testimonio comprobatæ tribuere par est.

Monasteria tempore Apostolorum fuere.

At suppositītiam esse Liturgiam Iacobi probat Zaborouius. precationes enim continet pro ijs, qui sunt in Monasterijs, quæ tempore Apostolorum non fuere. Sed errat. Constat namq; grauissimorum Patrum testimonijs Monasteria temporibus Apostolorum extitisse. In Ecclesia enim Alexandrina à Marco instituta fuisse multa Monasteria Christianorum testatur Hieron: in libro *de scriptoribus Ecclesiasticis in Philone.* Eusebius *lib: 2. Histor: cap: 15.* qui id multis probat. Epiphanius *hæresi 29.* ad quam rem dicti Patres producunt testem Philonem Iudæum. qui de horum Monachorum moribus librũ conscripsit. Idem testatur Cassianus *lib: 2. de Inst: Cœnob. c. 5.* Sozomen. *lib: 1.*

lib: 1. Hist: c. 12. Nicephorus *lib 2. c. 15.* Beda *Præfat. in Marcum.* Et sanè credibile est, cùm Marcus Ecclesiam Alexandrinam conuerterit ad Christũ, idem quoque circa Monasteria Essenorum Iudæorum, quæ ibi plurima erant, fecisse; & Monachos illos ad Fidem Catholicam perduxisse: vnde & Iessei dicebantur, nomine à IESV deriuato.

Neque verò tempore Apostolorum inaudita erat doctrina de Castitate, Paupertate, & Obedientia, quam voto facto Monachi profitentur: cùm ipsos Apostolos constet, non verbo solùm, sed & vitæ exemplo eam perfectionem docuisse. Verè enim omnibus relictis Christum sequuti sunt: & pauperem ac omnibus commodis destitutam vitam duxerunt, auctores qué fuerunt vt alij nihil proprium haberent. *Act: 4.* Castitatem etiam inprimis coluerunt: eam qué alijs colendam suaserunt. *1. Cor. 7.* Denique ipsi primi Monachi & duces aliorũ fuerunt. non enim cucullà facit monachũ sed vita. *& sacramẽta monastica.*

Inanissima igitur illa coniectura fuit Zaborouij aduersus Liturgiam Iacobi. Maius verò est illud pro ea argumentũ: quòd Cyrillus Ierosolymitanus, quæ in suis Mystagogicis orationibus habet, ab ipsa Missa Iacobi cognoscitur accepisse. vti adnotauit Baronius in Annum Domini 63. Tale est illud, quod Sacerdos alta voce dicit *Sursum corda.* & alia quæ de immensa Dei gloria præfari solet. Tum quod idem dicit, *Orate pro viuis & defunctis.* Tum quod inclamat Diaconus ante sumptionem diuinorum mysteriorum; *Osculamini inuicem in osculo sancto:* atq; illa accepturis intonat; *Sancta Sanctis.* & quod populus respondet; *Vnus est sanctus &c.* ac rursum quod cantores intra sumptionem sacræ Eucharistiæ concinunt; *Gustate & videte, quoniã suauis est Dominus.* & alia huiusmodi. quæ cùm è Liturgia sancti Iacobi trãstulerit, an non eo ipso Liturgiæ illi detulit eam quam in Ecclesia illa semper habuit auctoritatem? Non est ita facilè, Zaboroui, errorem Doctorum Catholicorum in ea re quam omnes amplectuntur, ostendere. Sunt enim & numero, & doctrinæ præstantia, & auctoritate, vobis longè superiores: & in antiquitate peruestiganda ita accurati; vt nihil dissimulent: nihil transire patiantur, quod non suis momentis expendant. quod cùm aliorum Doctorum libri, tum annales Baronij testantur. nec vos inficiari potestis. *Cyrillo Ierosõ: Iacobi Liturgia veneranda.*

Venio ad locum *Act: 13.* vbi legimùs *Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunãtibus, dixit Spiritus S. Segregate mihi Saulũ & Barnabã.* Non enim de quocũq; ministerio publico loquitur, sed de publico: hoc namq; propriè λιτȣργεία dicitur. nec de ministerio publico, quod exhiberetur hominibus; sed quod Deo immediatè fieret: dicitur enim, *Ministrantibus Domino.* λιτουργεία autem Deo ipsi immediatè exhibita quid aliud est quàm sacrificium. *5. arg: pro sacrificio, sacrificasse Apostolos.*

cium. Nam sacrificium est & publicum ministerium, & tale quod soli Deo immediatè exhibetur. Et in Ecclesia illa primitiua Liturgiæ nomen non ad alia ministeria, quàm ad Missas & sacrificia denotanda, fuit vsurpatum. vt ex Liturgijs antiquissimis ad hæc vsq; tempora conseruatis satis constat. Alia enim ministeria publica, vt concionandi & Sacramenta ministrandi, immediatè hominibus exhibentur: nemo enim Deo cōcionatur aut Sacramenta ministrat. solum sacrificium est eiusmodi publicum ministerium, quod soli Deo exhibetur. & solum Liturgia in Ecclesia dicitur. Liturgia igitur Deo exhibita non est nisi sacrificium.

Ministrare Domino diuersum à Lucæ ieiunare.

Quare cùm ait Zaborouius; An non Deo ministrat, qui Deum precatur; qui in honorem eius ieiunat, prædicat, Sacramenta ministrat? Respondeo Lucam non de omni ministerio, quod generali quadam ratione fit in Dei honorem, locutum. alioqui sub tali ministerio complexus quoque fuisset ieiunium, quod etiam in honorem Dei suscipitur, sicut & aliæ actiones piæ. At quia addit *Ministrantibus Domino & ieiunantibus*, distinguit hoc ministerium à ieiunio, & quoddam peculiare ministerium intelligit, quod non solùm in honorem Dei generali illa ratione ordinatur, sed immediatè Deo exhibetur: quale ministerium est sacrificium, quod soli Deo exhibetur ad ipsius honorem. In alijs enim actionibus tantùm generali ratione dicimur ministrare Deo: quia licèt eas alijs exhibeamus; tamen propter Deum & eius honorem. in sacrificio vero immediatè ipsi Deo exhibemus ministeriū. & idcirco peculiari ratione dicimur ministrare Deo. Cùm vero ait Zaborouius prædicationem quoq; dici posse sacrificium: id vti verum est metaphoricè, ita ad hunc locum non pertinet, in quo nulla metaphoræ species apparet: sed absolutè sine vllo metaphoræ signo dicitur *Ministrantibus autem illis Domino.* Non enim ad libitum metaphoræ confingendæ sunt, sed vbi rerum ipsa circumstantia postulat. Porrò cùm Erasmum adduco, qui vertit *sacrificantibus autem illis:* non plus homini tribuo quàm par est; sed ab aduersario vocem veritatis elicio, ne eius auctoritatem, quam Euangelici faciunt plurimum, in hoc reijciant. Quodsi ea versio admittetur: euincetur, non de sacrificijs metaphoricis precum, vt somniat Zaborouius, sed de vero & propriè dicto sacrificio locum Scripturæ intelligendum esse.

Temeritas Zaborouij effrons in Liturgiæ notione fingenda.

Magnam etiam Zaborouij impudentiam & temeritatem mirari satis non possum, cùm contra omnem veritatem audet asserere Liturgias antiquas Græcis nunquam fuisse sacrificium. sed publicam administrationem cœnæ Domini. ad quod paradoxum probandum adducit, quæ de communione in Liturgijs Chrysostomi, Basilij, Iacobi habentur; ijs prætermissis, quæ de oblatione-

latione, sacrificio, hostia incruenta dicuntur. Quid hac impudentia impudentius, falsitate falsius? Vt autem solitam hominis in falsificandis testimonijs consuetudinem breuiter coarguam: adscribam ex Liturgijs ab ipso citatis aliquot de sacrificio verba. F.

In Liturgia Chrysosto: sic habetur; *Suscipe Domine Deus supplicationem nostram: fac nos dignos offerēdo tibi preces & hostiam incruentam pro vniuerso populo tuo &c. Adhuc offerimus tibi rationabile ac incruentum hoc obsequium; & precamur, & deposcimus, vt mittas Spiritum tuum sanctum super nos & super hæc apposita munera. Propter infinitam clementiam tuam inconuertibiliter & inalterabiliter homo factus es: & Pontifex noster extitisti: & mysterij huius, ac incruentæ hostiæ Sacramentum nobis tradidisti, vt omnium Deus. Fac me dignum Sacerdotij gratia indutū assistere sanctæ huic tuæ mensæ, & cōsecrare sanctum Corpus tuū & pretiosum Sanguinem: nec reprobes me à pueris tuis; sed concede à me peccatore offerri tibi hæc Sacramenta. Tu enim es offerens & oblatus, suscipiens & distributus, Christus Deus noster.*

Liturgia enim est sacrificium Chrysostomo.

Et in Liturgia Basilij; *Tu es, qui offers & offerris; & qui suscipis & impertis, Christe Deus noster. Alta voce Sacerdos: Tua ex tuis tibi offerentes in omnibus & per omnia &c. Tu Domine ostendisti nobis magnum istud salutis mysterium: tu dignos nos fecisti miseros, & indignos seruos tuos fieri ministros sancti altaris tui: idoneos nos fac virtute sancti tui Spiritus in ministerio isto, vt indamnabiliter stantes in conspectu sanctæ gloriæ tuæ offeramus tibi sacrificiū laudis. Tu enim es operans omnia in omnibus. Da, Domine, & pro omnibus nostris peccatis, & populi tui ignorantia acceptabile, & susceptibile fieri sacrificium nostrum in conspectu tuo.*

Basilio.

In Liturgia vero Iacobi; *Domine, Domine, qui visitasti nos in misericordia, & commiseratione: & nobis abiectis peccatoribus, ac indignis seruis tuis concessisti, vt confidentes accederemus ad sanctum altare tuum; & offerremus tibi verendum hoc & incruentum sacrificium pro peccatis nostris: & ignorantijs, &c. Placeat tibi Domine, vt nos Ministri simus tui noui Testamenti, ac sacrificij immaculatorum tuorum mysteriorum: & admitte nos accedentes ad sanctum tuum altare, vt digni simus, qui offeramus tibi munera, & sacrificiū pro nobis, & pro ijs, quæ populus per ignorantiam admisit: da quē nobis, Domine, vt tibi cum omni metu ac pura conscientia hoc sacrificium spirituale, atque incruentum offeram: quod vbi admiseris in sanctum, supercœleste, ac intellectuale tuum altare, in odorem suauitatis spiritualis, vicissim mitte nobis gratiam Spiritus tui sanctissimi. O Deus, respice in nos, & ad nostrum hoc rationale obsequium intuere, id quē accipe, vt Abel dona accepisti, Noë sacrificia, Mosis & Aaronis Sacerdotia, Samuelis pacifica, Dauidis pœnitentiam,*

Iacobo.

Zachariæ incensum: vt de manu Apostolorum tuorum verum hunc cultum accepisti: ita quoq; è manibus nostris, qui peccatores sumus, recipe munera hæc proposita, per tuam benignitatem: & fac, vt oblatio nostra grata & acceptabilis sit per Spiritum sanctum sanctificata, in propitiationem peccatorum nostrorum, & eorum, quæ populus per ignorantiam admisit.

En quot modis, Zaboroui, falsi reus teneris. ita mendacijs pro argumentis vteris. Iam verò te Missæ sacrificium impugnantem audiamus. Sic ergo argumentaris probans per Missam sacrificio in cruce peracto iniuriam irrogari. Si Missa celebretur solùm in memoriam sacrificij in cruce peracti: non erit reale externum propitiatorium, sed tantùm commemoratiuum sacrificium. Si in supplementum alicuius defectus: iniuria fit illi sacrificio sufficientissimo, quo sumus sufficienter à peccatis *purgati, Hebr: 9. 28. sanctificati, Hebr: 10. 10. consummati Hebr: 10. 14.* Si propter applicationem fructuum passionis Christi: hæc applicatio fit per Fidem: dicente Paulo; *Participes Christi effecti sumus, si initium substantiæ ipsius vsq; ad finem firmum retineamus.* Verùm falleris, Zaboroui. nihil enim horum quæ infers sequitur.

Sacrificium nostrum non iniuriosum illi in cruce.

1. Nam cùm Missam dicimus celebrari in memoriam sacrificij in cruce acti: non eam memoriam, quæ fit puro signo intelligimus: sed quæ rem ipsam seu victimam in cruce oblatam sub signis panis & vini verè & realiter contineat. vndè fit, vt sit sacrificium non solùm commemoratiuum repræsentando: sed etiam verum & reale sacrificium victimam veram continendo in Dei honorem sub specie panis & vini impensam. Si nihil in Eucharistia præter mera signa esset, vti vos falsò creditis: nulla quoq; esset victima quæ offerri posset: nec aliud quid esset quàm sacrificij commemoratio. At nos cùm præter signa rem quoq;, quæ verissima victima est, credamus; eámque, quatenus in Sacramento est verè & realiter per modum panis & vini, impendi in Dei honorem fateamur: verum quoq; & reale sacrificium esse consequenter asserimus. Et sicut veteris legis sacrificia erant simul & vera sacrificia, & sacrificij crucis commemoratiua. ita & in nostrum Eucharistiæ sacrificium vtrumque id cadere potest.

2. Quod ad sufficientiam sacrificij crucis attinet; eam nos & agnoscimus: & nullum aliud supplementum requirimus. Nam sacrificium Eucharistiæ fatemur ita esse propitiatorium, vt nobis impetret eam remissionem culpæ, & pœnæ, quam nobis Christus in cruce promeruit. Quamuis enim eam sufficientissimè nobis in cruce promeruerit: quia tamen eam in cruce nemini applicauit (alioqui omnes illico fuissent salui) reliquit locũ impetrationi. Quare, sicut citra vllam iniuriã passionis Christi, & sacrificij ipsius in cruce acti,

acti, petimus & impetramus per Christi passionem remissionem peccatorũ: ita idipsum citra vllam passionis & sacrificij Christi iniuriam impetramus sacrificio hoc incruento. quod dicimus non nouam nobis remissionem peccatorum impetrare; sed eam solùm, quam Christus nobis in cruce promeruit, & acquisiuit. non igitur ad defectum sacrificij crucis supplendum substituimus hoc nostrum sacrificium; sed ad impetrandum id, quod nobis passione sua Christus sufficientissimè meruit, voluit tamen à nobis peti & impetrari.

Denique dicimus, ad applicandum fructum passionis Christi hoc sacrificium institutum. Non propterea, quòd passio Christi insufficiens sit: sed quòd ex se nulli fuerit applicata. Nam quod ait Zaborouius applicari per Fidem: nec nos absque Fide dicimus applicari in sacrificio. quia Fides non excludit alia media in ipsa fundata. Licet enim Fide applicetur nobis passio Christi: non tamen exclusis Sacramentis, aut precibus, ad impetrandos nobis fructus passionis Christi: quare nec excluso sacrificio, quod vnum est ex medijs ad eosdem fructus nobis impetrandos. Voluit enim Christus Dominus suam passionem, etiamsi in se sufficientissima sit, nobis per actus nostros applicari. Et quamuis non desint alia quoque media passionem Christi applicandi, nempe per Sacramenta & alias pias actiones: nullum tamen aliud medium eam applicat per modum sacrificij. Esse autem necessarium tale medium inde constat: quòd Religio non potest esse sine sacrificio vt dictum est. quare, sicut per alia, ita & per sacrificium applicari nobis debet passio Christi. 3.

Verùm, cùm per Missam irrogari iniuriam passoni Christi demonstrare non posset, contra Canonem Missæ insurgit. Cùm enim in Canone dicamus; *Te igitur clementissime Pater, per* IESVM CHRISTVM *Filium tuum supplices rogamus, ac petimus, vti accepta habeas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata:* ait nos pro Christo quem sacrificamus per Christum Patrem rogare, vt eum acceptet & benedicat. At calumniandi libido cæca non patitur videre Zaborouium nos rogare, vt sacrificia nostra accepta habeat & benedicat Deus. Nam licèt Christum sacrificemus: tamen aliud est considerare Christum absolutè; aliud quatenus à nobis sacrificatur. Christum igitur absolutè Deo non commendamus, quem scimus Patri ex se cõmendatissimum esse: sed commendamus sacrificium, seu actionem illam nostrum qua Christum sacrificamus; vt que eam Deus acceptam habeat & benedicat, rogamus, ne quo vitio nostro fiat, vt sacrificium illud vel indignè tractemus; vel eius nos fructibus ac effectibus minùs idoneos reddamus.

Christus qua sacrificium à nobis cõmẽdatur Patri.


mus. Similiter per Christum, non pro Christo, sed pro opere illo nostro, quatenus à nobis fit, rogamus, vt scilicet dignè ac sanctè fiat, Deo qué placere possit. En quam alieni sumus ab obiecta calumnia.

Euãgelici nõ habẽt religionem.

Ex his, quæ de sacrificio tam copiosè à nobis disputata sunt, concludo Ministros Euangelicos veros Christi Ministros non esse: cùm neque Sacerdotes sint: neque sacrificium noui Testamenti, quod tam illustribus sacrarum literarum testimonijs comprobatur, offerant. cum que nulla Religio sine Sacerdotibus & sacrificio vnquam extiterit, aut existere possit: quilibet facilè animaduertet, nullam apud Euangelicos Religionem esse, cùm vtroque horum careant.



DE NO-



DE NOTIS MINISTRORVM LIBER SECVNDVS.

In quo sex aliæ notæ Ministrorum examinantur.

Ministros Euangelicos vera conficiendæ Eucharistiæ potestate carere: ac proinde veros Christi Ministros non esse.

CAPVT I.



Diuinissimam esse potestatem, qua Christi Corpus in Eucharistia constituitur, is solum dubitare potest, qui de veritate eiusdem Corporis in Eucharistia dubitat. Nam neque Corpore Christi quidquam diuinius: neq; ea potestate qua ipsum in Eucharistia collocatur admirabilius: quippe quæ omnem humanã & Angelicam virtutem excedat; & ad solius Dei omnipotentiam referatur. Is enim solus, qui omnia potest, id quoque potest: vt Corpus idem in cœlo simul & in Eucharistia existat. quod vti miraculum maximum suspicit, & prædicat inter cæteros Chrysostomus *lib: 3. de Sacerdotio. O miraculum!* inquit, *ô Dei benignitatem! quòd, qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur.*

Diuina potestas in consecranda Eucharistia.

Hanc porrò tam diuinam & admirabilem potestatem, vti nos Catholici in Sacerdotibus nostris religiosè agnoscimus & veneramur: ita Euangelici eam abnegant, & detestantur, ac blasphemam putant; quippe qui & Christum

execrandis cæ cãgelicis execranda.

Chriſtum in Euchariſtia abnegârunt. Ita enim Zaborouius ait: Hanc poteſtatem omnino negandam eſſe. At negari ſanè non poteſt: niſi & veritas Corporis Chriſti in hoc Sacramento, quam Chriſtus diuino ſuo ore aſſeruit dicens, *Hoc eſt Corpus meum*, negetur: & inſtitutio huius poteſtatis illis verbis; *Hoc facite*, promulgata exterminetur. Qua enim poteſtate Chriſtus in vltima cœna fecit panem eſſe Corpus ſuum; eâdem Apoſtolis faciendum tradidit in ſui commemorationem.

ratiocinatione ſtolidiſſima

Nam quod ait Zaborouius Corpus Chriſti, cùm ex puriſsimo Beatiſsimæ Virginis ſanguine operatione Spiritus ſancti creatum ſit, non poſſe ex pane confici: id per ſe ita inſulſum & ineptum eſt, vt refutatione non egeat. Non enim dicimus Corpus Chriſti iterum confici, quaſi ex non exiſtente exiſtens fiat, & ſecundùm ſuam ſubſtantiam producatur: ſic enim ex Beatiſsimæ Virginis ſanguine ſemel productum à Spiritu ſancto ſcimus. ſed dicimus confici, quo ad eam quam in Euchariſtia habet exiſtentiam ſeu præſentiam: vt cùm in cœlo ſibi connaturali modo exiſtat: in Euchariſtia quoq; modo ſupernaturali & diuino ſimul exiſtat. ad quod productione noua ſubſtantiæ opus non eſt, ſed adductione. Vnde licèt diuina virtute fieri non poteſt, vt id, quod iam exiſtit, producatur iterum: tamen id quod exiſtit in vno tantùm loco, vt alibi quoq; ſimul exiſtat, id ſine vlla implicatione contradictionis diuina virtute fieri non repugnat.

Ait deinde, ſecundùm phraſim Sacramentalem concedi poſſe confici à nobis Corpus Chriſti, id eſt, Sacramentum ſeu ſignum Corporis Chriſti: eam què conficiendi poteſtatem Miniſtros Euangelicos habere. Verùm ſi phraſim Sacramentalem vocet eam, quæ ſenſum tantùm ſignificatiuum continet: ſic non eſt neceſſe omnia, quæ de Sacramentis dicuntur accipi ſenſu & phraſi Sacramentali, id eſt ſignificatiuè. Multa enim dicuntur de Sacramentis eſſentialiter & verè, non ſignificatiuè. vt quòd Baptiſmus conſtat verbo & elemento, verum eſt realiter & eſſentialiter, non ſignificatiuè: neque enim Baptiſmus ſignificat aquã, ſed eſt ipſa aqua. Quocirca neq; in Euchariſtia, cùm dicitur panis eſſe Corpus Chriſti, neceſſe eſt ea verba accipi ſenſu & phraſi Sacramentali, hoc eſt ſignificatiuè: cùm verificari poſſint & debeant in ſenſu eſſentiali: nec vllum indicium ſit ſenſus ſignificatiui. Nam etiamſi panis ſit Sacramentalis: tamen de pane Sacramentali multa dici poſſunt eſſentialiter: non ſignificatiuè. ſicut & Baptiſmus licet ſit Sacramentum, tamen multa de eo dicuntur non Sacramentaliter ſeu non ſignificatiuè.

Phraſis Sacramentalis dupliciter dicitur. 1.

2. Si verò phraſis Sacramentalis vocetur ea, quæ conuenit Sacramentis, tunc non ſolùm quod dicitur ſignificatiuè, ſed etiam quod eſſentialiter, dicetur

cetur

cetur phrasi Sacramentali. quare & Panis dicetur Corpus Christi phrasi Sacramentali, etiamsi non significatiuè sed essentialiter sit Corpus Christi. *Sed hæc nil pro Zaborouio. Christi enim verba essentiam ostendunt.*

Et sanè Christus Dominus illis verbis; *Hoc est Corpus meum*, essentiam panis illius quem dabat ad manducandum explicare voluit: nempe, quod non aliam quàm Corporis ipsius essentiam haberet; quippe qui benedictione cœlesti hanc essentiæ mutationem esset adeptus. Quod adeò vrsit
S. Paulus *1. Cor: 11.* vt eos, qui in hoc pane *non diiudicarent Corpus Domini*, 1.
& ea, qua Corpus ipsum Domini, reuerentia & animæ puritate illum non 2.
sumerent, iudicium & condemnationem sibi acquirere pronuntiauerit. Neque enim signum Corporis eos diiudicare voluit, sed ipsum Domini Corpus. Nam signa Corporis Domini non requirunt eam conscientiæ puritatem; vt qui ea in peccato mortali tractat, citra contemptum iudicium & condemnationem illico acquirat. vt in manducatione Agni Paschalis, Mannæ, & sacrificiorum legalium, quæ erant typi & figuræ Christi, manifestum est. At qui hunc panem cœlestem in peccato, ac proinde *indignè manducat*, etiam citra contemptum, *iudicium sibi* teste Paulo *manducat*: quia *non diiudicauit* in eo *Corpus Domini*; neque cum ea puritate quam Corpus Domini requirit ad manducandum accessit. Signa Corporis Christi multa fuerunt
in veteri lege: & quidem pane simplici præstantiora (magis enim Manna & 3.
Agnus Paschalis significabat Christum, quàm panis simplex) non igitur signa nuda voluit nobis Christus relinquere, sed quid diuinius, nempe ipsum Corpus suum signis illis contentum. Alioqui, si nihil aliud quàm signum esset, esset hoc Sacramentum Sacramentis legis veteris longè inferius: longè enim nobilius erat signum Christi Manna de cœlo descendens, & Agnus Paschalis, qui etiam passionem Christi magis repræsentabat, quàm panis simplex.

Adhæc, si Eucharistia non est nisi signum & memoria Corporis Christi, potestatem Eucharistiam conficiendi omnes prorsus haberent, quotquot panem in memoriam passionis Christi acciperent: neque Ministri peculiare aliquid in conficienda Eucharistia haberent, quod non esset cæteris fidelibus commune: cùm tamen solis Apostolis hoc munus cōmiserit Christus, illis verbis; *Hoc facite*: ipsosque solos *Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei* agnoscat S. Paulus *1. Cor: 4*. 4. *Eucharistiā Euangelicam quiuis potest consecrare.*

Neque refert quod ait Zaborou: quòd apud ipsos non fiat copia ministrandi Baptismi & Eucharistiæ, nisi Ministris. nam inprimis hic de conficienda non de administranda Eucharistia agimus. Deinde, si Ministri nihil præ alijs peculiare habent, omnes æquè erunt Ministri, etiam mulieres & pueri. & immeritò alijs ministerij munus denegabitur, si parem cum Ministris po- *omnes quē sunt Ministri, & fœminæ & pueri.*

stris potestatem habeant. Quinetiam, si Christus solis Apostolis eam potestatem concessit, idipsum argumento est Apostolis aliquid peculiare tribuisse, quod alij præstare non possint. alioqui, quod omnes alij possent, ad Apostolos non restrinxisset. Nec est, quod nobis Ioannem VIII. fœminam, per calumniam objiciat, quæ in Pontificatu per biennium Sacramenta administrauerit. nam hæc & putida fabula est: & millies à nobis confutata: & præterea hic non quærimus quid per abusum aliquando acciderit (sicut enim hæreses ita & abusus oportet esse) sed quid de iure fieri possit ac debeat. Nos igitur ostendimus apud Euangelicos ex ipsorum sententia, fœminas parem iure diuino potestatem Sacramenta conficiendi habere, neq; Ministros peculiare quid præ fœminis in eo negotio sibi vendicare (sola enim memoria passionis super panem facta conficit apud ipsos Eucharistiam, quod omnes possunt) ac proinde fœminas apud ipsos de iure Ministros esse. Id verò apud nos non accidit, qui Ministris peculiarem Sacramenta conficiendi & ministrandi potestatem, qua cæteri carent, ipsi verò eam in Ordinatione ex Christi institutione accipiunt, tribuimus: eamque characterem Sacerdotalem nominamus: & ea potestate Ministros à cæteris secernimus. idquè præcipuè in Eucharistia agnoscimus, in qua diuinum quid & omnem humanam superans potestatem confitemur, nempe Corporis Christi supernaturalem in ea præsentiam, quam nulla humana vel Angelica facultas ex se exhibere potest.

& hoc nō abusu, sed necessariò ex dogmate eorū sequitur.

Ridet hanc potestatem hæretico more Zaborou: cùm eam refutare non possit: nosque appellat creatores nostri Creatoris. quod secundùm sermonis proprietatem falsum esse dicimus. Fieri enim præsens & adduci, non produci, multò minùs ex nihilo creari, Corpus Christi in hoc Sacramento docemus. Quodsi non nemo eo dicendi modo vsus est: is agnosci voluit improprium & per exaggerationem loquendi modū, & non nisi in sensu à se intento accipi debere. cùm qué eo dicendi modo Ecclesia nō vtatur, priuati auctoris dicendi modus toti Ecclesiæ præiudicare non debet.

Calumniosè nos creatores Creatoris vocant.

Cùm verò doceo longè maiorem hanc potestatem esse, qua Corpus Christi in Eucharistia exhibetur, illa, qua Iosue Solem voce sua consistere fecit, *obediente Deo voci hominis Iosue 10. 13.* ait malè à me citari scripturam: cùm Tigurini verterint *Exaudiente* non *Obediente*. Quasi verò Tigurini Hæretici nobis sint lex. aut quia illis ita vertere placuit, omnes alij qui aliter vertendum semper putauerunt, malè vertisse censendi sint. At ne ipsi quidem Tigurini aliam versionem damnârunt. Quodsi alterutra damnanda esset, illis potiùs, qui à communi & antiquissima versione recesserunt, ea damnatio deberetur. Vtrumque enim vox Hebræa *shema* significat. Neque

Maior tamē vis consecrationis Eucharistiæ, quàm Iosuanū solstitium.

vero

verò Deus obedire homini dicitur propter imperium sed propter suam bonitatem, quâ *facit voluntatem timentium se*. Et sicut Iosue dicitur locutus Domino ex magna confidentia præcipiendo; *Sol contra Gabaon non mouearis*: ita & Deus ex magna sua bonitate dicitur voci serui sui obedisse, ita vt rectè vox *shema* potius per *obedire* quàm per *audire* sit conuersa, vt responderet voci Iosue præcipientis, & vis diuinæ bonitatis, quâ se seruorum suorum voluntati accommodat, tantò magis appareret. Quanquam vtrauis versio admittatur, nostra comparatio vim & robor obtinet: nempe id quod fit in Eucharistia, maioris esse potestatis, quàm illud quod à Iosue factum legimus. Nam quum ait Zaborou. illud à Iosue esse factum Scripturam testari, hoc verò minimè. fallitur. Etenim Christus diuino suo ore hoc esse suũ Corpus abundè testatus est. Non igitur, quòd Scriptura id non testetur, sed quod Scripturæ clarissimè testanti credere nolunt Euangelici, existimant id Scripturam non docere.

At inquit, nos Christi Corpus deuocare de cælo in terram: quod Scriptura fieri negat. *Act. 3. 21. Oportet*, inquiens, *Christum cœlo capi ad tempora restitutionis omnium*. Verùm neq; nos Corpus Christi de cœlo deuocamus: cùm is deuocari propriè dicatur, qui priorem locum relinquere iubetur. quod nos de Christo non credimus: neque Zaborouius locum Scripturæ fideliter citauit, sed vti est falsificatus à Beza. Græcè enim actiua significatio est, non passiua: *Oportet Christum cœlum suscipere* seu *accipere* δεῖ τὸν οὐρανὸν δέξασθαι non verò cœlo capi. quod & Beza concedit. sed ait se ad magis premendos ex eo loco Catholicos ita vertisse. Scilicet id erat fidelis Scripturæ interpretis verba Scripturæ immutare atq; peruertere, vt aduersarijs incommodaret magis. Sed admissâ hac etiam versione, nihil ex hoc loco contra realem Christi præsentiam concluditur. Non enim ita Christum dicimus esse in Eucharistia, vt cœlum deserat: sed vt in cœlo quidem secundùm suam visibilem præsentiam qua in cœlũ ascendit permaneat; in Eucharistia autem simul vera at inuisibili præsentia existat. Locus verò citatus primum solùm dicit, secundum non negat.

Non deuocãdo Christum de cœlo.

F.

Beza fassus interpretem oraculorum sese falsum.

Implicare ait id contradictionem. quia, vt inquit Augustinus, Corpus Christi vno loco esse oportet, veritatem autem eius vbique diffusam esse. Verùm hic rursus proclamo Zaborouium falsatorem Sanctorum Patrum esse. Nam quod Augustinus dicit, *Corpus Christi vno loco esse potest*: ille citat Corpus Christi vno loco esse oportet. Quousque te feram, Zaboroui, tam impudenter loca Patrum corrumpentem? Ostendis sanè te in arte falsandi ita versatum, vt te nemo superet. & etiam me iã fatigasti tuas falsitates toties deprehendentem & adnotantem. Deinde Augustinum non solùm falsò citat, sed

Non est cõtra nos Augustinus falsò citatus: F.

& ineptè.

cat, sed & inepte. Nam ad probandam contradictionis implicationem ea verba citat, in quibus nihil Augustinus de implicatione contradictionis loquitur. Solùm enim dicit Corpus Christi vno in loco esse posse, non autem dicit non posse esse in pluribus locis: neque id implicare contradictionem. Imo contrarium expresse idem S. Pater docet: cùm ait; *In specie panis Dominum oculis apparere mortalium. 3. Trinit. c. 10. id qué fieri operante inuisibiliter Spiritu Dei. 3. Trinit. c. 4.* vbi etiam eam operationem inter cætera miracula connumerat. & *9. Confess. c. 13. Carnem Christi* vocat *victimam sanctam, quæ in altari dispensatur: & à nobis fideli corde & ore suscipitur,* vt ait; *2. contra Aduersar. Legis & Prophetarum c. 9. eumq; Sanguinem fideles ore percipere, quo redempti sunt, 12. contra Faustum cap. 10.* Si igitur secundùm Augustinum Corpus Christi existit in specie panis operante id Spiritu sancto: si existit in altari tanquam victima oblata: si non solùm fideli corde sed & ore percipitur: quis non videt Augustinum non negare Corpus Christi non solùm in cœlo esse, sed etiam in terra? nempe in specie illa panis in altari, in ore sumentium? atq; ex consequenti Zaborouium infideliter & contra omnem Augustini mentem, verba ipsius producere?

imò contra mentem suã.

Ad miraculum, inquit, confugitis. Proculdubio, Zaboroui, præsentia Corporis Christi in Eucharistia non est vllius naturalis potestatis, sed supernaturalis & diuinæ. Quocirca & Chrysostomus in *lib. 3. de Sacerdotio Miraculum* exclamat. & Augustinus inter maxima miracula id quoq; recenset: & solius Spiritus sancti virtuti inuisibiliter operanti adscribit. Supra naturã enim fit, quicquid fit in Sacramentis: siue gratia, quam Sacramenta conferunt; siue mirabilis illa panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi conuersio.

Miraculum in Eucharistia Catholica non euangelica.

Petit verò Zaborouius se ab vna difficultate expediri, qua totum hoc negotium confici putat. Corpus, inquit, Christi vnde proditurum est ad iudicium, è cœlo ne, an ex speciebus quæ sunt super terram? Ego, inquit, simplicissimè iuxta Symbolum credo *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Nimis inepta est tua simplicitas, Zaboroui. Nam si putas tempore extremi iudicij Christum sub speciebus in Eucharistia futurum, erras. nullæ enim tunc erunt species, nulla Sacramenta. cùm omnia abolebuntur & cessabunt. Si verò non putas tunc Christum sub speciebus Sacramenti futurũ; inepte petis an ex speciebus proditurus sit ad iudicium. cùm nemo nisi stultus existimare possit inde aliquem proditurum vbi non est. Sed etsi daremus tibi tempore iudicij Christum sub speciebus existentem, non tamen nisi inepte potes dicere Christum à speciebus venturum ad iudicium. Inde enim venire dicitur, vbi conspicuâ ratione antè apparebat: non inde vbi

Stolida quæstio an Christus venturus sit ad iudicium è Sacramento. 1.

2.

modo,

modo inuisibili existebat. Sume exemplum: Filius Dei dicitur venisse de cœlo in terram, quia etsi diuinitate sua in terra quoq; esset, tamen in terra erat inuisibilis, in cœlo visibilis. & ideo de cœlo tanquam ex eo loco in quo visibilis erat dicitur descendisse. de terra autem, in qua inuisibilis erat, non dicitur descendisse aut venisse. Pari ergo ratione dici debet venturus ad iudicium non de Sacramento, vbi inuisibiliter existit; sed de cœlo vbi se visibilem exhibet. Totus ergo ineptus es, Zaboroui, cùm tam ineptè obijcis.

Iam cùm Chrysostomum adduco, qui tanquam miraculum suspicit eam Dei benignitatem; quòd *qui cum Patre sursum est, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur 3. de Sacerdotio.* Et in *homil: 60. ad populum Antioch. Quo non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc diuidentem? os quod igne spirituali repletur? linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. quod Angeli videntes horrescunt, neq; liberè audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur.* *Chrysostomus agnoscit in Sacramento miraculum maximum.*

Respondet Zaborouius. Chrysostomum hyperbolicè locutum ad excellentiam tanti Sacramenti demonstrandam. Ita respondere debent, qui non habent quod respondeant, qui q; quod non credunt hyperbolem vocat. Nobis sanè, qui cùm Chrysostomo veritatem Corporis Christi in Eucharistia credimus, nulla est hyperbole, sed ipsissima veritas. Licèt enim non immediatè, mediantibus tamen speciebus verè Corpus Christi manibus omnium pertractatur: & linguæ Sanguine Christi rubescunt: non quidem ad sensum, verè tamen, quia verè Sanguine Christi perfunduntur sub vini specie. sicut & Deus in forma hominis verè dicitur crucifixus & mortuus. *neque id hyperbolicè.* 1.

Adhæc quàm incredibile est Chrysostomum hyperbolicè locutum, cùm in eo, quod Christus ad dexteram Dei sedens in terra manibus contrectatur, agnoscat miraculum, & Dei miram benignitatem? nunquid enim tribui potest miraculo id, quod suprà veritatem est? aut in eo, quod veritatem excedit, mira Dei benignitas apparere dici potest? Non igitur hyperbolicè, sed verè loquitur Chrysostomus. Nam si de signis tantùm loqueretur: nullum esset miraculum Christo in cœlo existente signum eius esse in terra, neq; tam miranda esset Dei benignitas, quòd cùm in cœlo sit, signum suũ habeat in terris. Illud verò est admirandum, quòd cùm ad dexteram Dei sit in cœlis, non dedignetur ita esse in terris, vt manibus omnium contrectetur. 2. *sed non de signo.*

At inquit Chrysostomum multa alia hyperbolicè dixisse. quale est illud 1. *Corinth. cap: 10. Quod non passus est*, inquit, *in cruce, patitur in hac oblatione: nam patitur se confringi.* Verùm in hoc quoque nulla hyperbola. de

vera enim fractione sub specie panis loquitur Chrysostomus, quæ in cruce Christo non contigit, hic verò contingit. Nam licèt in seipso non frangatur, frangitur tamen in speciebus: quod ea denominatio ratione specierum in quibus existit ei competat. sicut & Deus ratione humanæ naturæ dicitur mori: non quòd diuina natura destruatur; sed quòd ea denominatio ratione humanæ naturæ ipsi conueniat. Quemadmodum & Angeli, qui in sua substantia nec videri nec tangi possunt, in assumptis tamen corporibus verè videbantur: tangebantur: hospitio excipiebantur.

Verè frangitur Christus in specie aliena.

Cùm verò Zaborouius addit Chrysostomum in *homil: 11. in Matth.* docere, non esse verum Christi Corpus in vasis sanctificatis, sed mysterium Corporis Christi: multis modis labitur. Nam inprimis falsò tribuit Chrysostomo homilias illas, quas doctorum virorum consensione constat non esse illius. vti etiã Erasmus *in Præfatione*, & Petrus martyr, fatentur. Deinde homiliæ illæ scatent multis erroribus & hæresibus: vnde nullius sunt auctoritatis. Denique locus ille à Zaborouio citatus suppositititius est: cùm & in veteribus exemplaribus non extet; & ad rem, de qua ibi agitur, non pertineat. Est enim ibi sermo, non de vasis Eucharistiæ, sed de vasis sacris, quæ ex templo Salomonis abstulerat Balthasar Rex. de qua re plura Sixtus Senensis 4. *lib: Bibliot. sanctæ.*

Malè citat Zabor. Chrysostomum.
1.
2.
3.
4.
F.

Cùm verò citat ex epistola Chrysostomi ad Cæsarium, naturam panis post sanctificationem manere. primùm dicimus, nullam talem inter epistolas Chrysostomi reperiri. Et quamuis admitteretur: verba illa exponi debent de natura accidentium, seu de natura panis quæ manet in accidentibus eius; non verò de natura substantiali. Nam alioqui mens Chrysostomi clarissima est, cùm *homil: de Euchar.* in Encænijs disertè docet substantiam totam panis consumi substantia Corporis Christi. idq; exemplo ceræ igni iniectæ cõprobat. *Quemadmodum enim*, inquit, *cera igni adhibita illi assimilatur: nihil substantiæ remanet: nihil superfluit: sic & hîc, puta mysteria cõsumi Corporis substantia.*

citat iterum quod non est in Chrysostomo.

CAPVT II.

Luterani & Caluinistæ ex verbis illis; Hoc est Corpus meum, erroris conuincuntur.

Contendit porrò Zaborouius probare, nos ex verbis illlis; *Hoc est Corpus meum*, non posse Caluinistas & Luteranos erroris conuincere. Age experiamur.

periamur. Caluinistæ asserunt ea Christi verba dicta esse de pane; panis autem cùm propriè & essentialiter non sit Corpus Christi: necesse est tropicè & impropriè, hoc est significatiuè solùm esse Corpus Christi: & ideo dici Corpus Christi, quia est signum Corporis Christi. Hæc illi. *Expositio hæreticorum.*

Nos contra; docemus verba Christi dicta esse de pane benedictione mutato in Corpus Christi. At panis benedictione mutatus est propriè & essentialiter Corpus Christi. Ergo verba Christi propriè & essentialiter, non significatiuè, sunt accipienda; ita vt declarent, essentiam illius panis benedictione mutati non esse aliam, nisi essentiam Corporis Christi. Quamuis enim panis materialis, manens materialis, non sit essentialiter Corpus Christi, cùm diuersam essentiam ab essentia Corporis Christi habeat: tamen panis benedictione mutatus in Corpus Christi essentialiter est Corpus Christi. Sicut aqua benedictione Christi mutata in vinum essentialitet erat vinum, non aqua. *Catholicorũ.*

Et verò panem benedictione fuisse mutatum in corpus Christi manifestum est. Quia legimus Christum benedicendo dixisse; *Hoc est corpus meum* eamq; benedictionem spectasse non ad Deum, sed ad panem, Paulus testis est cùm in simili de calice ait; *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonnè commnnicatio Sanguinis Christi est? 1.Cor: 10. 16.* vocat calicem benedictionis, id est benedictum (phrasi Hebræa) idque magis explicat, *cui benedicimus*: scilicet Christi exemplo, & præcepto. Effectus porrò benedictionis huius est, vt sit Sanguis Christi. Sicut autem vinum benedictione mutatum est in Sanguinem Christi: ita & panis simili benedictione mutatus est in Corpus Christi. *& pro hac Paulus.*

Et sanè si panis ille debebat tantùm mutari in signum Corporis Christi, non in ipsum Corpus Christi; benedictione non fuit opus, sed sola institutione: sicut in omnibus aliis signis manifestum est. Nam nec agnus Paschalis benedici debuit, vt esset signum & figura Christi: nec manna: nec sacrificia legis veteris: sed ex sola institutione diuina habuerunt, vt essent signa & typi Christi. Imò nec Baptismo, qui est signum mortis, Christum legimus benedixisse: sed solùm voluntate instituisse, vt esset nouæ legis Sacramentum & signum. Hinc igitur concludo, non eo fine Christum benedixisse panem, vt esset signum Corporis sui: ad hoc enim institutio sola, sicut in omnibus alijs signis, satis erat: sed vt esset verè, propriè: & essentialiter Corpus ipsius. hoc enim sine benedictione & omnipotentia diuina esse non poterat. *alioqui benedictio non necessaria erat.*

Neque verò euadere possunt Caluinistæ, si dicant benedictione factum esse, vt esset signum efficax fructum Corporis Christi nobis communicans. Nam, vt omittam Baptismo Christum non benedixisse, quem tamen con- *quæ non ad efficacitatem signi adhibita*

stat esse signum efficax: id solùm dico; panem Eucharisticum ideo nobis Corporis Christi fructū cōmunicare, quia est Corpus Christi: priusque benedictione mutari in Corpus Christi; tum deinde, tanquam verum Corpus Christi, veros effectus Corporis Christi nobis communicare: primariumq; effectum benedictionis eum esse, vt panis ille efficiatur Corpus Christi: tum ex eo, non noua aliqua benedictione, sed virtute prioris benedictionis consequuntur effectus seu fructus Corporis Christi. Non enim Corpus Christi eget noua benedictione ad effectus suos nobis cōmunicandos. Quocirca neq; panis, pòstquam benedictione id assecutus est vt esset Corpus Christi, eget alia benedictione ad efficacitatem seu efficientiam in nobis fructuum suorum. Ex quo etiam patet, benedictionem qua pani benedixit Christus fuisse illam, quæ his verbis, *Hoc est Corpus meum*, continetur. Hanc enim illi benedictionem impertiuit, quòd illum diuino verbo suo fecerit Corpus suum.

certis verbis.

Vides né, Zaboroui, quàm rectè Caluinistas verbis Christi stringimus, cùm proprium illorum sensum vrgemus? à quo cùm nunquam, nisi manifesta postulet necessitas, recedere liceat; summam Caluinistarum temeritatem esse oportet, quando ad improprium & significatiuum sensum proprio relicto confugiunt. Quod si adhuc dubitent verba Christi in proprio sensu conuenire pani Eucharistico posse; secum reputent: si Christus aquam in Chana Galileæ conuertisset in vinum illis verbis *Hoc est vinum* (quod Christum potuisse facere nemo negauerit, nisi qui potestatem verborum Christi non credit) tūc ea Christi verba eo planè proprio & essentiali sensu de aqua mutata in vinū verificarentur, quo de pane Eucharistico in Corpus Christi benedictione mutato dicimus verificari.

Paulus addit quæ signo nō conueniunt.

Adhæc Caluinistas clarè coarguit Paulus docens Eucharisticum panem non tanquam Corporis Christi signum, sed vt verum Corpus Christi esse iudicandum; & ea puritate conscientiæ sumendum, sicut verum Corpus Christi sumi debet; ita vt indignè & in peccato sumentes rei fiant Corporis & Sāguinis Domini, & iudicium sibi manducent & bibant, quia non diiudicàrunt Corpus Domini. Hæc enim signis Corporis non conueniunt. vti paulò antè docuimus.

Euasio insulsa Zarorouianorum.

Insulsum verò est quod aiunt; imagini illatam iniuriam in eum cuius illa imago est redundare. Vti enim id verum est, cùm quis eo fine vt iniuriā irroget aliquid in imaginem admittit: ita minimè verum, si alio fine, quàm iniuriam irrogandi, imaginem laceret & destruat. Hic verò, quicunque Corpus Christi in peccato manducat: etiamsi non eo fine vt iniuriam inferat manducet, iudicium sibi manducat, & reus efficitur Corporis Domini: quia

ni: quia non diiudicauit illud esse verum Domini Corpus. Non igitur Eucharistia est solùm veluti imago & signum Corporis Christi, sed ipsum Christi Corpus. Hoc enim est, in Eucharistia non diiudicare Corpus Domini, ita illam sumere, ac si non esset verum Corpus Domini.

Iam venio ad Luteranos: qui quatenus cum pane in pane sub pane dicunt esse Corpus Domini, verbis Christi in hunc modum conuincuntur. Nemo enim non videt aliud esse in pane, cum pane, sub pane esse Corpus Christi: aliud panem esse Corpus Christi; ita vt nec ista inter se sint idem, nec vnum ex altero sequatur. Dicimus enim animam esse in corpore, vinum in dolio, pecuniam in marsupio: neq; tamen dicimus propter talem inexistentiam vnius in altero vnum esse alterum propriè loquendo. nam nec corpus dicimus esse animam; nec dolium esse vinum, nec marsupium esse pecuniã. Cùm igitur Christus non dixerit hic est Corpus meum, nec cùm hoc, aut sub hoc Corpus meum, sed *Hoc est Corpus meum;* longè quid diuersum ab illis tribus dixisse censendus est: cùm illa tria non sufficiant ad hoc, vt vnum propriè dicatur aliud. Nam si impropriè dici velint: iam & à proprio verborum sensu sine necessitate recedent, & ad castra Caluinistarum (quæ execrantur) se transferent, qui tropicè & impropriè verba Christi exponunt, Corpus pro signo Corporis accipiendo.

Luterana expositio falsa.

At inquit Zaborouius non etiam dixisse Christum sub his speciebus est Corpus meum. Fallitur. Quia particula *Hoc* nihil aliud indicat, nisi id quod est sub speciebus panis. Non enim particula illa designabat species ipsas (accidentia enim panis non erant Corpus Christi) sed id quod sub illis accidentibus & speciebus erat, scilicet substantiam speciebus contentam: nam substantia demonstrabatur, non accidens. Cùm igitur hoc dixerit Christus esse Corpus suum: consequens est dixisse illam substantiam sub illis speciebus contentam esse Corpus suum.

Nostra expositio particula hoc *indicatur.*

Porrò cùm Luterani velint hoc esse verè & propriè Corpus Christi: id in nullo alio quàm essentiali sensu verificari potest. Res enim quæ sunt & essentijs & suppositis diuersæ, non possunt de se ita affirmari, vt vna dicatur altera: nulla siquidem vnitas facit rem vnam esse alteram, nisi vel sit vnitas suppositi, vel vnitas essentiæ. sic enim Deum hominem dicimus esse vnum, propter vnitatem suppositi in Christo: Patrem verò, Filium, & Spiritum sanctum esse vnum Deum propter vnitatem essentiæ. Cùm ergo inter panem & Corpus Christi non sit vnitas suppositi, vti per se manifestum est (alioqui panis esset vnitus hypostaticè Christo) sequitur debere esse vnitatem essentiæ, ita vt essentia panis benedictione mutati non sit alia, quàm essentia Corporis Christi.

Luterani aut nobiscum sentiant oportet:

aut sibi contradicant vt & cõtradicũt mille expositionibus.

Quodsi hoc non concedatur, vti non concedunt Luterani: nullo modo poterunt dicere proprie panem esse Corpus Christi. quod vel ex eo patet, quod cùm hactenus mille modos quæsierint vnionis Corporis Christi cum pane; nullum tamen cui prorsus acquiescerent inuenire potuerunt. Nam quod quidã dixerunt esse modum soli Deo cognitum, ij diuinare non respondere videntur. Vnde enim illis cõstat Deũ scire talem modũ vnionis inter duas substãtias qui nec sit vnitas suppositi, nec vnitas essentiæ? præter hæc enim duo, nihil est in re, in quo possit fieri vnio. Alij vero, quibus applaudere videtur Zaborouius, prodigiosam vbiquitatem Corporis Christi introducunt. Quia enim Corpus Christi est vnitum hypostaticè VERBO, VERBVM autem est vbique, inferunt isti Corpus quoq; Christi esse vbique: quodsi vbique, ergo & in pane Sacramentali. Verùm nihil ineptius & improbabilius excogitari poterat. Ea enim vbiquitas, vt nihil aliud dicam, totam Sacramenti rationem euertit. Nam non ex institutione Sacramentali, sed ex vnione cum VERBO citra omnem institutionem esset præsentia Corporis Christi in Sacramento; ita vt non illa verba Christi quibus hoc Sacramentum instituit, *Hoc est Corpus meum*, sint causa præsentiæ Corporis Christi in Sacramento: sed vbiquitas, quæ ex vnione hypostatica cum VERBO consurgit. Neq; magis in pane esset Corpus Christi, quàm in omnibus alijs cibis. Deinde si Corpus Christi esset vbiq;: esset extra panem, & extra Sacramentum. Nulla igitur esset necessitas panis Sacramentalis. posset enim edi æque verè ac propriè in alijs cibis, sicut in pane. Insulsa enim est illa Luteri responsio: esse quidem alibi, sed in solo pane capi posse. Sicut enim, quia in pane est, in pane editur & capitur: ita quia in alijs cibis est, in alijs quoque cibis editur & capitur.

Zaborouius Vbiquitanis applaudit.

quorum sententia rationem Sacramenti euertit.

1.

2.

3.

non esset ratio cur in solo pane ederetur, si vbique esset.

At verbum Dei, inquit, ostendit in pane quærendum, edendum, & capiendum esse Corpus Christi. Ineptè sanè. Si enim verbum Dei ostendit Corpus Christi esse vbique: consequenter ostendit vbique illud quæri, edi, capi posse. sicut enim in pane quæri & capi potest, quia ibi est, ita & in alijs cibis. Quodsi verbum Dei in solo pane quæri & capi Corpus Christi ostendit: argumento est extra panem in alijs cibis non esse: si enim esset, ibi quoque quæri & capi posset. nam & Fide credi vbique potest & adorari, & ex consequenti capi (credere siquidem est capere) & ore sicut in pane ita in alijs quoq; cibis sumi & edi posset. frustra què Christus panem instituisset symbolum Corporis sui, si omnes alij cibi æquè essent symbola idem continentia.

4.

Quodsi dicant effectum & energiam Corporis & Sanguinis sui solùm symbolis panis & vini alligasse: hinc sequetur ea symbola non differre ab alijs in

lijs in ratione substãtia & Sacramenti, sed in effectu dũtaxat. ac proinde æquè alij cibi essent Sacramenta Corporis Christi: quia æquè continerent Corpus Christi. licèt non æquè effectus illius operarentur in nobis. quod longè absurdissimum est. quoties enim (vt alia taceam) indignè & irreuerenter Corpus Christi sumeretur à nobis in quibusuis cibis contra præceptum Pauli?

aut hoc symbolum non differet ab alijs in ratione Sacramẽti. 5.

Adhæc euerteretur etiam vsus huius Sacramenti. quia Corpus Christi verè edi à nobis non posset. Id enim quod editur mouetur ab ore ad stomachum. At quod vbique est moueri non potest. cùm & locum priorem deserere non possit. cessaret enim esse vbique: & locum nouum acquirere: quia si in eo antè non fuisset: non vbique fuisset. Suppositio igitur vbique esse moueri non poterit? ac proinde non manducari. Nam eam etiam ob causam Deus, quamuis sit omnibus rebus, moueri vnà cum rebus non potest, multò minùs manducari: quia nimirum est vbique, nec habet quem locum deserat quem acquirat; sine desertione autem vnius loci & alterius acquisitione motus localis ne intelligi quidem potest.

omnino Corpus Christi edi non posset.

Denique id, cuius gratia totum hoc monstrum vbiquitatis confictum est, ex vbiquitate nullum præsidium habet. Nam licet propter vbiquitatem Corpus Christi esset etiam in pane: non tamen propterea panis esset Corpus Christi. Sicut nec propter vbiquitatem Dei in omnibus rebus omnes res sunt Deus. Non igitur ex vbiquitate, neque ex vnione per vbiquitatem possunt ostendere Luterani panem dici posse Corpus Christi.

7. *vbiquitas nõ faceret panẽ Corpus Christi.*

Quàm verò absurda consecutione collegerint vbiquitatem Corporis Christi ex vnione cum persona VERBI, quæ est vbique: id vel exemplo animæ rationalis perspicuum est. Neque enim, quia caput vnitur animæ, necesse est illud existere vbicunque fuerit anima: alioqui existeret in pedibus; cùm anima eadem numero ibi quoque existat. Quocirca neq; Corpus Christi necesse est vbique existere, quia persona VERBI cui ipsum vnitum est vbique existit.

Luterana sententia caput hominis est pes, aut in pede.

Verùm nos quoque vbiquitarios esse ostendere nititur Zabor. Si, inquit, Corpus Christi est multipræsens, quia in multis hostijs: omnipræsens sit necesse est. Quid ineptius? à multis enim ad omnia argumentari ineptissimum. Nũquid enim, si quis in multis prouincijs fuerit, eum in omnibus fuisse necessarium erit? Nam si dicat, ea ratione qua Corpus Christi est in multis simul præsens, esse quoque in omnibus; id minimè verum est. Quia quòd sit in multis hostijs præsens, habet hoc non ex natura sua, sed ex diuina operatione, & conuersione panis in Corpus Christi: quam operationem & conuersionẽ non est necesse esse vbique, sed vbi Deus vult. Quodsi causa præsentiæ Corporis Christi non est vbique, neq; præsentiam Corporis necesse est esse vbique.

Zaborouius nos Vbiquetarijs adscribit ridiculè. 1.

 Sed alio

Sed alio argumento rem vrget. Si enim Corpus Christi repleat totum spatium loci interiectum inter Eucharistias inter se, & Corpus Christi in cœlo: erit proculdubio vbique. Si verò non replet: ergo quot hostiæ consecratæ, tot erunt diuisa & multiplicata Corpora Christi. Verùm neutrum rectè à Zaborouio infertur. Non primum: quia etsi repleret totum interiectū spatium, non idcirco repleret omnia spatia; quia darentur alia spatia non interiecta, quæ non replerentur Corpore Christi. & sic non sequeretur Corpus Christi esse vbique, sed tantùm in omnibus illis locis interiectis, non verò absolutè in omnibus locis. quanquam nec hoc sequitur, vt mox ostendam. Non secundum: quia ex diuisione loci non sequitur diuisio in substantia. Alia enim est diuisio substantiæ, alia loci. & licet naturaliter sequatur vna ex altera: vna tamen non est altera, & per Dei potentiam absolutam potest esse vna absq; altera. id enim non implicat contradictionem. Idem igitur Corpus indiuisum in substantia potest esse in pluribus locis diuisum à seipso loco, non substantia.

2.

F.

3. *Citat ex Thoma, quod non habet: reticet quod habet.*

Porrò cùm aducit pro se Aquinatem *in Supplemento q. 83. art 3.* pro more suo falsa Aquinati affingit. Neque enim is in illo loco vbiquitatis aliquam facit mentionem: neque ea verba quæ illi affingit habet. Quamuis autem neget ibi etiam per miraculum posse esse idem corpus in pluribus locis localiter, hoc est extensè, vt partes corporis respondeant partibus loci: fatetur tamen ibidem Corpus Christi in Sacramento esse non localiter. quod prudens tacuit Zaborouius, ne Aquinatis testimonio seipsum iugularet.

Absurditas consecutionis Zaborouianæ.

En igitur quàm egregiè probas, non tam nos vbiquitarios esse, quàm te inopem omnis rationis & probationis esse. quod & in sequentibus argumentis demonstras. Probas enim panem in Eucharistia ideò manere. quò de eo quod accepit Christus dixit, *Hoc est Corpus meum:* panem autem accepit: de pane igitur dixit. manet igitur panis. sed quàm ineptè concludis? Nonne etiam Christus cæco dixit, *Respice. Luc. 18. 42.* & Lazaro mortuo, *Lazare, veni foras. Ioan: 11.* nunquid inde concludes, cæcum post verba Christi mansisse cæcum, & Lazarum mansisse mortuum? Quin & domi tuæ non eris ita simplex, vt quia carnes crudas è macello ad edendum accepisti, contendas crudas quoq; esse debere, cùm tibi ad edendum proponuntur. Disce igitur id quod accipitur, si acceptum benedictione mutetur, non debere manere id quod antè fuit: imò necesse esse nō manere illud, sed in aliud commutari. Hic porrò panem materialem accepit quidem Christus; sed illum benedictione mutauit: & fecit esse Corpus suum. Hanc autem mutationem non fuisse accidentalem, sed substantialem, paulò antè probauimus. Non enim panem fecit esse signum Corporis sui, sed Corpus ipsum. Corpus

autem

autem est substantia, non accidens. Non igitur sequitur panem post consecrationem manere. sed potiùs sequitur non manere. sicut nec mansit aqua in vinum permutata: nec Lazarus mansit mortuus ex mortuo in viuum voce Christi mutatus.

Quocirca meritò Catholici Doctores negant in verbis Christi particulā *Hoc* significare panis substantiam: sed aiunt significare eam substantiam sub speciebus panis, quam Christus verbis suis esse dicebat & affirmabat, nempe corpus suum. Hoc enim tenebat manibus: hoc demonstrabat, quod dicebat esse corpus suum. Atqui non substantiam panis dicebat esse corpus suum; sed veram suam substantiam. Non igitur particula *Hoc* indicabat substantiam panis. Quamuis enim ante benedictionem teneret substantiam panis: tamen id quod post benedictionem tenebat, & demonstrabat in manibus suis, non erat nisi substantia Corporis Christi. Non igitur idem quod accepit, dixit esse corpus suum. sed aliud accepit, nempe panem materialem: aliud benedicendo fecit & verbis indicauit, nempe Corpus suum. *Argumentū Catholicorū.*

Neque vero cùm dicimus panem benedictum, hoc est benedictione mutatum, esse corpus Christi, panem materialem intelligimus. panis enim benedictione mutatus non est amplius panis materialis, sed corpus Christi; nec habet aliam essentiam nisi corpus Christi. est enim panis, sed cœlestis & diuinus, & non aliud quid, nisi Corpus ipsum Christi. *Panis consecratus non tā panis.*

Nam quod ait Zaborouius vocari panem qui frangitur: non alia auté substantia frangitur, nisi substantia panis (Corpus enim Domini non frangitur) manet igitur substantia panis: dissoluendum est in hunc modum. Panem illum quem frangimus, esse ipsum Domini corpus. quod disertis verbis Paulus *1. Cor: 11.* dixit pro nobis frangi τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. Conuenit autem illi frangi, non in natura sua, sed sub speciebus panis: sicut ratione specierum dicitur manducari. idq; siue frangi dicatur per diuisionem, siue per oblationem Deo pro nobis. *sed ipsum Corpus Christi, quod frangitur in specie aliena.*

Ait præterea non rectè afferri pro exemplo Transsubstantiationis mutationem aquæ in vinum. At afferunt eam SS. Patres. præcipuè S. Cyrillus Ierosolymitanus in sua Catechesi Mystagogica. At, *inquit*, illa mutatio fuit in vinum, quod non existebat antè: hæc autem statuitur fieri in corpus Christi, quod ante existebat. fieri autem mutationem aliquam in rem præexistentem nullo exemplo doceri potest. Itané verò, cùm de potestate Christi agitur, exemplum requiris? Ego verò a te in operibus diuinis & admirandis non exemplum, sed Fidem requiro. Crede verbis Christi dicentis, *Hoc est corpus meum.* & exemplo non egebis. Da enim mihi exemplum alterius mundi conditi; Dei incarnati: da exemplū & aquæ quæ corpus tangat, cor abluat: *Vini Chanæi exemplum aptum rei nostræ: & aliud similius absurdè poscit.*

 da exem-

da exemplum & aquæ in vinum mutatæ; dic an à sæculo sit auditum, *quòd quis aperuerit oculos cæci nati?* Nunquid ista sine exemplo non credes? Denique da mihi alteram Eucharistiam: & ego dabo tibi similis mutationis exemplum.

quo non sumus destituti ex nutritione animantis & ratione.

Verùm nec exemplum nobis deest, si exemplis tecum est agendum.
Exemplum est in nutritione hominis: in qua cibus, cùm conuertitur in hominis
substantiam, conuertitur in aliquid præexistens: anima enim rationalis
quæ est præcipua pars substantiæ hominis præexistebat. Neque vlla ratio
1. afferri potest, cur conuersio fieri non possit in aliquid præexistens; dummo-
2. do succedat in locum eius substantiæ, quæ dicitur in illam conuerti. Nam
3. etiam nouissimæ resurrectionis tempore conuersio fiet in propriam hominis
4. substantiam, quæ antè existebat. Accedit quod conuersio in terminum
præexistentem, cùm sit longè facilior, quàm in non præexistentem, si concedis
fieri posse conuersionem in rem non præexistentem, concedas oportet
multò magis in præexistentem: siquidem ibi terminus produci debet (quod
est difficilius) hic verò adducitur non producitur.

Discrimen vini Chanæi & transsubstantiationis.

Mutationem igitur illam aquæ in vinum in hoc similem esse huic nostræ conuersioni dicimus. quòd vtraque sit per destructionem præcedentis substantiæ, & successionem nouæ ex vi præcedentis destructionis. Differunt
1. autem, quòd illa est conuersio in id, quod antè non existebat, sed in ipsa conuersione productum est: hæc verò est in Corpus Domini præexistens, estquè conuersio adductiua non productiua. verè tamen est substantialis conuersio, quia fit per destructionem substantialem alterius substantiæ. Dif-
2. ferunt item, quod in illa cum substantia aquæ mutata sint omnia accidentia aquæ: in hac verò remanent omnia accidentia panis substantia solùm mutata. Ineptè verò hinc infert Zaborouius, si, inquit, accidentia panis sunt: panis ergo illorum subiectum. Non enim eo sensu dicuntur accidentia panis, quòd sint in pane tanquam in subiecto: sed quòd antè fuerint accidentia panis, nunc verò absque subiecto diuina virtute existant.

Ore manducandus Christus, non sola Fide. alioqui omnia conuiuia essent Sacramentum.

Tandem Fide manducandum esse Corpus Christi non ore docet Zaborouius, quia, inquit, Fidei non ori promissum est Corpus Christi. Quasi verò Christus, cùm daret Apostolis Corpus suum ad manducandum, non de oris manducatione sit loquutus. Quare & Paulus indignè manducantes pronuntiat reos Corporis Domini. quia non diiudicant Corpus Domini esse quod manducant. Certè indignè manducantes non Fide sed ore manducant. Quamuis autem non sine Fide Christus à nobis manducari voluit Corpus suũ: non tamen sola Fide: sed & ore corde. Alioqui si Fide sola, non autem re ipsa manducaretur: in omnibus conuiuiis manducando panem, vinum què

numque bibendo, & Fide renouando memoriam Corporis & Sanguinis Domini, celebraretur Sacramentum Eucharistiæ.

Nam quod respondet Zabor: non extare promissa Christi de præsentia Corporis & Sanguinis Domini in conuiuiis: id, inquam, futile est. Quia si præter memoriam nihil ad hoc Sacramentum requiritur, & promissa Christi spectant ad eos omnes qui memoriam passionis eius fecerint panem mãducando: vti volunt Caluinistæ: proculdubio spectabunt etiam ad eos, qui in conuiuiis suos panes edunt & vina bibunt memoriam passionis Christi facientes. & sic omnes panes replerentur Corpore Domini, & dolia Sanguine. Neque ad hoc oportet extare alia promissa Christi.

id promissione sola Christi non bene expedit Zaborouius.

Neque verò idem absurdum apud nos sequitur, si Sacerdos in foro panes consecret: vti obiicit Zaborouius. Est enim in eo magnum discrimen. Nam si quis in conuiuio memoriam passionis faciat manducando panem, nihil indignum facit, sed rem valdè piam & sanctam. At si Sacerdos in foro consecret, indignè consecrat, & magnam irreuerentiam Corpori Domini, quod verè & realiter existit in pane consecrato, irrogat. Quocirca nostrum Sacramentum non est in foro nisi per abusum: Euangelica verò cœna esse potest in conuiuiis omnibus per vsum. siquidem ad vsum nihil aliud requiratur, nisi memoria passionis Domini, quæ sanctè in conuiuio quoque fieri potest.

ea difficultas nobis nulla.

Scriptum est, inquit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Si ergo manducatur Christus, vt ipsũ in nobis manentem habeamus: talis erit manducatio, qualis in nobis mansio. Sed *per Fidem*, inquit Paulus, *Christum habitare in cordibus nostris.* ergo & per Fidem debet manducari. Inepta conclusio. Non enim Paulus ait per solam Fidem exclusis omnibus aliis mediis Christum habitare in cordibus nostris. Nam etiam per carnis suæ præsentiam manet in nobis in hoc Sacramento, cùm carnem eius manducamus. non solùm quòd hæc mansio sequatur ex reali manducatione carnis Christi: sed etiam quod ita Christus ipse explicauit. *Ioan: 6. 58. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Viuit autem Christus propter Patrem essentialiter in se manentem; quare & qui manducat Christum, viuet propter Christum realiter in se manentem; ita vt à reali eius præsentia vita in anima nostra oriatur & effluat.

Manet in nobis Christus corpore suo. non per solam Fidem.

Ineptè quoque realem Christi in Eucharistia præsentiam carnalem vocat. Licet enim caro vera sit: non tamen carnaliter, id est modo carnis proprio, in Sacramento existit. Modus etenim carnis proprius est visibiliter & diuisibiliter existere. Hoc autem modo non existit caro Christi in Sacramento.

non tamen carnaliter est in Sacramẽto.

mento : quia & inuisibiliter, & inextensè ac indiuisibiliter existit, tota in tota hostia, tota in qualibet eius parte. qui modus, quia mysticus est & spiritualis (res enim spirituales hoc modo existunt) idcirco non carnaliter, sed mystice & spiritualiter, verè tamen dicimus Carnem Christi in hoc Sacramento existere. Carnaliter sanè existeret, si & forma visibili esset, & per partes manducando discerperetur. vti in aliis carnibus cùm manducantur carnaliter fieri solet. At hic cùm nil horum accidat, non potest dici carnaliter existere.

Tangere Christum sine Fide inutile. at hoc nihil pro Zaborouio.

Quæ verò de inutili contactu corporis Christi sine Fide affert, nullius momenti sunt. Quis enim non videt, sicut sine Fide contactum realem Corporis Christi inutilem esse, ita cum Fide esse maximè salutarem? Contactus Corporis Christi illud indignè sumentibus non solùm non vtilis est, sed & perniciosus teste Paulo. At idem contactus in sumentibus dignè est salutis & vitæ æternæ causa. Vtrique verè tangunt Corpus Christi : sed hi ex tactu referunt vitam, illi mortem. Neque enim cùm Fide tangunt, solùm ex Fide referunt fructum : sed ex ipsa etiam Corporis Domini sanctitate : quod opes suas nonnisi in eos effundit, qui illud cum Fide perceperint. Quomodo enim Corpus illud diuino & viuificante spiritu plenum ex se inutile sit, & nullos in nobis vitæ & sanctitatis fructus edat? *Spiritus* enim *est qui viuificat, caro non prodest.* quam ibidem Christus rationem exposuit, ostendens quomodo caro ipsius manducata à nobis nos viuificet. Viuificat enim nos, non carnis sed spiritus vitam nobis tribuendo. Hoc autem ipsum, quòd nobis vitam spiritualem tribuat, habet non tanquam sola Caro : sic enim ex se non prodest quicquam. sed tanquam Caro diuino & viuificante spiritu plena : sic enim habet vim viuificandi animas nostras.

at non sola tactio per Fidē salutaris.

Quocirca inepta est illa quam toties repetit Zaborouius argumentatio: Caro Christi sine Fide non prodest : ergo absolutè non prodest. Certum enim est cum Fide non solùm ex Fide prodesse, sed etiam ex seipsa, & sua qua prædita est sanctitate. Est enim *Caro pro mundi vita.* Et sicut nobis redemptionem meruit: ita & fructus redemptionis conferre potest. Nam & cibus corporalis sine calore quidem stomachi non prodest : cum calore tamen non solùm ratione caloris, sed etiam ratione sui prodest plurimum. Quare & Hæmorrhoissa ex contactu Corporis Christi cum Fide coniuncto retulit corporis sanitatem. pessimè què interpretatur illa Christi verba : *Fides tua* non contactus *te saluam fecit.* De Fide enim, quam tāgendo fimbriam vestimenti eius ostendebat ; qua què credebat se saluam fore, si vestimenti eius fimbriam tangeret, loquebatur Christus. Hæc autem Fides non excludebat, sed includebat potestatem Corporis Christi ad conferendum sanitatem.

initatem. Neque dubium est, ex corpore Christi virtutem illam prodiisse, quam ex se egressam Christus illico dixit se persensisse. Porrò cùm Ambrosium adducit *6. in Lucam cap: 7.* dicentem Fide tangi Christum non corpore; certum est, quia non negat Ambrosius corpore Christum tangi: siquidem & Hæmorhoissa tunc corpore tangebat: sed tactum hunc sine Fide non valere. mox enim addit: *Non tangit qui non fideliter tangit.* Cùm hoc tamen stat: quod qui cum Fide tangit, vtroque modo tangat, & vtroque vtiliter. Quæ verò hic Zaborouius de breui & non diuturna præsentia corporis Christi in nobis (quæ scilicet non durat, nisi quamdiu durant species Sacramentales) declamat blasphemè magis quàm reuerenter? Non intelligit quanti res pretii sit, vel ad vnam horam Dei Filium, cœli & terræ Dominum hospitio excipere. cuius hospitij merces vita æterna.

Habere in se Christum vel ad horā summa felicitas.

Quum etiam horrens refert, quæ huic Sacramento, postquam à nobis sumptum est, indigna possunt accidere: horreat etiam ad ea, quæ Christo dum pro nobis pateretur indigna acciderunt: sputa, alapas, verbera, flagella, crucem. quæ tamen sicut non effecerunt, quominus Christus dum ea pateretur esset verus Dei Filius, neque ad ea auertenda declinare mortem voluit: ita propter similia verum Christi corpus in Sacramento esse non desinet. Fit enim vt tantò maior in nos Christi benignitas appareat, & maiorem à nobis honorem mereatur; quantò magis indigna dum nobis prodesse vult à plerisque tolerat. Nam simili etiam ratione pleriq; Philosophi Deum in omnibus rebus esse olim negabant: quod indignum ducerent in quibusdam vilissimis rebus existere. quod tamen Christiani minimè horrebant: cùm dicerent, Deum in rebus vilissimis ita esse, vt ab eis nec lædatur nec inficiatur. Quocirca quamuis Christus in Sacramento verè & realiter existens Euangelicis sit scandalum & stultitia: nobis tamen Catholicis est Dei virtus & sapientia.

Iniuriæ Sacramenti non impediũt quo minus sit nobiscum Christus.

CAPVT III.

Obiecta contra veritatem corporis Christi in Eucharistia diluuntur.

RЕstat vt argumenta aduersariorum expendamus. Primum est. Sacramenta sunt signa: ergo non res ipsa. cùm quė Eucharistia sit signum corporis Domini, non debet confundi cum corpore Domini. Hoc argumentum inuictum putat Zaborouius cùm sit puerile. Nam inprimis Sacramenta sunt signa non inania & vacua, sed plena rerum, rerum inquam quas conti-

Signa mystica Christianorũ non sunt inania. continent vel efficiunt. Signa Iudaica erant signa sed inania, res quas significabant non continentia. Agnus v. g. Paschalis signum erat Christi, Christum autem non continebat. Eucharistia cùm sit signum nouæ legis, est signum plenum non vacuum: ita enim Christũ significat, vt etiam contineat.

Non rectè verò putat Zaboro. signum à nobis confundi cum re signata. *ea cum re significata non confundimus.* Imò ista egregiè distinguimus. Nam si de Eucharistia vt continet in se Corpus Christi loquamur: signum erunt species, signatum verò Corpus Christi sub speciebus. Si verò loquamur de Eucharistia, vt est instituta in memoriam passionis Domini: sic Corpus & Sanguis Domini sub speciebus panis & vini, sunt signa repræsentantia diuisionem illam Corporis & Sanguinis Domini pro nobis in cruce factam. Nam licet idem sit vtrobique Corpus Domini; non tamen secundùm eandem formam & speciem: potest que idem secundùm vnam formam repræsentare seipsum secundùm aliam formam. vt si Princeps è pugna reuersus suam ipsius cum hoste dimicationem proprijs actionibus repræsentet. Si denique agatur de Eucharistia, vt est signum gratiæ & refectionis spiritualis, quæ nobis in hoc Sacramento confertur: sic hoc Sacramentum sub specie panis & vini institutum est signum & causa gratiæ, quam efficit in anima. Nam quatenus est sub speciebus panis & vini, significat hanc refectionem: quatenus verò est Corpus Domini, vim habet causandi & efficiendi gratiam quam significat.

Gratiam continent vt causa. Neque enim dicimus, vt nobis imponit Zaborouius, gratiam in Sacramentis tanquam aquam in vase contineri: sed tanquam effectum in causa. id què ex Christi ipsius institutione. Quam efficientiam licet Euangelici soli Fidei tribuant: Scriptura tamen tribuit etiam Sacramentis, nonnisi tamen Fide susceptis. *Baptizare, & ablue peccata tua: inuocato nomine ipsius. Act. 22. 16.* Itaque licet sine Fide Sacramenta ab adultis suscepta non prosint: cum Fide tamen suscepta, non solùm propter Fidem, sed etiam propter ipsa Sacramenta, quæ ex Christi institutione eam vim acceperunt, prosunt plurimùm.

non eadem ratio Baptismi & Eucharist. Insulsè porrò obijcit Zaborou. Si in Baptismo citra vllam mutationem essentialem aquæ Christum induimus, & à peccato purgamur: ergo & in cœna Domini citra mutationem essentialem panis & vini possumus esse participes Corporis & Sanguinis Domini. Quis namque non videt diuersam esse institutionem horum Sacramentorum? 1. Nam in Baptismo Christus nõ instituit, vt aqua mutaretur in aliquid: in Eucharistia verò statuit, vt panis & vinũ benedictione mutarentur in Corpus & Sanguinem Domini. 2. Deinde cùm panis & vinum, ideo nos faciat participes Corporis & Sanguinis Domini, quia sunt ipsum Corpus & Sanguis Domini, dicente Christo, *Hoc est*

Corpus, *Hic est Sanguis* : non possunt autem esse Corpus & Sanguis, nisi mutentur essentialiter in Corpus & Sanguinem Domini. Necesse igitur est panem & vinum mutari essentialiter in Corpus & Sanguinem Domini. alioqui panis & vinum non facient nos eius rei participes, quam nullo modo continent.

Alterum argumentum est. Signa non sunt rerum præsentium, sed absentium. Non igitur Sacramentum est signum Corporis Domini præsentis. Errat Zaborouius cùm negat signa esse posse rerum præsentium, quando res illæ per se visibiles non sunt. Sic enim animæ præsentis incorporeę sunt signa operationes illius, nimirum sensus & motus. Accidentia quoq; sunt signa substantiæ : non enim substantiam nisi per accidentia deprehendimus. Similiter causam præsentem ex effectibus tanquam ex signis colligimus, vt ignem ex fumo & calore. Fidei verò in nobis quot signa Christus enumerauit? *Signa*, inquit, *eos qui crediderint hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur nouis &c.* Nunquid hæc signa non sunt rei præsentis?

Signa sunt etiam præsentium inaspectabilium.

At, inquit, Eucharistiam ita esse signum Corporis Christi, vt sit eiusdem memoria : memoria autem rerum præsentium non est. En iterum assumit falsum. Quot enim res domi suæ Zaborouius habet, quarum & obliuisci potest, si è mente excidant; & meminisse, si in mentem aliquo indicio reuocentur? Sed & Deum rebus omnibus præsentem esse credimus : & tamen quoties ipsius obliuiscimur? quoties in nobis illius memoriam excitare debemus? Quanquam fateor Eucharistiam, quatenus est in memoriā passionis instituta, esse signum rei præteritæ non præsentis : passio enim est res præterita, & Corpus Christi fuit non est in cruce. quatenus verò est signum Corporis Domini sub speciebus panis, sic est signum rei præsentis.

memoria itidem.

Tertium argumentum. Sacramentum hoc panis & vinum dicitur quinquies à Paulo. manet igitur panis natura. alioqui impropriè & figuratè diceretur panis. Verùm si Sacramentum hoc diceretur panis materialis, rectè sanè concluderetur manere naturam panis : sine natura enim panis non est propriè panis. At quia hoc Sacramentum nullibi dicitur panis materialis: sed vel panis cœlestis qui de cœlo descendit, vel panis qui sit Corpus Christi: idcirco non sequitur manere in eo terrenam & materialem substantiam, sed cœlestem ac diuinam; nempe essentiam Corporis Christi. Dicitur porrò Eucharistia panis, vel propter externam formam & speciem panis : vel quia est panis benedictione mutatus in Corpus Christi, ac proinde non aliam habet essentiam nisi essentiam Corporis Christi. sicut *Ioan: 2.* aqua dicitur vinum facta. Columba verò & linguæ igneæ, in quibus Spiritus sanctus apparuit,

Eucharistia panis quomodo dicatur.

ruit, *Luc. 3. Act. 2.* propter externam speciem & apparentiam solùm ijs nominibus nuncupantur, non propter veram naturam columbæ & linguarum. Ridiculè verò hic Zaborouius probat, columbam & linguas non fuisse Spiritum sanctum. Nam, inquit, finitæ erant: Spiritus S. finitus non est. Argumentatio sane ineptissima. Sic enim probaret Filium Dei non esse hominem: quia Filius Dei est infinitus, homo finitus. Sed neque nos columbam & linguas diximus Spiritum sanctum.

Stolidum argumentum Zaborouij.

Adducit porro Tertullianum, Ambrosium, Augustinum, dicens eos agnoscere in Eucharistia figuram & signum Corporis Domini. at more suo falsò & contra horum Patrum mentem. Nam illi ita figuram agnoscunt, vt simul etiam agnoscant veritatem: diuerso que respectu vtrumq; affirmant: nempe & figuram Corporis in cruce, & veritatem Corporis in Sacramento. Quanquam quod attinet ad Tertullianum, is planè contrarium quid 4. *contra Marcionem docet.* nempe in Eucharistia non tam esse figuram à Christo institutam, quàm impletam. Vult enim eo loco probare Christum veteris legis figuras impleuisse, & pro figuris substituisse veritatem: id que tum in alijs suis operibus, tum verò in Eucharistia. Cùm enim in veteri lege panis esset figura Corporis Domini, propter quod & Ieremias Christi Corpus panē vocauit dicens: *Mittamus lignum in panem eius.* hanc figurā panis quæ erat in veteri Testamento impleuit; & cōuertit Christus in veritatē, quando panem fecit Corpus suum, dando id reapse, quod panis figurabat. Sic itaq; Doctor iste ait: *Acceptum panem & distributum Corpus illum suum fecit, dicendo: Hoc est Corpus meum, id est, figura Corporis mei. Figura enim non fuisset, nisi veritatis esset Corpus: ac si diceret, Hæc est figura impleta Corporis mei, seu Hoc est quod de Corpore meo olim per figuras prænuntiabatur.* Quam Tertulliani mentem ipsius quoq; ratio indicat. *Figura enim*, inquit, *non fuisset, nisi veritatis esset Corpus:* hoc est, nisi illi veritas Corporis responderet. Quia igitur in hoc Sacramento figuris respondet veritas Corporis: ideo dicit, Hoc est illa figura Corporis mei nunc impleta in veritate Corporis mei. Sed quamuis clarissimè ea mens sit Tertulliani, vti, qui locum legit, negare non potest: tamen non est nouum Zaborouio Patrum testimonia torquere & falsare, non veritatis studio, sed fuci faciendi causa.

F. *Tertulliano Eucharistia dicitur figura, sed orthodoxè.*

Quantò satius audiret Zaborou. S. Cyrillum Ierosolymitanum de hoc Sacramento dicentem in sua *Catechesi 4. Pro certissimo habeas, panem hūc qui videtur à nobis non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed Corpus Christi.* quod etiam ait dari sub specie panis. Audiret & Augustinum *3. de Trin. c. 10.* vbi inquit. *In illa specie*, nempe panis, *omnino Dominum oculis mortalium apparere.* Respondet Zaborou. Cyrilli Catecheses esse suspectæ fidei.

Cyrilli & August: sentētia Eucharistia non est panis aut vinum.

fidei. repertæ enim ſunt cum inſcriptione Ioannis Ieroſolymitani. At Zaborouius, & auctorem non citat qui id aſſerat, & ſcriptores grauiſſimi hoc opus eſſe Cyrilli abſq; vllo dubio affirmant: inter quos eſt Bellarm. *lib. 2. de Eucharistia cap. 13.* Deinde explicat aut potius peruertit ſenſum Cyrilli: quaſi ſolùm diceret, non eſſe panem vulgarem ſed benedictum. At quis nō videt guſtum non iudicare, vtrum ſit panis benedictus vel non benedictus? ſed ſolum iudicat panem naturalem, qualis eſſe ſolet ſub accidentibus. Quāuis igitur guſtus iudicet eſſe panem naturalem; tamen vult ſanctus Pater nō eſſe panem, ſed Corpus Chriſti, & ſub ſpecie panis non ſubſtantiam panis dari, ſed Corpus ipſum Chriſti.

Auguſtinum verò ait hyperbolicè loqui. non enim in Sacramento oculis mortalium Dominus apparet, ſed accidentia. Pari ratione negare quoq; poſſet Deum apparuiſſe in carne: quia accidentia immediatè apparent non Diuinitas. Quis tam ineptè argumentantem ferat? Porrò Auguſtinum verè non hyperbolicè loqui teſtantur ipſa verba, cùm ait: *Fideles nihil aliud credere, niſi Dominum oculis apparuiſſe mortalium in illa ſpecie, & liquorem illum de latere Chriſti omnino fluxiſſe.* Quod Auguſtinus omnino vult credi, quomodo hyperbolicè loquitur? Sed hyperbole Zaborouio eſt, quicquid ipſe non credit.

Zaborouiana reſponſio infert Deum non apparuiſſe in carne.

Duo verò loca, quæ pro ſe hîc adducit Zaborouius, falsò citantur. *de Conſecr. d. 2. Can. Qui manducat.* Nihil enim tale ibi dicitur, ſed contraria omnia. Quanquam à Patribus aliquando dicitur, ſi formam externam Sacramenti ſpectes, non eſſe veritatem Corporis, ſed figuram. ſi verò id quod Fide interiùs creditur, eſt veritas Corporis Chriſti. *Vnde Can. Corpus Chriſti. de conſecratione diſt. 2.* dicitur. *Corpus Chriſti quod ſumitur de altari, figura eſt, dum panis & vinum extrà videtur: veritas autem, dum Corpus & Sanguis Chriſti in veritate interiùs creditur.* At Zaborouius noſter, cùm verba ſolùm captet non ſenſum; ſi quid contra veritatem Corporis in dictis Patrum in ſpeciem inuenit, non Patrum, ſed ſuo, id eſt, hæretico ſenſu exponit. quod non eſt hominis veritatem amantis. De duplici enim veritate corporis Chriſti Patres loquuntur. Altera eſt, quod externam ſpeciem quæ ſenſibus obijcitur. & ſic Corpus Chriſti dicunt non eſſe verum: quia non ſecundùm ſuam veram ſpeciem apparet, ſed in myſterio, & figura panis velatum. quomodo accipienda ſunt verba Auguſtini quæ citat Zabor. *Cœleſtis panis qui eſt Caro Chriſti, ſuo modo dicitur Corpus Chriſti, non rei veritate ſed ſignificante myſterio: quia non ſecundùm veram ſuam ſpeciem apparet, ſed in myſterio & in ſigno.* Sic idem Auguſtinus *in Pſalm. 98.* loquitur. *Non hoc Corpus quod videtis manducaturi eſtis, nec bibituri illum Sanguinem, quem*

F.

Quod ſenſu percipitur nō eſt verū corpus, at quod Fide.

futuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendaui vobis. ibi *non hoc Corpus quod videtis*, intelligit Corpus sub forma propria visibili, opponit qué illud Corpori sub forma Sacramentali. Alio modo loquuntur Patres de veritate Corporis Christi quoad substantiam. Et sic non solùm non negant veritatem Corporis Christi in Sacramento: sed multis argumentis eam comprobant, vt ex dictis manifestum est. Non igitur verba Patrum quomodocunq; captanda sunt, sed eo quo ab ipsis intelliguntur sensu accipienda.

Est Christus corpore in cœlo, & in terra.

Quartum argumentum est; Scriptura ostendit Christum in cœlo ad dexteram Dei. soluitur; Eadem Scriptura quæ ostendit Christum in cœlo, ostendit etiam in Sacramento. Christus enim qui est ipsa veritas dixit; *Hoc est Corpus meum*. Vtrumque igitur verum est: quia vtrumq; Scriptura dicit. vtrumque credendum. Nam & forma sua visibili, qua Christus mundum reliquit, ascendit in cœlum, sedet qué ad dexteram Patris, credimus eum esse in cœlo; nec inde recessurum vsq; ad iudicij diem ad *tempus restitutionis omnium. Act. 3. 21.* In forma autem panis & vini, inuisibili sed vero modo, credimus eum esse in Sacramento. Neque enim, vt sit in Sacramento, debet cœlum relinquere, aut non esse ad dexteram Patris.

non tamen multiplex illi corpus.

Stultum etiam est, quod infert Zaborouius, Christum habiturum duo corpora, vnum visibile in cœlo, aliud inuisibile in Sacramento. Nunquid enim Christus, quoties Corpus suum nunc visibile nunc inuisibile reddebat, plura corpora habuisse censendus est? Nam post resurrectionem vbi & quãdo volebat, videndum se exhibebat? tum tenendo oculos discipulorum, ne eum agnoscerent: tum euanescendo ex oculis: tum repentè in medio discipulorum comparendo, nullo antè apparente accessu & motu. Non igitur inuisibilitas corpus Christi reddit diuersum corpus. Etenim licet non possit idem corpus esse simul natura visibile, & natura inuisibile: tamen potest corpus, quod est natura visibile, reddi ex accidenti inuisibile. Quocirca & in Sacramento corpus Christi est ex natura sua visibile: habet enim naturam & accidentia omnia, secundùm quæ visibile esse & videri posset, si suo modo naturali & extenso existeret. sed ex modo illo inextenso & indiuisibili essendi, quem habet in Sacramento, efficitur inuisibile. Nihil enim videtur nisi extensum & quantum. Qui modus existendi cùm sit accidentarius Corpori Christi: fit vt ex accidenti solùm corpus Christi sit inuisibile in Sacramento: in cœlo verò, vbi habet suum naturalem essendi modum, nempe extensum & quantum, sit visibile.

Stultissima deprauatio o-

Similiter & illud insipienter contra Eucharistiam obijcitur ex *Matth. 24. 23. Si quis vobis dixerit; Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere.*

Luce

Luce enim clarius est, non de Eucharistia, sed de pseudochristis, qui tanquã veri Messiæ prædicuntur visibiliter venturi (sicut & reuera fuerunt innumeri) eo loco sermonem esse. mox namque subiungitur; *Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ.* Pseudochristi seipsos pro Christo & Messia proponent: pseudoprophetæ falsos Messias signis etiam & prodigijs indicabunt. Quodsi ad Eucharistiam eam prædictionem trahant. primùm pseudochristum nobis ipsum Christum facient. is enim primus nobis seipsum in Eucharistia indicauit dicens; *Hoc est Corpus meum.* licet verbis ipsius Fidem non habeant Euangelici.

raculorum à Zaborouio.

Tandem duo alia subijcit Zaborouius, primum: Memoria, inquit, est corporis Christi in cruce suffixi. non est igitur corpus verum. Quasi verò ista duo componi non possint, vt vtrumque sit verum quod Christus dixit. Cùm enim dixerit; *Hoc est Corpus meum*, credendum est esse verum Corpus: dixit etiam esse memoriam suæ passionis & mortis: credendum etiam est, veritati Corporis eius in hoc Sacramento adiungi debere memoriam passionis & mortis. Hoc enim ipsum Corpus nobis in Sacramento sub forma panis datur, quod pro nobis traditum est in cruce in mortem: ac proinde ex se idoneum est ad excitandam in nobis memoriam mortis Christi; ita vt nullum potentius & præsentius remedium sit ad renouandam morte Christi mentem, quàm si quis secum reputet se illud Corpus sub panis specie sumere, quod in cruce pro ipso fuerat traditum. Immeritò itaque Euangelici memoriâ mortis Christi excludi putant in hoc Sacramento veritatem corporis Christi: cùm non solùm non excludatur; sed ipsa etiam memoria mortis Christi nulla ex re magis, quàm ex veritate & præsentia Corporis Christi in hoc Sacramento excitetur.

Memoria mortis Christi non excluditur corpus eius è Sacramento.

Alterum argumentum sumit ex particula *hoc.* Si enim, inquit, hanc particulam ad panem referas, erit propositio; Panis est Corpus meum. quæ erit necessariò aut figurata, aut ad literam falsa. Si referas ad accidentia: hæc eadem erunt Christi Corpus. quod etiam est falsum. Sin referas ad Corpus: sequetur iam Corpus præexistere, & ita per ista verba consecrationem non fieri. cùm enim verba recitas non dicis, hoc mox in momento erit: sed dicis, *Hoc est Corpus meum.* Putat Zaborouius hunc nodum esse talem, qui expediri non possit: sed nodus stramineus est, & ex ignorantia atq; ruditate profectus.

Zaborouius argumẽtator rudissimus.

Dico igitur Christum Dominum particula *hoc* demonstrasse id quod dicebat: dicebat autem esse Corpus, non panem materialem: demonstrabat igitur Corpus, non panem. vt sit sensus; Hoc quod vobis me tradere dico & demonstro, non est aliud quid, nisi Corpus meum. Si enim Chri-

Christus corpus suum indicat non panem.

stus non explicasset id quod demonstrabat & tradebat, possemus dicere, panem materialem quem in manus acceperat demonstrasse: at cùm clarè explicauerit se demonstrare Corpus suum; dicere non possumus demonstrasse nobis panem materialem, sed eum mutasse in Corpus suum. Ad hoc enim accepit panem materialem, vt illum verbis suis efficeret Corpus suum. Non igitur exurget illa propositio; Panis materialis est Corpus: neque ad hoc Sacramentum siue in proprio siue in figurato sensu pertinebit: siquidem particula *hoc* ad panem materialem non refertur.

nec præextitisse corpus necessarium.

Neque etiam opus est priùs existere Corpus, quàm per particulam *hoc* demonstretur. Nam verba, quæ explicant id quod demonstratur, non priùs demonstrant quàm explicent: demonstrant enim secundùm explicationem, ac proinde in fine prolationis. Exempla sunt manifesta. *Ioan: 15.* dicit Christus; *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem.* priùs dixit; *Hoc est præceptum*, tum indicauit rem illam de qua loquebatur, nempe; *vt diligatis inuicem.* Et rursum priùs dicit; *Hæc mando vobis:* & post subiungit ea quæ mandat. Apud Prophetas etiam passim habetur; *Hæc dicit Dominus:* tum subiunguntur ea quæ dicit Dominus. Non igitur est necesse, vt particulā *hoc* præcedat semper id ad quod ipsa refertur. Tantò verò minùs in verbis consecrationis. quæ cùm sint verba nō speculatiua sed practica (hoc est nō solùm significatiua sed & operatoria, seu efficientia id quod significant) non possunt demonstrare rem præcedentem, sed quæ ipsis verbis prolatis efficitur. Potestque id etiam exemplis declarari. Si quis enim pingendo lineam vel circulum dicat, Hæc est linea, Hic est circulus: pronomen demonstratiuū non indicat rem præcedentem, sed quæ tunc fit cùm dicitur. Similiter si cogitemus Christum in Chana Galilæę verbis istis Hoc est vinum, mutasse aquam in vinum: particula *hoc* non demonstraret vinum præcedens, sed id quod per ea verba factum esset.

2. Denique si panem Christus demonstrare voluisset, dixisset Hic panis est Corpus meum, non; *Hoc est Corpus meum.* Cùm enim res aliqua nota demonstratur, non loquimur sic. Verbi gratia de fratre non dico; Hoc est frater meus, sed; Hic est frater meus: quia notus est is qui demonstratur. At cùm rem ignotam demonstramus, verbi gratia remotum nescio quid, dicimus; Illud est homo, vel arbor. Apostolis autem notissimum erat, panem fuisse quem accepit Christus. Si igitur Christus panem demonstrare voluisset, dixisset Hic panis, non Hoc Corpus meum.

Atque ex his patere potest, quàm vana sint & futilia, quæ ab Euangelicis aduersus veritatem Sanctissimi huius Sacramenti, & aduersus diuinam illud conficiendi potestatem, afferuntur; ita vt liceat hic quoque illa Diui

Augustini

Augustini verba vsurpare, quæ de similibus Hæreticorum argumentis scripsit 22. *Ciuit. Dei cap.* 11. *Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas!*

CAPVT IV.

Ministros Euangelicos dissipatores non dispensatores Sacramentorum esse, ac proinde non esse veros Christi Ministros. de quę numero & virtute Sacramentorum.

SIc nos existimet homo, inquit Paulus, *vt Ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei:* Ministros, inquam, non litera sed spiritu. quia nimirum ipsorum ministerio confertur Spiritus sanctus. Etsi verò Spiritus S. vnus est: tamen ad varios effectus varijs sensibilibus modis in diuersis Sacramentis voluit illum Christus conferri. Ad regenerationem enim & ablutionem spiritualem confertur in Baptismo per sensibilem ablutionem: ad confirmationem & robur quoddam spirituale confertur in Sacramento Confirmationis per vnctionem & signationem sensibilem: ad remissionem peccatorum post Baptismum per Absolutionem externam in Sacramento Pœnitentiæ: ad nutritionem spiritualem in Eucharistia sub specie panis & potus: ad alleuiationem spiritualem in Sacramento extremæ Vnctionis oleo. in Sacramento verò Ordinis confertur Spiritus sanctus ad dignè exercendas Ordinis functiones per manuum impositionem: denique ad repræsentandam indissolubilem coniunctionem Christi & Ecclesiæ per coniunctionem coniugum in matrimonio confertur Spiritus S. ad ipsum matrimonium dignè exercendum. Cùm igitur septem dictis modis sensibilibus detur nobis Spiritus sanctus in Sacramentis ad totidem diuinæ gratiæ effectus, vti ex Scripturis manifestum est: septem quoque sunt fuerunt quę semper Sacramenta, quorum ministerium & dispensatio commissa est teste Paulo veris Ecclesiæ Ministris.

Varijs Sacramentis datur Spiritus sanctus ad varios vsus.

Et quidem Catholicæ Ecclesiæ Ministri omnia hæc Sacramenta integra & inuiolata ab Apostolorum temporibus ad hæc nostra conseruarunt; fidelissimèquè dispensarunt: vti ex traditione & doctrina Apostolorum per omnes

Euągelici dissipatores mysteriorũ Dei.

omnes ætatum successiones acceperunt. Euangelici porrò quinque à Sacramentorum numero penitus reiecerunt magno fidelium detrimento. ab Eucharistia verò Christum, in quo tota huius Sacramenti essentia consistit, sustulerunt & in cœlum Fide quærendum relegârunt: quo fit, vt verum Eucharistiæ Sacramentum non habeant. eius enim essentia est Christus. Solus igitur Baptismus reliquus est: cuius etsi essentiam non negent, virtutem tamen quam habet ex institutione Christi ad gratiam conferendam illi auferunt; eamque soli Fidei attribuunt. Cùm igitur tantam diuinæ gratiæ & Sacramentorum stragem fecerint maximo suo & totius Ecclesiæ malo; qui fieri potest, vt dispensatores, & non potiùs dissipatores maximi mysteriorũ Dei appellari debeant?

Corpus Christi ab Eucharistia reijciũt

Tuetur se hic vt potest Zaborouius, & inprimis quod ad Eucharistiam attinet, ait se non corpus Christi, sed corporalem eius præsentiam ex Eucharistia sustulisse. at quis non videt istas fraudes? Si enim quantum cœlum à terra distat, tantùm distare volunt Christi corpus & eius realem præsentiã à Sacramento: an non manifestum est illos omnem veram & realem corporis Christi præsentiam in Sacramento sustulisse, & in eius locum præsentiam per cogitationem & Fidem, quæ non est vera præsentia substituisse?

Aiunt quidem credere se Christum in vsu cœnæ nobis præsentem adesse, & nos corpore suo per Fidem pascere. sed hæc sunt inania verba. Hîc enim quærimus de Christi in Sacramento præsentia, & ratione Sacramenti in nobis. Etenim Christus suam præsentiam in Sacramento nobis ostendit: non in cœlo. *Hoc*, inquit, *est Corpus meum.* In Sacramento quoque Corpus suum dabat ad manducandum. Hi contrà, extra Sacramentum nobis ostendunt præsentiam Christi, nempe in cœlo: quam esse longè diuersam à præsentia Christi in Sacramento per se clarissimum est. Cùm igitur aliam nobis Christi præsentiam, nempe extra Sacramentum, obtrudant: fateri cogũtur, se omnem Christi in Sacramento veram præsentiam tollere. Nihil enim in Sacramento relinquunt, nisi signum corporis Christi. Verissimè què illis à nobis obiicitur, quòd Christum è Sacramento sustulerint: pro Christo enim signum eius nudum reliquerunt.

fingunt se Christo pasci è cœlo, non ex Eucharistia.

Cùm verò aiunt se per Fidem pasci corpore Christi. hoc ipsum non est pasci corpore Christi in Sacramento, sed in cœlo: in cœlum enim euolant, vt ibi Fide Christi corpus apprehendant; eo què ibi pascantur. in Sacramẽto verò corpus Christi nec ore nec Fide percipiunt: siquidem illud esse in Sacramento non credunt. Catholicorum id est proprium, qui vti corpus Christi in Sacramento verè habent, & credunt: ita illud in Sacramento ore simul & mente atque Fide percipiunt ad animarum suarum salutem. Pasci

enim

enim corpore Christi per Fidem etiam extra Sacramentũ fideles possunt. Vnde si in Sacramento nil aliud cõsequerentur, quàm manducationem corporis Christi per Fidem; Sacramentum quo ad hoc nil peculiare haberet. Nam cùm Fides æquè haberi possit extra Sacramentum, imò etiam aliquãdo maior quàm in Sacramento: æquè bene aut etiam multò meliùs posset manducari corpus Christi extra Sacramentum: siquidem tota ista manducatio Fide sola continetur; nec Sacramentum secundùm Euangelicos aliud quid facit, nisi quòd per modum signi excitet memoriam & Fidem corporis Christi. qualia signa & in veteri lege fuerunt plurima, & apud nos multa inueniri possunt. Negari enim non potest, quin Euangelium seu lectio passionis Christi, magis in nobis excitet memoriam passionis Christi, quàm simplex panis. Et sic magis manducaretur corpus Christi in Euangelio quàm in Sacramento. quod quid aliud est, quàm diuinissimum hoc Sacramentum euertere, & omni sua dignitate spoliare.

inde sequitur potiorem esse Eucharistia lectionem Euangelij.

Ait præterea Zaborou: se nulla Sacramenta, quæ verè & propriè ita dici possunt, sustulisse. Negat enim præter Baptismum & Eucharistiam vlla alia verè Sacramenta dici posse. at immeritò. sicut enim in Baptismo ablutio externa est signum sensibile ablutionis internæ, quàm Deus per Baptismum in nobis operatur, & ideo verè Sacramentum est: ita & in alijs Sacramentis actiones externæ sunt signa sensibilia operationum internarum, gratiæ diuinæ, quas Deus in nobis per illa Sacramenta efficit. Vnctio enim & signatio in Confirmatione est signum vnctionis & signationis spiritualis, quam Deus in hoc Sacramento efficit. Similiter in Pœnitentia Absolutio externa est signum absolutionis spiritualis, quam in anima Deus per Sacramentum Pœnitentiæ præstat. Ordinatio externa per impositionem manuum est signum illius spiritualis potestatis, quam Deus per Sacramentum Ordinis confert ijs qui ordinantur. Olei quoq; vnctio facta infirmo est signũ vnctionis gratiæ diuinæ ad languores animæ depellendos. Vinculum quoq; Matrimonij est signum gratiæ diuinæ, & coniunctionis spiritualis animæ cum Deo per gratiam & charitatem, quæ in hoc Sacramento confertur. Cùm igitur omnes has gratias sub his similitudinibus sensibilibus in Ecclesia instituerit Christus: non minùs vna gratia quàm altera ad Sacramentum pertinebit, & æquè omnia, quæ dicta sunt, necesse est esse Sacramenta: cùm sint signa sensibilia conferentia gratiam. qua definitione Sacramenti essentia tota continetur.

Sacramenta septem sunt, non duo, vt Zaborouius asserit

Vt igitur viã sibi sternat ad oppugnãda alia Sacramenta: statuit pro fundamento quinq; Sacramentorum conditiones; ad quas stabiliendas ne vnum quidem Scripturæ locum citare potuit: aliquas verò ex proprio capite sine vlla au-

falsis rationibus confictis.

1 *quòd Sacramenta sint sigilla noui Testamenti.* vlla auctoritate & ratione confinxit. Examinemus singulas. Prima est: vt Sacramentum à solo Christo institutum sit. rectè sanè. hoc enim omnes fatemur. sed non ob Zaborouij rationem qua putat Sacramenta tanquam sigilla confirmantia nouum Testamentum ad auctorem eiusdem pertinere: talia enim sigilla ex Scriptura probare non poterit. sed quod, cùm habeant annexam promissionem gratiæ diuinæ, quæ sine Christo haberi non potest, necessariò in Christum omnis in nouo Testamento gratiæ auctorem referenda sunt.

2. *quòd elementum externũ visibile habeant.* Secunda: vt habeat externũ visibile elementũ. quia debet esse inuisibilis gratiæ forma visibilis. Hæc conditio est falsa, si elementum propriè, vti vult Zaboro. accipiatur. In solo Baptismo inuenitur elementum, nempe aqua: de soloquè Baptismo intelligitur illud Augustini, *Accedit verbum ad elemẽtum, & fit Sacramentum.* In alijs verò Sacramentis non sunt propriè elementa. sed vel aliæ res, vt in Eucharistia Corpus Christi sub specie panis, in Confirmatione Chrisma, in Extrema vnctione Oleum: vel loco rerum actiones externæ & sensibiles, vt in Pœnitentia actus pœnitentis & actio absoluentis, in Ordine impositio manus, in Matrimonio actio qua contrahitur Matrimonium. idquè ratio ab ipso Zaborouio allata conuincit. Nam, si Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma; manifestum est non solùm elementum esse visibilem formam gratiæ, sed alias quoq; res, & actiones, visibili similitudine inuisibilem effectum gratiæ repræsentantes. Vnctio enim externa vnctionis internæ quæ fit à Spiritu sancto, est visibilis forma. sicut & absolutio externa internæ remissionis peccatorũ est visibilis forma. At ne ipsi quidem Euangelici panem in Eucharistia dixerint propriè elementum. Quodsi impropriè elementum accipi volunt pro eo, quod in alijs Sacramentis elemento aquæ Baptismi suo modo respondet, tale elementum in omnibus Sacramentis non est difficile inuenire. quod tamen non concedet Zaborouius.

3. *quòd habeāt à Christo obsignationem salutis.* Tertia. vt habeat promissionem à solo Christo sibi annexam, non de quauis gratia, sed de obsignatione salutis, in legitimo vsu. Et quidẽ promissionem gratiæ requiri nemo dubitat: hoc enim propriũ & essentiale est Sacramentis nouæ legis, vt non sint solùm signa, sed & causa gratiæ, seu instrumenta Dei ad gratiã conferendam: ea què re distinguuntur à Sacramentis legis veteris. At de peculiari aliqua obsignatione salutis per Sacramenta, nihil in Scriptura legimus. sed solùm quòd per ea conferatur nobis gratia, qua vel regeneremur in Christo, vel iustificemur, vel qua viuamus & in Deo maneamus. Nusquam autem legimus per Sacramenta salutem nostram obsignari. Quodsi id per Sacramenta fieri putandum est; id non aliter præstat

Sacramenta,

Sacramenta, nisi quia gratiam diuinam nobis conferunt; gratiam, inquam, sanctificantem, ad quam salus consequitur. Cùm itaq; Sacramenta omnia gratiam diuinam significent & conferant, omnia quoque erunt illa ratione sigilla salutis. quamuis de hac sigillatione nihil in Scriptura expressè.

Perperam verò ad promissionem gratiæ in Sacramentis probandam pro ratione adducitur à Zaborouio testimonium Augustini dicentis; *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Non enim ibi de tali verbo, quod sit promissio gratiæ diuinæ, loquitur Augustinus: sed de verbo Sacramentali, quod proferri debet in confectione Sacramenti, & dicitur forma Sacramenti. v. g. in Baptismo, verba illa *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus S.* sunt verba Sacramentalia secundùm Augustinum, quæ cùm accedunt ad elementum aquæ, conficiunt Sacramentum. quæ verba non promissionem continent, sed expressionem Baptismi. *id ex Augustino fuci causa adstruit.*

Quarta. vt sit in nouo Testamento tantùm institutum. Hæc conditio, si intelligatur de signo externo & sensibili, falsa est. nam etiam Baptismus, quo ad ablutionem illam sensibilem, fuit in veteri quoque Testamento institutus. Si verò conditio intelligatur de promissione & collatione gratiæ, vera est. quia signis sensibilibus in veteri Testamento non fuit promissa gratia: fuerunt enim nuda & egena elementa, teste Paulo. solùm qué in Testamento nouo datum est rebus sensibilibus, vt significarent & conferrent gratiam sibi à Christo promissam. Zaborouius autem primum sensum videtur respexisse. *4. quòd sint instituta solùm & primùm à Christo.*

Quinta: vt sit pro tota Ecclesia institutum, ita vt vsus eius sit pro omnibus & singulis duraturus vsq; ad Christi aduentum. Hæc conditio falsa est, & à solo Zaborouio conficta, sine vllo fundamento in Scripturis & ratione. Nam etiamsi essent aliqua Sacramenta pro certo tantùm hominum genere instituta, essent verissimè Sacramenta: quia essent signa certa, per quæ ex institutione diuina conferretur illis hominibus gratia. quod solum est de ratione Sacramenti. Quamuis autem non negemus Sacramenta esse pro tota Ecclesia hoc sensu, quia in tota Ecclesia sunt homines qui indigent Sacramentis: non tamen eo sensu, vt singuli ijs vti debeant ac possint. Nam nec Eucharistia vti possunt pueri: nec Pœnitentia nisi qui peccata contraxerunt: nec Ordinatio est pro fæminis: nec Matrimonium pro pueris, aut ijs qui per votum, aut aliud impedimentum sunt matrimonio minùs apti: ita vt ficta prorsus sit illa conditio habenda, quum ad rationem Sacramenti requiritur, vt pro singulis & omnibus in Ecclesia instituatur. *5. quòd sint pro singulis. v. g. Sacerdotium etiam pro fæminis, matrimonium etiã pro pueris.*

Breuiùs & multò meliùs fecisset, si duas illas Sacramenti conditiones numerasset, à quibus cæteræ pendent, quas qué omnes, qui de Sacramentis hacte- *non ita Catholici docẽt.*

tis hactenus scripserunt, assignarunt: nempe vt sit signum sensibile, & medium ad causandum diuinam in nobis gratiam à Christo institutum.

Argumenta Zaborouiana seu ineptiæ potiùs contra Sacramenta singula.

Sed iam singula in particulari Sacramenta oppugnantem & euertentem audiamus.

Primùm igitur duabus ineptissimis rationibus probat Pœnitentiam non esse Sacramentum: quamuis eam, & à Deo institutam, & promissionem diuinæ gratiæ habere non diffiteatur. Prima eius ratio est: quia non habet externum elementum. Egregia verò ratio. quæ si vera sit, ne Eucharistia quidem erit Sacramentum, cùm elemento non constet: panis enim elementum non est. Neque vlla Scriptura vel ratio postulat, vt ad omne Sacramentum requiratur elementum: solùm enim requiritur signum sensibile, siue illud sit res aliqua sensibilis, siue actio. Nam & aqua in Baptismo, etsi elementum sit, non est tamen Sacramentum vt res, sed vt actio: hoc est, quatenus est ablutio facta in nomine Patris & Filij & Spiritus S. Cùm igitur in Sacramento Pœnitentiæ detur actio externa sensibilis, cui est promissa à Christo gratia, nempe pœnitentia ipsa per confessionem externam sensibilis facta: dubitari non debet ei conuenire propriam rationem Sacramenti. Friuolum verò est quod obijcit: non in externis ritibus & signis, sed in contritione interna cordis, quæ insensibilis est, veram contritionem consistere. Nos enim externam pœnitentiam sine interna valere non dicimus: sed internam, si coniungatur cum confessione & pœnitentia externa, dicimus & valere plurimùm, & à Christo gratia Sacramentali donatam esse, relicto ad remittenda confitentibus peccata Spiritu S. *Ioannis 20.* Etsi verò contritio interna per seipsam sit bona & placeat Deo. tamen multò Deo gratior est, si cum confessione externa coniungatur; sine qua etiam gratiam Sacramentalem non obtinebit.

Elementum non in quouis Sacramento necessarium.

Altera quoque ratio non minùs inepta est, dum inquit Pœnitentiam cum externis ritibus etiã in veteri lege fuisse: non posse igitur nouæ legis esse Sacramentum. Huius enim rationis & antecedens est falsum & consecutio. Antecedens quidem: quia pœnitentia eo ritu externo, quo fit in noua lege, hoc est, cum ritu singula & omnia peccata Sacerdoti confitendi in ordine ad absolutionem Sacramentalem ab illo obtinendam, nusquam in veteri lege fuit vsitata. nos enim non quamuis pœnitentiam, sed solùm proprio nouæ legis ritu à Christo instituto factam, dicimus nouæ legis esse Sacramentum. Consecutio etiam nullius est momenti. Nam etsi daremus pœnitentiam secundùm ritum externum omnem fuisse in veteri lege: tamen quia in lege no-

Pœnitentia ritu Catholico veteri legi ignota.

ua additum est illi, vt interuentu iudicij Sacerdotalis obtineret remissionem peccatorum; hoc ipso facta est nouæ legis Sacramentum. Sicut Baptismus & ablutio aquæ fuit quoq; in lege veteri. verùm quia illa ablutio in noua lege instituta est, vt fieret in nomine Patris & Filij & Spiritus S. idque ad remissionem peccatorum consequendam (quod in veteri lege non habebat) facta est nouæ legis Sacramentum. est enim illi addita ratio Sacramenti, quã in lege veteri non habebat. Ex quo patet non esse inconueniens eandem rem diuersa ratione ad veterem & nouam legem pertinere. alioqui dicendum esset Baptismum non esse nouæ legis Sacramentum, quia ad veterem quoq; suo modo pertinebat.

& nota esset, tamen nouæ Sacramentũ est.

Ijsdem rationibus Ordinis quoq; Sacramentum oppugnat Zaborouius nempe quòd licet ordinatio & institutum Dei fuerit, & promissionem de donis Spiritus sancti habuerit, non tamen est Sacramentum propriè dictum. tum quia non habet elementum, sed tantùm impositionem manuum, quæ est ceremonia quædam: tum quia in veteri quoq; lege fuit Ordinatio. at vtraque ratio iam explosa est. Non enim elementum necessariò, sed signum aliquod sensibile, cui annexa sit diuina gratia, requiritur ad rationem Sacramenti: quale signum est in Ordinatione impositio manuum: quæ significat effusionem illam Spiritus sancti in animam Ordinati. Cur enim ablutio externa in Baptismo, significans & efficiens ablutionem internam in anima, sit verè Sacramentum: impositio verò manuum, significans & efficiens communicationem Spiritus sancti, non debeat censeri Sacramentum? Nam quod Zaborouius dicit impositionem manuum esse ceremoniam, pari ratione ablutio quoq; in Baptismo est ceremonia quædam: verùm vtraque Sacramentalis, quia cum communicatione gratiæ diuinæ coniuncta. quod Sacramentum constituit in ratione Sacramenti.

nõ elementũ, sed impositio manuum in Sacerdotis cõsecrat. requiritur.

Cùm verò ait Zabor. fuisse Ordinationem in lege veteri: non aduertit longè diuersam à nostra fuisse: sicut & ministeria Sacerdotum in vtraq; lege sunt diuersissima. Quare igitur nostra Ordinatio ad nouæ legis ministeria non sit Sacramentum: cùm hoc modo ad legem veterem non pertineat.?

hæc consecr. à Mosaica diuersa.

Ait porrò me Caluino affinxisse, quasi is Ordinationem Sacramentum propriè dictum concesserit. Sed Caluinus ipse ista me calumnia liberabit 4. *Institut. c. 40. § 20. & c. 19. § 31.* quibus in locis agnoscit eam verè Sacramentum: cùm nihil Sacramenti essentiale in illa desideret. Ideo tamen duo tantùm Sacramenta ait se antea numerasse: quòd illa ad omnes, hoc autem ad certam functionem specialis ritus spectaret. ac si diceret, Ordinationem esse Sacramentum, sed non ad omnes fideles spectans.

Caluin. aliquando hanc esse Sacramẽtum docuit.

Iam Matrimonij quoq; Sacramentum oppugnat Zabor. quod Christus

Matrimoniũ

sicut-

magnum Sacramentum.

sicut voluit esse magnum Sacramentum, significans Christi & Ecclesiæ coniunctionem nunquam separabilem: ita illud gratia Sacramentali donauit: vt coniunctione spirituali coniugum, quæ per gratiam diuinam habetur, repræsentetur illa spiritualis coniunctio, quæ est inter Christum & Ecclesiam. Quocirca Paulus *ad Ephe. 5.* viros iubet diligere vxores suas, non quacunque neq; communi cum gentilibus ratione, sed speciali & Christiana: ad eã normam, qua Christus dilexit Ecclesiam: qua nimirum eam gratiam in matrimonio Christiano (nubentes scilicet in Domino) in eum finem consecuti sunt, vt supernaturale hoc mysterium sua etiam spirituali coniunctione celebrantes repræsentarent. Quid hic Zaborouius? Sex leuiculas rationes opponit, vt non esse verum & propriè dictum Sacramentum ostendat.

negat id Zaborouius.

1. quia nullum habet elementum. at id satis iam refutatum est.

2. quia non habet promissionem salutis æternæ, sed tantùm benedictionis spiritualis. at nos promissionem gratiæ diuinæ ex eo colligimus quòd cùm Matrimonium Christianum institutum sit, vt vnione etiam spirituali coniugum repræsentet vnionem spiritualem, quæ est inter Christum & Ecclesiam (hanc enim vnionem spiritualem inter coniuges, vt sit ad normam dilectionis Christi, toties vrget S. Paulus, tanquam debitam ex ipsa Matrimonij Christiani institutione) consequens est, eam gratiam, qua spiritualem vnionem exercent, & vnionem Christi & Ecclesiæ spiritualem repræsentant, ex ipsa institutione Matrimonij proficisci, non quatenus Matrimonium est, sed quatenus Christianum est. Vnde etiam Matrimonium Christianum habet vinculum prorsus indissolubile ex eo, quòd institutum sit ad repræsentandam vnionem Christi & Ecclesiæ, quam dissolui est impossibile. Matrimonium verò gentilium etiamsi consumatum sit, dissolui aliquando potest: vti Paulus docet in eo casu, cùm alter coniugum conuertitur ad Fidem, cui alter infidelis cohabitare non vult: tale enim Matrimonium dirimi vult Apostolus *1. Cor: 7.* Huc etiam facit, quod Paulus ait *1. Tim: 2. 15. Mulier saluabitur per filiorum generationem: si permanserit in fide & dilectione & sanctificatione cum sobrietate.* Hic enim salus statui Matrimonij promittitur: si permanserint coniuges in quatuor illis bonis, quæ in prima Matrimonij celebratione acceperunt, nempe in fide coniugij, in mutua dilectione & concordia, in sanctificatione & munditia coniugali, in sobrietate & temperantia. Si igitur hæc quatuor bona in ipsa Matrimonij celebratione acceperunt: consequens est ex ipsa institutione Matrimonij haberi diuinam gratiam ad permanendum in his Matrimonij bonis vsque ad mortẽ. id enim sine diuina gratia fieri non potest.

habet coniugum Catholicorum promissionem gratiæ

Friuolum verò est, quod ait Zaboro. Coniuges in Matrimonio saluari non pro-

non propter Matrimonium: sed quia in Christum credunt, & pœnitentiam agunt. Non enim solùm propter Fidem & pœnitentiam: sed etiam propter gratiam diuinam, quam in Matrimonij celebratione, ad honestè & Christiane in Matrimonio viuendum, permanendo in illis quatuor bonis, acceperunt. Sicut & in Baptismo & Eucharistia, non solùm homines saluantur, propter Fidem qua Sacramenta percipiunt: sed etiam propter gratiam Baptismi & Eucharistiæ, quam his Sacramentis Fide susceptis promisit & attribuit Christus. vt suprà ostensum est. *ex se non solùm propter Fidem & Pœnitentiam.*

3. Zaborouij ratio est: quia esset Sacramentum ante peccatum. at ineptit. Nos enim, non quodcunq; Matrimonium dicimus propriè Sacramentum, hoc est, diuina gratia donatum: sed tantummodo Christianum. ante peccatum verò Matrimonium non fuit hoc sensu Sacramentum. Quanquã sicut alia mysteria, quia occultum quid continent, dicuntur Sacramenta: ita & illud dici potuit Sacramentum; sed non tale quod gratiam conferret. hoc enim proprium est nouæ legis Sacramentorum. *nullum autẽ aliud.*

4. Quia esset veteris legis Sacramentum. Sed & hoc reijcitur. speciali enim ratione in noua lege Matrimonium institutum est, ad Christi & Ecclesiæ coniunctionem spirituali quoq; coniunctione coniugum repræsentandã quod in veteri lege factum non est. *Mosaicum nil cum illo habet.*

5. Quia esset etiam inter Iudæos Sacramentum: quia verum Matrimonium. neque hoc satis aptè dicitur. Non enim omne verum Matrimonium est Sacramentum: sed solùm quòd ritu Christiano à Christo instituto celebratur, ad repræsentãdam vt dictum est Christi & Ecclesiæ coniunctionem. Iudæorum igitur & gentilium Matrimonia, sunt vera Matrimonia sed non Sacramenta. *nec vlla alia.*

6. Quia si Matrimonium polluit Sacerdotium, non est Sacramentũ. Hæc ratio sicut est vltima, ita omnium ineptissima. Nam probaret etiam Baptismum & Eucharistiam non esse Sacramenta. Quis enim nescit, Eucharistiam polluere posse hominem, imò & condemnare, teste Paulo, si indignè sumatur? nunquid propterea Eucharistia non erit Sacramentum? *Pollui matrimonio sacerdotium non tollit rationẽ Sacramenti.*

Quodsi dicat, Eucharistiam non ex se id habere quod polluat hominem, sed ex peccato indignè sumentis: pari ratione dicam, etiam Matrimonium non ex se habere quòd polluat Sacerdotem, sed ex peccato Sacerdotis: qui cùm se voto castitatis obstrinxisset, contra votum affectat Matrimonium: *damnationem*, vt ait Paulus, *habens. quia primam fidem*, seu promissionem irritam fecit. Hoc ergo peccatum perfidiæ, quo fidem Deo datam violauit, illum polluit, non Matrimonium. Ex quo ineptitudo rationis Zaborouianæ apparet. *idquè est culpa Sacerdotis lasciuientis.*

Iudæi nobis in hoc norma non sunt.

Similiter & illud ineptè ex lege veteri adducitur, in qua Sacerdotibus illius legis licebat habere vxores. Quid enim hoc ad Christianos? Nam licuit etiam Iudæis circumcidi, nunquid ideo & Christianis? à carnali lege ad Christianam & cœlestem non est conueniens argumentatio: nec quod licuit imperfectis Sacerdotibus, idem perfectis licitum esse censendum est.

Coniugium Sacerdotibus interdictum ex Paulo.

Illud etiam quod Paulus ait, Episcopum esse debere vnius vxoris virum 1. *Tim: 3.* non iuuat, sed iugulat aduersarios. Etenim si Paulus eos, qui secundas nuptias ante iniuerunt, prohibet ad Episcopalem dignitatem assumi, non secundas nuptias condemnando (sunt enim verum Matrimonium) sed eas cum perfectione dignitatis Episcopalis minus conuenire iudicando, quod id signum esset (vt ait Chrysostomus *hom: 2. in epist: ad Titum.*) animi non satis pudici & continentis, qualem statum Episcopalis requirit: quid nos damnamur, si Matrimonia noua Sacerdotes inire prohibemus? cùm exemplo Pauli continentiam & pudorem in Sacerdotibus requiramus. Quodsi Paulus secũdas nuptias antè initas, quòd solùm essent indicium animi incontinentis, non censuit ei conuenire, qui ad Sacerdotium promouendus est: quanto minùs censuit vsum ipsum coniugij? maior enim incontinentia est in vsu coniugij, quàm in secundis nuptijs aliquando celebratis. Certum verò est ex omnium Patrum sententia, eos qui, cùm vnius vxoris viri essent, à coniugio ad Sacerdotium vocabantur, deinceps continere & ab actu coniugij abstinere debuisse.

& Patribus constat.

Porrò parum referre putat Zabor. quod Paulus Matrimonium vocet Sacramentum *Ephes. 5. 32.* Græcè enim, inquit, est mysterium. Quasi quod Græcè mysterium dicitur, Latinè non vocetur Sacramentum. At, inquit, à Paulo non Matrimonium vocari Sacramentum, sed coniunctionem illam Christi & Ecclesiæ. Verùm omnino negari non potest vtroq; modo accipi posse mysterium: vel pro re occulta & abdita significata, quod dici potest mysterium significatiuum: vel pro re occultum aliquid & abditum significante, quod dici potest mysterium significans. Sic enim *Apocal. 17. 5.* & mulier illa dicitur mysterium, propter significationem: & *v. 7.* res per mulierem significata dicitur quoque mysterium seu Sacramentum. Hoc igitur modo, & Matrimoniũ dici potest mysteriũ significãs coniunctionem Christi & Ecclesiæ: & coniunctio ipsa Christi & Ecclesiæ dici potest mysterium significatum. Nihilominus hoc in loco à Paulo Matrimonium ipsum dici Sacramentum seu mysterium verba ipsa Pauli satis indicant, & præcipuè particula *Hoc: Sacramentum*, inquit, *hoc magnum est.* id est, hoc quod dixi de Matrimonio & eius indissolubili vnione, est Sacramentum magnum. Deinde illa verba, *in Christum & in Ecclesiam* (sic enim habetur in Græco) indicant

Mysterij significatio duplex

eadem significatione, qua cæteræ Paulo dicitur mysterium coniugiũ.

dicant, hoc mysterium tendere ad significandum Christum, & Ecclesiam. Iam igitur accipias mysterium pro re significata: sic non Matrimonium est mysterium, sed coniunctio Christi & Ecclesiæ. Si verò pro significatione ipsa: sic matrimonium est mysterium, non coniunctio Christi & Ecclesiæ. quo etiam vtroq; modo secundùm variam mysterij acceptionem loquuti sunt Patres.

Sine causa autem veretur Zab. ne, si Matrimoniũ auctore Paulo vocemus verum Sacramentum plusquam septuaginta admittamus vera Sacramenta: nempe ea omnia, quibus Sacramenti nomen in Scriptura tribuitur. Eo enim metu liberamus Zaborou. quòd non quocunque sensu Matrimonium vocemus Sacramentum: sed eo duntaxat, quo vera & propriè dicta Sacramenta Ecclesiæ dicuntur Sacramenta, quæ sunt Sacramenta animos sanctificantia, & diuinam gratiam in nobis efficientia. *nempe quia sanctificat & efficit gratiam.*

Iam verò Confirmationem, non verum Sacramentum; sed temporalem tantùm fuisse ceremoniam, qua donum charismatum conferebatur, affirmat Zabor. quod donum cùm sit Ecclesiæ ademptum, Confirmationis quoque Sacramentum non manere errat. Id enim quod præcipuè in Confirmatione per impositionem manuum conferebatur, erat Spiritus S. *Act. 8. 17. Tunc imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum sanctum. Act. 19. 6. Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super eos, & loquebantur varijs linguis, & prophetabant.* Etenim Spiritum S. Christus non Apostolis tantùm, sed toti etiam Ecclesiæ promisit. *Ioan. 14. 16.* qui & Paracletus esset, id est consolator: & maneret apud nos in æternum. *Ioan: 15. 26. Ioan: 16. 8. Luc. 24. 49.* Promisit autem ad effectum Confirmationis: nempe ad consolandos, & fortes reddendos ad testificandum Christo, & ad arguendum mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio; ad induendos virtute ex alto. vt ex iisdem locis patet. Hunc igitur Spiritum S. ad hos effectus Apostoli, & ipsi à Christo acceperunt die Pentecostes: & alijs dabant per impositionem manuum, nempe omnibus baptizatis. *Confirmatio mystica Spiritum S. confert*

Et quamuis tunc daretur Spiritus S. cum alijs externis & visibilibus donis, quale est donum linguarum, prophetiæ miraculorum; quod id temporis illius ratio & Fidei propagatio requireret: tamen quia Fide propagata donorum illorum necessitas cessauit, etiam eorundem visibilis communicatio cessauit: at inuisibilis Spiritus S. infusio non cessauit vnquam; quia nec eius necessitas vnquam cessat: nempe nostra in Fide profitenda roboratio, & ad superanda pro Christo omnia difficilia animi virtus & fortitudo. propter quos fines tunc Apostolis primùm, deinde cæteris quoq; fidelibus per manus Apostolorum dabatur Spiritus S. Hinc Petrus *Act. 2. 39.* ait donum Spiritus *neque charismatis alijs cessantibus.*

sancti non ipsis tantum Apostolis, sed omnibus credentibus promissum fuisse. *Vobis*, inquit, *est repromissio, & filijs vestris, & omnibus qui longè sunt.* Et *Act. 11. 17. Eandem*, inquit, *gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis.* Non igitur Confirmatio per impositionem manuum fuit temporalis ceremonia: sed perpetuum Sacramentum ad finem vsque mundi duraturum: neque propter charismata præcipuè institutum: sed ad conferendum nobis Spiritum S.

debet esse cũ vnctione.

At non habet, inquit, etiam externum elementum à Christo institutum. Chrisma enim, quo in confirmãdo vtimini, ex synagoga potius, quàm ex Christi schola accepistis. Atqui elementa requiri ad omnia Sacramenta hactenus docere non potuisti, Zaboroui; sed nec docere poteris vnquam. Quod ad Chrisma attinet: si, vt tu contendis, Apostoli eo non sunt vsi: concedere vt minimum debes Confirmationis Sacramentum, quatenus in eo per impositionem manuum dabatur Spiritus S. hoc enim disertè oracula testantur. Deinde Apostolos in Confirmatione, non solùm imposuisse manus, sed & vnctionem adhibuisse, habemus non tantùm traditione perpetua Ecclesiæ ab ipsis Apostolis accepta (de qua si vis lege Bellarminum doctissimè id probantem) verùm etiam ex Scriptura ipsa, quæ id satis innuit *2. Corin. 1. 21. Qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos, Deus: qui & signauit nos; & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Illa enim Confirmatio promissa nobis à Christo per communicationem Spiritus sancti dicitur fieri cum vnctione & signatione.

ad significandam internã vnctionem.

Nam si dicas, sermonem esse de vnctione & signatione interna; respõdeo, sicut in Baptismo ablutionem internam instituit Christus fieri per ablutionem externam: ita in Confirmatione idem Christus instituit internam Confirmationem fieri per externa signa eam gratiam significantia: quale signum est impositio manuum; quo diuinum auxilium & virtus dari significatur. Et quia eadem gratia Confirmationis similitudine vnctionis & signationis explicatur; idcirco non nudam impositionem manuum in Confirmatione asserimus, sed vna cum vnctione & signatione: quorum vtrumq; in forma Confirmationis exprimitur, quæ est huiusmodi *Consigno te signo Crucis; & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris & Filij & Spiritus S.* quæ dictis S. Pauli verbis respondet, vsu ipso & traditione Ecclesiæ ita exponente.

id què ab Apostolis præscriptum. & ab ipso Christo.

Quocirca Chrismatis vsum, non à synagoga, sed ab Apostolis & Christo accepimus: vti Apostolorum discipuli clarissimè testantur. Dionysius Areopagita *de Ecclesiast. Hierarh. cap. 4.* vbi Chrisma vocat vnguenti compositionem, & collectionem suauiter spirãtium materiarum. Clemens *7. Const. c. 44.* Fabianus Papa & Martyr *Epist. 2. ad Orientales.* qui apertè dicit, Christum insti-

stum instituisse, vt Chrisma conficeretur ex oleo admixto balsamo: & alij.

Ridiculã verò nobis Confirmationem vera & Apostolica exclusa substituit Zabor: quum ait, Ministros Euangelicos post Baptismum infantibus manus imponere precantes, vt vbi succreuerint detur illis Fides saluifica &c. talis enim impositio manuum, vana est ac inanis; cùm per eam non detur Spiritus sanctus, & ab Euangelicis non ab Apostolis instituta. demum nullã prorsus vim obtinet; siquidem fit ab eis, quibus nullam constat potestatem spiritualem legitimè concessam esse. *Euangelici inaniter imponunt manus suas.* 1. 2. 3.

Denique extremam Vnctionem existimat fuisse signum externum donii sanationum, quod Deus Ecclesiæ ad tempus concesserat. *Marci 6. 13. Vngebant ægrotos, & sanabantur Iacobi 5. v. 14. Vngentes eum oleo in nomine Domini.* fallitur. Nam vt concedam vnctionem, de qua *Marci 6.* fuisse donum curationum: non tamen eam, de qua *Iacobi 5.* cùm huic assignetur effectus spiritualis in anima: *Oratio*, inquit, *Fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Hæc enim spectare ad saluationem & alleuationem animæ patet: tum ex eo, quòd additur: *Si in peccatis sit remittentur ei.* tum quia, cùm absolutè promittatur salus infirmo, si de corporali salute id intelligatur, sequeretur infirmos tempore Apostolorum semper sanatos fuisse, & nunquam fuisse mortuos. nisi forte eos, qui non aduocassent in infirmitate presbyteros. Necesse est igitur intelligi de salute spirituali: quæ sicut absolutè promittitur, ita semper impletur. Tum quia si de sanatione corporali ageretur, non dixisset Apostolus, *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros.* Nam nec soli presbyteri habebant donum curationum, nec omnes. Et si oleo erat annexa gratia curationum: quiuis, etiam Diaconi, & Prophetæ, & Doctores potuissent oleo curare: Sicut & *Marci 6.* Apostoli non erant presbyteri aut Sacerdotes; & tamen vngentes infirmos curabant. Propterea ergo Presbyteros, hoc est Sacerdotes (qui soli in Ecclesia Presbyteri dicuntur) induci iubet: quòd eorum spiritualis potestas ad effectum vnctionis spiritualem requiratur. Inualida enim infirmorum vnctio in Ecclesia semper est habita, quæ non à Sacerdote esset facta. *Extrema vnctio non est curationum gratiæ significanda.* 1. 2. 3. 4.

Ex quo etiam patet, hanc ceremoniam non esse temporalem, sed perpetuam in Ecclesia. Nam & infirmi semper sunt in Ecclesia: & salute, alleuatione, ac remissione peccatorum indigent: quare & remedio vnctionis ad hoc à Christo instituto. Hoc enim modo, & alia Sacramenta perpetua esse probamus. *perpetuò vsurpanda Ecclesiæ.*

Hinc igitur refelli possunt rationes Zaborouij. Prima quidem: quia ad animæ salutem præcipuè ea vnctio instituta est. In secunda verò, quum dicit *non dabatur vel no datur*

leuiter ægrescentibus.

vnctionem istam Apostolis non fuisse extremam, quia dabatur infirmis qui curabantur: nostra autem ijs solùm datur, quibus nulla spes recuperandæ valetudinis: turpiter errat. Nam neque illa tempore Apostolorum dabatur quibusuis infirmis, sed solùm grauiter decumbentibus. alioqui leuiter infirmi non egebant inductione presbyterorum; sed ipsi poterant presbyteros adire: neque nostra vnctio etsi datur solùm ijs qui in periculo vitæ constituti sunt vt diuino præsidio muniantur cùm humana desunt, sæpe tamen cùm id expedit eosdem etiam ad pristinam sanitatem reducit frequenter, sua Sacramentali virtute ad id concurrente.

hoc ab Apostolis non vncti alij, quã baptizati.

Ad tertiam etiam Zaborouij rationem, cùm ait Apostolos vnxisse promiscuè baptizatos & non baptizatos, nos autem baptizatos duntaxat; respondeo: Apostolos, oleo quidem curationis, de quo *Marci 6.* etiam non baptizatos vngere solitos fuisse: oleo tamen extremæ vnctionis, de quo *Iacobi 5.* nonnisi baptizatos; quòd illi qui baptizati non essent, capaces non essent Sacramentalis vnctionis.

non sanctum id illis fuisse non probat Zaborouius.

Quartò addit Apostolos vnxisse oleo vulgari: nos consecrato. At neque ipse probare potest Apostolos esse vsos oleo non consecrato: neque nos iure reprehendere, quod ea, quæ ad sacra mysteria assumimus, rite priùs cõsecremus. cùm & Apostolus dicat, omnem creaturam verbo Dei & oratione sanctificari: & Augustinus luculenter testetur perpetuum Ecclesiæ vsum in rebus signo Crucis consecrandis, *Tractatu 118. in Ioan. Crucis*, inquit, *signum nisi adhibeatur siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ qua regenerantur, siue oleo quo Chrismate vnguntur, siue sacrificio quo aluntur: nihil eorũ rite perficitur.* Quocirca & Clemens *8. Const. c. 35.* & Basilius *lib. de Spiritu S. c. 27.* Olei benedictionem, Apostolicam doctrinam & traditionem vocant.

nobis Patres indicant.

ridet consecrationem eius vt barbarus.

Ridet quidem more suo olei exorcismum, consecrationem, venerationem. Sed hæreticus non esset, si non rideret. Ridet enim, quod non intelligit. Nam simili modo gentiles præcipua Fidei mysteria non intelligentes deridere erant soliti. Quodsi intelligeret, potestatem Ecclesiæ datam esse super omnia dæmonia, & in particulari ad repellendos dæmones à creaturis Dei ne illas impediant in suis effectibus, qua potestate vtitur in Exorcismis: similiter intelligeretis & illam potestatem quæ data est ad creaturas rite consecrandas & sanctificandas verbo Dei & oratione; vt testatur Paulus, veneraretur potiùs nobiscum res sacras (virtus enim Dei in eis operatur) non carperet.

Augustinum temere vult eludere.

Ridiculè itaque quasi confecto prælio euicisse se gloriatur, duo tantùm esse propriè dicta Sacramenta: cùm tam straminea & futilia ad tantam rem pro-

rem probandam argumenta produxisset. Cùm verò ad Augustini testimoniũ de septem Sacramentorum vsu in Ecclesia respondere non posset: temere respondit, Augustinum nonnisi ea impropria & larga significatione Sacramenta vocauisse. Luce enim clarius est, Augustinum ea significatione docere ea esse Sacramenta, quæ ad sanctificandas animas valent, comparat quę illa cum Baptismo & Eucharistia. vti in NODO docuimus.

Inepte porro duo loca Augustini memorat. in quorum altero exempli solùm causa duo Sacramenta numerat, Baptismum & Eucharistiam, alijs prætermissis libro *de Doctrina Christiana c. 9.* quasi necesse sit, vel cùm vnũ Sacramentum pro exemplo adducitur, recensere omnia: vel nisi recenseantur, alia non esse Sacramenta. In altero verò in *epist. 118.* præter dicta duo, alia generatim perstringit; *Etsi quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur.* Commendari autem ipsemet alibi testatur. Nam de Confirmatione *2. contra epistolam Petiliani cap. 104.* ait: *Sacramentum chrismatis in genere visibilium signaculorum est Sacramentum sicut Baptismus.* De Ordine. *libro de Baptismo contra Donatistas cap. 1. Vtrumque*, inquit, *Sacramentum, & quidem consecratione vtrumq; homini datur; illud cùm baptizatur; istud cùm ordinatur.* De Matrimonio, in libro *de Bono Coniugij cap. 29. Bonum nuptiarum in sanctitate Sacramenti est, quod manet in coniugatis: licet proles non sequatur: sicut Sacramentum Ordinationis manet in ordinatis, licet plebem non congregent.* De Pœnitentia libro *de coniugio adulterino cap. 26. & 28. Eadem*, inquit, *est causa Baptismi & Reconciliationis, sine quibus Sancti homines, credunt se non debere exire è corpore.* de Extrema Vnctione *2 de visit. infirm. cap. 9.* si ergo Augustinus tam expressè alia Sacramenta cum Baptismo comparat, & pro Sacramentis sanctificantibus animam ea habet: qua fronte Zaborouius negare est ausus, Augustinum ea esse verè & propriè Sacramenta docuisse?

& impudenter pro se allegat.

Quare & illud non minus imprudens, quàm impudens dictum censeri debet: neminem ante Lombardum septem sacramenta docuisse. Quam impudentiam non solùm perpetuus Ecclesiæ vsus (cuius antiquissimi Patres, quorum seriem vel apud vnum Bellarminum facilè reperias, sunt testes) sed etiam Scriptura ipsa redarguit. vti Paulò antè à nobis demonstratum est.

numerus Sacramentorũ antiquior Lombardo.

Satis abundè probatum est, Euangelicos Ministros Sacramentorum dissipatores esse. Vix enim vnum ex septem verè retinent. Eucharistiam namq; longè aliam habent quàm nos: illis enim Eucharistia est panis, nobis autem Corpus Christi verùm. reliquum est, vt videamus, quomodo omnẽ quoque virtutem Sacramentorum exterminarint. Docent enim nullam veram virtutem, qua nos sanctificent, Sacramentis inesse; sed significationem

duntaxat

Mosaica signa præstant cœna Caluinistica.

duntaxat. quod est nostra Sacramenta paria imò inferiora veteris legis Sacramentis facere. Hæc enim præter significationem habebant nihil. imò in significando erant pleraq; nostris præstantiora: vt patet in Agno Paschali & Manna, quæ longè præstantiora signa fuerunt frusto panis Caluinistici.

Nã & illa sigilla diuinarũ promissionum:

Nam quod ait Zaborouius nostra Sacramenta esse quoque sigilla diuinarum promissionum. id etiam in Sacramenta veteris legis conuenit: cùm Circumcisio signaculum Fidei à Paulo dicatur, & ratio sigilli non excedit rationem signi.

& Caluinistica iidem nõ efficiunt salutem nostram.

Cùm verò ait Deum in vsu Sacramentorum efficaciter salutem nostrã operari. id quidem verum est, si Sacramentis tanquam medijs à Deo institutis ea operatio tribuatur: vti nos credimus. At cùm ipsi omnem operationem tribuant Fidei, Sacramentis autem solam rationem signi tribuant: non maiorem operationem tribuunt nostris, quàm veteris legis Sacramentis. Nam etiam vetera Sacramenta cum Fide suscepta ratione Fidei operabantur salutem. quia tamen ex se nullam operationem habebant, vocat ea Paulus infirma & egena elementa. quo etiam nomine nuncupanda essent nouæ legis Sacramenta, si nullam ex se sed omnem ex Fide operationem haberent. Et sanè infantes per Baptismum saluari perspicuum est. quos tamen certum est nullos Fidei actus exercere: vt vel ex eo pateat Sacramentis quoque, non soli Fidei vim ad nos saluandos inesse.

Falsò citat Augustinum pro se Zabor.

Porrò falsò Zabor. testem Augustinum aduocat: quasi is soli Fidei effectum Sacramentorum adscribat. Ita enim ait *tract 80. in Ioan. Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? nisi faciente verbo: non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.* Vbi Augustinus non de verbo concionali, quod Fidem promissionum diuinarum excitet (vt putat Zabor.) loquitur: sed de verbo Sacramentali, quod accedens ad elementum facit Sacramentum. est què illud, quod in administratione Sacramenti dicitur; *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus S.* Hoc itaq; verbum, non promissiones aliquas, sed Sanctã ipsam Trinitatem nobis proponit: atque ideo habet in se virtutem quã aquæ communicet, vt videlicet aqua virtute Patris & Filij & Spiritus sancti, quorum nomine funditur, corpus tangat, & animam abluat. Et hoc est quod ait Augustinus; *Non quia dicitur, sed quia creditur.* ita vt non Fidei qua creditur, sed rei quæ creditur, hanc virtutem adscribat. Non enim ratione soni, sed ratione rei sanctificatæ, verbum illud Sacramentale habet hanc vim animam abluendi. Non igitur vltima hæc verba Augustini à me omissa fuerunt fraudis alicuius faciendæ gratia (vti putat Zabor. nihil enim pro aduersarijs faciunt, pro nobis autem plurimum:) sed quod sine illis mens Augustini constaret.

Illud

Illud verò minimè dissimulandum, quod Augustini verba falsauerit Zaborouius, quasi ille dixerit Sacramenta nouæ legis esse in re paria legis veteris Sacramentis. Citat enim locum *ex tractat. 26. in Ioan. In signis diuersa sunt, sed in re paria.* Verùm hæretico suo more falsauit hunc locum. Non enim August. dicit, absolutè esse in re paria, sed *in re quæ significatur paria.* quæ verba dolo malo omisit Zabor. Licet namque secundùm Augustinum vtraque Sacramenta in re significata sint paria, quia eundem Christum, quē vetera significabant futurum, noua significant præsentem: tamen in re, quā efficiunt, sunt imparia, quia ista dant salutem, non illa. vt enim *in Psalm. 73.* ait: *Præcepta* in nouo & veteri Testamento *sunt eadem, Sacramēta non eadem: quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Saluatorem. Sacramenta nouæ legis dant salutem: Sacramenta veteris legis promittunt Saluatorem.* Hoc igitur solo præstantiora sunt noua Sacramenta veteribus, quod virtutem in se habeant conferendi nobis gratiam & salutem, quam illa non habent. Quin etiam hac virtute sublata tolleretur omnis Sacramentorum necessitas: cùm ad significandam & ad excitandam in nobis Fidem non desinit multa alia & efficaciora media, inter quæ est lectio Scripturarum diuinas promissiones continentium.

Corrupit aliū eius locum.

Sacramenta nostra nisi efficiant gratia non sunt necessaria.

Nam quod ait Zaborouius. Nobis insistendum esse medijs à Christo institutis. id quidem verum est: sed Christus non frustra nec temere voluit nos insistere medijs ab ipso institutis: verùm ideo quod illis virtutum speciē ad aliquid efficiendum concesserit. Et hoc ipsum est, quod vrgemus: vt nos quoq; virtutem singularem ac diuinam Sacramentis inesse credamus. alioqui frustra Christus nos obligasset ad media, sine quibus æquè bene aut etiā meliùs finem obtinere possemus. Cùm igitur Euangelici virtutem omnem Sacramentis auferant, quid aliud faciunt, quam illis non esse necessariò insistendum ostendunt? Non potuit itaque euadere Zaborouius, quin ipse cū suis comministris dissipator & destructor Sacramentorum probaretur: quod & substantiam Sacramentorum, & vim omnem ac virtutem eorum euerterint.

CAPVT V.

Secundùm Christi institutionem æquè vtriusque ac alterius tantùm speciei vsum licitum esse.

MVlta hoc loco contra vnius speciei vsum congerit Zaboro. Rhetoricis magis quàm veris ac solidis rationibus docens nos Sacramenti mutilatores & sacrilegos diuisores esse. Quæ antequam refellam, dico Euangelicos nullum ius habere contra nos agendi de vsu vnius vel vtriusque speciei. vt enim qui fundi proprietatem non habet, non potest nec permittitur iure agere de finibus seu limitibus illius fundi, quod limites fundi ad eum duntaxat pertineant, ad quem pertinet fundus: ita cùm Euangelici Christum in Sacramento non habeant, ius quoq; non habent agendi, an sub vna vel vtraque specie sumi debeat. Postquam enim Christum verè non habent in Sacramento, nihil illorum refert, an sumatur sub vna vel sub vtraque specie. siue enim sub vna, siue sub vtraq; sumant, nihil sumunt: quia non Christũ sed signa Christi sumunt. tantùm enim Christus ab illorum Sacramento distat, quantùm cœlum à terra. Neque solum præsentiam Christi carnalem, vti aiunt, non habent: sed nullam omnino veram Christi præsentiam, quæ secundùm ipsos in cœlo tantùm est, & ad nos cogitatione sola & Fide deriuatur.

Nullum ius est agẽdi Euãgelicis pro vtraq; specie.

2. Deinde alia quoq; ratione id ostendo. Nos enim sub vna specie totum habemus, illi sub vtraq; nihil. Habemus totum Christum: quia is diuisus haberi non potest; & qui eum soluit ac diuidit, ex Deo non est; & Antichristus est teste Ioanne *1. Ioan. 4.3.* Habemus etiam vitam æternam, atq; adeo totum eum fructum, qui ex huius Sacramenti sumptione expectari potest. *Qui* enim *manducat me, viuet propter me. Ioan. 6.* Illi verò sub vtraq; specie nec Christum habent, sed signa vacua Christo: nec vitam æternam; quia eum sub speciebus non habent, in quo & ex quo vita æterna. Non igitur habent vllum ius Euangelici agendi contra nos de vtraque specie: nisi priùs Christum, & veram eius in Sacramento præsentiam, nobis restituant. alioqui nec vna nec vtraq; specie digni sunt, qui Christum ab omni Sacramenti specie exclusum volunt.

Non indignũ fateri Christum contineri sub specie panis.

Blasphemum esse ait Zabor. Christum totum cum Corpore, Sanguine, anima, Deitate sub accidentibus panis detineri. Imò verò blasphemũ est, Zaboroui, id non fateri. An non blasphemum est Christi Corpus exangue, & mortuum, & Diuinitate vacuum asserere? etenim cum Paulo credimus Christum postquam resurrexit mori non posse; ac proinde nec corpus exangue, ac anima & vita destitutum habere. Si igitur in Sacramento sit verum eius corpus, nec sine anima esse potest, nec sine sanguine; alioqui esset

2. mortuum: nec sine diuinitate; quia non esset corpus à Christo assumptum, si non esset diuinitati vnitum. Deinde an non blasphemum est soluere & diuidere IESVM? cùm S. Ioannes omnem soluentem IESVM, ex Deo non esse, imò & Antichristum esse fateatur. At qui diuidit in Christo carnem à

indignum fingere dissectum.

sanguine

sanguine, anima, diuinitate, soluit & diuidit IESVM: quia eam vnionem, quæ in Christo insolubilis est, destruit. Non igitur potest sine blasphemia dici, Corpus Christi in Sacramento esse, sine sanguine, anima, diuinitate. Deniq; blasphemum est, negare ea Christi verba *Ioan. 6. Qui manducat me, ipse viuet propter me.* & quòd ipse sit panis viuus. At si corpus Christi sine sanguine & anima, manducetur, non manducatur Christus viuus: si etiam Corpus non sit Diuinitati vnitum, non erit vere Christi corpus, sed alterius suppositi; quia non erit ab ipso assumptum, sed ab ipso dimissum & factum alterius corpus. Non potest igitur sine blasphemia negari corpus Christi in Sacramento cum sanguine, anima, diuinitate, contineri. Licet enim ex vi Sacramenti sit solum Corpus (Christus enim nominauit solum Corpus,) tamen per concomitantiam sunt & alia à quibus auelli corpus non potest, nempe anima, sanguis, diuinitas. quæ concomitantia tam clarè deducitur ex Scripturis, quàm clarè probatur, corpus Christi sine sanguine, anima, diuinitate, esse non posse. Christus enim dicendo Corpus suum dixit consequenter ea, sine quibus Corpus eius esse non potest.

Riduculus verò est Zaborouius, cùm ex eo, quòd Sacramenta re terrena & cœlesti constant, infert Ministrum dare tantùm partem terrestrem, hoc est panem, Christum verò de cœlo dare partem cœlestem, hoc est Corpus & Sanguinem suum cum omnibus beneficijs suis. Etenim nunquid Christus Ministros non iussit dare fidelibus Corpus suum? hoc enim suo exemplo faciendum docuit, cùm benedicendo panem fecit Corpus suum, & eum factum Corpus suum dabat Apostolis: *Accipite & manducate, hoc est Corpus meum:* demonstrans corpus suum in manibus suis, & in Eucharistia quam tenebat. Quis igitur ferat Zaborouium negantem Ministros quoq; dare Corpus Christi? Nam etsi principalis dator sit Christus: dat tamen per Ministros quibus & dandi potestatem commisit, & ijsdem ad effectum Sacramentorũ conferendum cooperatur. Alioqui quorsum Ministri? quorsum ministeriũ? signa enim quilibet posset sibi ministrare, & corpus Christi ab ipso Christo de cœlo postulare. Et sane Paulus eos, qui indignè manducant, non negat vllo modo manducare corpus Christi. Qui enim indignè manducat, verè illud manducat, licet indignè: qui autem verè non manducat, is etiam nec dignè nec indignè manducare dici potest. Quare si mali verè manducant corpus Christi in Sacramento, licet malè & indignè, accipiunt proculdubio illud à Ministris in Sacramento. Neque potest Zaborouius tueri se verbis Augustini, qui aliquando videtur dicere, rem Sacramenti à solo Deo dari. Id enim eo sensu quo ipse dicit accipiendum est nempe quòd externa elementa homo naturali sua actione prebere potest, rem verò seu effectum Sa-

Qui Corpus suũ dari vult à Ministris, nõ à se è cælo. 1. 2. *Augustinus non est pro Zaborouio.*

cramenti solus Deus. non quod sine ministerio hominum hoc faciat; sed quod id non sit ex hominibus, sed ex Deo.

His itaq; suppositis, venio ad refutationem calumniæ nobis à Zaborouio impositæ. & dico, non posse nos nisi per calumniam mutilatores & diuisores Sacramenti vocari.

Gelasius & Leo Manichæorum superstitionem damnant.

Primum, quia falsum est, tale de hac re iudicium tulisse Gelasium *cap. Comperimus de Consecratione d. 2.* & Leonem Papam *in serm. 4. de Quadra.* Hi enim Pontifices non absolute, nec quamcunque sumptionem Eucharistiæ sub vna specie condemnârunt, sed ortam ex superstitione & infidelitate Manichæorum. Cùm enim Manichæi eo animo abstinerent ab altera specie, quod vinum esse malum & fel draconis docerent, & Christum vere fuisse mortuum & verè sanguinem fudisse negarent: ex vtraq; hac causa, seu potiùs superstitione ac infidelitate, abstinendum sibi ab altera specie censebant. Quæ res cùm superstitionis & infidelitatis plena esset, non poterat à dictis Pontificibus nisi sacrilega diuisio Sacramenti censeri. Nam & vini speciem superstitiosè detestabantur: & Sanguinem Christi verum prorsus negabant. quod & nos cum dictis Pontificibus & vniuersis fidelibus condemnamus, & tanquam sacrilegum ducimus: & qui eo spiritu ab altera specie abstineret eius partem cum Manichæis esse fatemur. Id ita esse patet. Nam Gelasius expressè dicit; *Quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi.* & D. Leo. *Cùm ad tegendam infidelitatem suam, nostris audeant interesse mysterijs.* &c. *& Sanguinem redemptionis nostræ haurire declinent.* De qua re Baronius in annum 496.

vt & nos damnamus.

Non poterat nescire Zaborouius hanc mentem fuisse horum Pontificũ: vti & à nostris non semel declaratum est: & tamen contrariam illis mentem affingit, ac si non superstitiosam & non ex infidelitate ortam sumptionem condemnarent, sed absolutè omnem sumptionem sub vna specie. quæ est grauissima, & tantorum Patrum iniuria, & ipsius etiam veritatis. Ridendæ igitur sunt illæ Zaborouij exclamationes in vento fundatæ. *O tempora* inquit, *ô mores: quod illis Pontificibus fuit sacrilegum & hæreticum, nunc Smiglecio sanctum & Catholicissimum.* Quis enim hic non aduertat Zaborouium, aut falsa Pontificibus obijcere: aut cum sua vmbra pugnare?

non verò vnã speciem absolutè.

Secundò non possumus iure diuisores Sacramenti vocari, qui totum & indiuisum Christum in vna specie sumimus. Etenim si Christus in duabus speciebus verè diuisus existeret, ita vt in vna solùm Corpus, in altera solùs Sanguis esset: verè dici possemus diuisores tam Christi quàm Sacramenti ipsum continentis: quia neq; totum Christum, neque totum Sacramentum

sub vna

sub vna specie sumeremus. At cùm totum & indiuisum Christum in vna specie sumimus, quo iure possumus diuisores Sacramenti appellari? Nam sicut non diuidit Sacramentum, qui non sumit multas particulas panis consecrati sed vnam tantum; quia in vna tantùm est de Christi & Sacramenti substantia, quantùm in multis: ita nec nos. Neque enim in duabus speciebus plus continetur de Christi substantia, quàm in vna: neq; fructus Sacramenti, qui est vita æterna, percipitur maior ex vtraq; specie, quàm ex vna. Eadem enim vita æterna, quæ manducanti Carnem & bibenti Sanguinem promittitur, promittitur etiam manducanti solùm panem. *Ioannis 6. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Tantundem sumimus sub vna specie, quantum sub duabus.

Tertiò si nos dicamur sacrilegi diuisores, idem sacrilegium Ecclesiæ vniuersæ impingi deberet. Certissimum enim est, omnibus seculis in Ecclesia vsum sumptionis sub vna specie fuisse, si non vniuersalem in omnibus fidelibus, vt minimum particularem certis temporibus, & in certis personis: neque tamen hoc vnquam vel Ecclesia per seipsam damnauit: vel quisquam Ecclesiæ tanquam rem diuinæ institutioni contrariam obiecit: quod maximè mirandum est in Græcis: qui cùm alia longè minutiora in Concilijs generalibus Latinis obijcere non dissimulassent, vsum tamen Sacramenti sub vna specie nunquam obijciendum existimârunt; licet contrarium cõmunicandi ritum sub vtraque specie ipsi sequerentur. Fuisse autem multiplicem vsum communionis sub vna specie, manifestum est. Nam etsi mos esset in Ecclesia, vt ij qui tempore sacrificij communicarent in quo Eucharistia sub vtraq; specie consecratur & offertur, communicarent sub vtraq; specie: tamen qui extra sacrificium communicabant, siue in priuatis ædibus deferendo secum domum Eucharistiam (quod tunc permittebatur, maximè persecutionum tempore) siue etiam in Ecclesia sumendo Eucharistiam quæ asseruabatur post sacrificium, non communicabant nisi sub vna specie. Nam neque deferenda domum tradebatur, nisi sub specie panis (Calicem enim domum deferri inauditum & periculosum) neque in Ecclesia peracto sacrificio ad vsum infirmorum communiter asseruabatur siue in aurea vel argentea columba, siue in alio simili vasculo, nisi in specie panis: quòd vinum sine periculo corruptionis & effusionis asseruari diu non posset. Cùm igitur is communionis extra sacrificium vsus perpetuus fuerit (de quo multa ex antiquitate testimonia producit Baronius in Anno Domini 57.) consequens est perpetuum in Ecclesia veteri communionis vsum fuisse sub vna specie. Huc spectat ille in Ecclesia vsus communionis præsanctificatorum: in Latina quidem Ecclesia feria VI Parasceues, cùm consecrare Eucharistiam non licuit, sed tantùm præsanctificatis cõmunicare, id quę sub sola panis specie: quod

Vsitatum olim vna specie obire mysterium Eucharistiæ.

1. extra sacrificium.

2. certo tempore.

etiam nunc sanctè seruatur. In Græca verò per totam Quadragesimam præsanctificatis vtebantur, exceptis Dominicis & Sabbatis, ac proinde sub vna specie: nam species vini ob corruptionem & effusionis periculum non asseruabatur. Pro infirmis quoq; Græci etiam nunc per totum annum conseruāt sub specie panis consecratam circa tempus Paschatis Eucharistiam quæ cùm indurruerit, illam ad vsum infirmorum humectant in aliquo liquore non consecrato, & sic præbent communionem sub vna specie.

Vsitatum semper quibusdā. Iam verò certis quibusdam personis permissum semper in Ecclesia fuisse vsum vnius speciei, non minus certum est. Nam inprimis abstemijs, qui vel à natura, vel ab infirmitate vinum ferre non poterant, non dabatur
1. Eucharistia nisi sub panis specie, quod illis altera species esset impossibilis.
2. Infantibus quoque solùm infundebatur aliquid sanguinis: nam solidiori ci-
3. bo vesci non poterant. Infirmis etiam non dabatur communiter nisi vna species: quod vini species, neq; asseruaretur vt dictum est; neque sine periculo corruptionis aut effusionis toties, & ad tot infirmos, & tam distantes deferri
4. posset. Similiter ijs, qui iter inibant longius, vel per mare, vel per terrā,
5. vel etiam propter persecutiones se in varijs locis abdebant, dabatur Eucharistia sub specie panis: quæ in arca ad id accommodata seruabatur, & portabatur. De qua re legi potest Cyprianus *serm. de lapsis.* Ambrosius *in Orat. de obitu Satyri.* Bellarm. *4. de Euchar. cap. 24.* Ex quo manifestè colligitur, veterem Ecclesiam semper vsum communionis sub vna specie retinuisse: siquidem extra sacrificij tempus nonnisi sub vna specie ministrare Eucharistiā in more habebat. Vtramque verò licet sacrificij tempore ministrabant; non

nūquam creditum nefas esse vna specie frui. tamen ita, vt oppositum diuino mandato vel institutioni repugnare censeret: alioqui extra sacrificium sub vna specie communionem prohibere debuisset. Cùm igitur in ea re Ecclesia nullo modo sacrilega ab vllo vnquam sit habita, nec haberi potuerit: neque nos sacrilegij dici possumus, qui morem perpetuum Ecclesiæ sequimur.

Nam si quis dicat, veterem Ecclesiam communiter in templis sub vtraque specie distribuisse; nos autem communiter sub vna: respondendū est inprimis, etiā in templis certis temporibus fuisse communem vsum communicandi sub vna specie, quando nimirum communicabatur ex præsanctificatis. Deinde id, quod præcipuum ex hoc Ecclesiæ vsu probamus, est: veterem illam Ecclesiam non sensisse vsum vnius speciei esse contra ius diuinum; neque vsum vtriusq; speciei esse diuino mandato præceptum. Hoc autem posito sequitur Ecclesiam liberè potuisse fidelibus vsum siue vtriusq; siue alterius tantùm speciei iniungere, eosque ad alterum vtendi modum obligare: cùm neuter vtendi modus mandato Christi repugnaret. Quem-

admodum

admodum igitur primis illis temporibus, quibus maxima religio & reuerentia huius Sacramenti vigebat; grauissimis ex causis voluit fideles communiter vti vtraq; specie: ita postea tepescente pietate & reuerentia in hominibus, & propter multa quæ contra reuerentiam Sacramenti in vsu alterius speciei accidebant, eam legem à se positam sustulit; & in aliam de vsu vnius speciei commutauit. Cùm enim id ad ritum solum pertineat, poterat Ecclesia ea quæ ritus sunt, pro varietate temporum & causarum, vel statuere, vel tollere. ita tamen, vt & nunc Ecclesia quibusdam vtriusq; speciei vsum permittat, vt Bohemis & Morauis: & alijs vsum vnius speciei tantùm iniũgat. Nam simili ratione trina mersio in Baptismo præcepta erat ab Ecclesia veteri, vt patet *ex Can. 49.* Apostolorum, & Tertulliano *de Corona militis.* & tamen certis causis in postulantibus in Concilio Toletano *4. cap. 5.* statutum, vt sub vna mersione daretur Baptismus.

quare fas im statuere.

Hinc etiam patet, quomodo communio sub vtraq; specie fuerit antiquitus præcepta, & ad salutem necessaria: præcepto nimirum Ecclesiastico, non diuino. Præcipiente enim Ecclesia, vt omnes vtramq; speciem sumerent, ad confundendam hæresim Manichæorum, & confirmandam Fidem Catholicam, omnes secundùm conscientiam parere tenebantur: & non parentes salutem consequi non poterant. Cùm rursum alia hæresis oriretur asserens neminem saluari posse qui vtramque speciem non sumeret: id qué iure ipso diuino necessarium esse: rursum Ecclesia vsum vnius speciei vrsit, & fideles ad id præcepto obligauit; vt ea ratione error hæreticus de vtriusq; speciei necessitate opprimeretur, & confessio veritatis Catholicæ re ipsa & moribus pateret. Quocirca sicut præcipiente Ecclesia vtraq; species erat ad salutem necessaria necessitate præcepti Ecclesiastici: siquidem seruare præcepta Ecclesiæ est ad salutem necessarium; & qui Ecclesiam secundùm potestatem ipsi à Christo concessam non audierit, habendus est tanquam ethnicus & publicanus: ita eadem Ecclesia præcipiente vnius speciei vsum, est quoque vsus vnius speciei ad salutem necessarius: siquidem præceptorum Ecclesiæ obseruatio est ad salutem necessaria. Et hoc sensu accipienda sunt, quæ aliquando in Scriptorum Ecclesiasticorum libris de vnius vel alterius speciei necessitate ad salutem leguntur.

vsus vtriusq; speciei imperatus olim ab Ecclesia non à Deo.

Tandem ostendendum est, nos vna specie vtendo, nihil contra institutionem vel præceptum Christi facere: ac proinde nulla ratione nos sacrilegos dici posse. Etsi enim Christus vtramque speciem instituerit: ea tamen institutio præcipuè ad sacrificium spectat. quod cùm debeat repræsentare Christi passionem & mortem, duplici veluti parte constituitur; vna quæ repræsentet Corpus in cruce traditum; altera quæ Sanguinem pro nobis fusum: quæ

Christus vtramque speciem instituit in sacrificio.

quæ repræsentatio mortis Christi tam expresse in vna tantùm specie non habetur. At si de Sacramenti ratione loquamur, ita Christus instituit vtramque speciem, vt in alterutra tota Sacramenti ratio contineatur; ac proinde ad Sacramenti rationem vna sufficiat. Sicut enim vtraque totum Christum continet, & totum Sacramenti fructum: ita & vna eundem Christum, & eundem vitæ æternæ fructum continet. Quocirca cùm Sacramenti rationem æque Christus in vna specie, sicut in vtraq; contineri voluerit, sequitur ex vi suæ institutionis neminem obligasse, ad vtriusq; speciei vsum, nec ad alterius tantùm; sed eum vtendi ritum totum liberum Ecclesiæ reliquisse. Quod si rectè expendisset Zaborouius, non tam facile hæc duo cohærere non posse pronuntiasset: quòd Ecclesia secundùm Christi institutionem, & vna specie, & vtraque liberè fuerit vsa. Ita enim Ecclesia intellexit Christum instituisse vtramq; speciem; vt vna in ratione Sacramenti non penderet ab alia: sed tota ratio Sacramenti, & omnis eius fructus, ita esset in vna, sicut in vtraque. Neque enim solùm spectanda est institutio, sed & modus institutionis. Licet igitur vtramq; instituerit: tamen eo modo instituit, vt quod attinet ad Sacramenti rationem, totam rationem Sacramenti contulerit vni, totam vtriq;: vt, si de perceptione Sacramenti agatur, totum Sacramentum percipiat qui vnam speciem sumit, æquè vt alter qui sumit vtrã. que. Non igitur voluit esse necessariam vtramque ad rationem Sacramenti, sed tantùm ad rationem sacrificij. Atque ita verum est, Christum æque instituisse vsum vnius speciei, sicut vtriusque: ita vt vterq; vsus sit institutioni Christi conueniens, & in vtrouis vsu tota Christi institutio quoad rationem Sacramenti seruetur.

In vtrauis autem Sacramẽtum.

De sacrificio ergo præceptũ est Christi, nõ de Sacramẽto.

Nugatoriæ sunt igitur illæ Zaborouij ratiunculæ, cum ait; Num Spiritus S. quod primùm docuerat Ecclesiam postea dedocuit? Non enim dicimus, Spiritum sanctum priùs Ecclesiam docuisse vsum vtriusq; speciei, postea vnius: sed ab ipso initio, simul docuisse tam vtriusque, quàm alterius speciei vsum, Christi institutioni conuenientem esse: quòd ita vtramq; instituerit, vt totam Sacramenti rationem in alterutra saluari voluerit: nempe vt & totum Christum, & totum Sacramenti fructum, vna æquè ac vtraque contineret. Secundùm igitur hanc Christi institutionem præceptum quoque Christi de sumenda Eucharistia intellexit. Absolutè quidem ad rem ipsam spectare, vt Christi Corpus & Sanguis in Eucharistia sumeretur: quia à Christi Corpore & Sanguine pendet vita æterna. Quoad ritum verò sumendi sub vna vel vtraque specie, nullum Christi præceptum esse, sed institutioni Christi æquè satisfieri, siue hoc siue illo ritu sumatur: cùm tantundem vno, quantùm altero ritu consequamur. Ita enim præcepit Christus

Eucharistia

Eucharistia vti, sicut eam instituit. Atqui æquè in vna specie ac in vtraque Eucharistiam instituit, totum vtriq; totum alterutri quod ad Sacramenti rationem & fructum attinet tribuens. æquè igitur sub vna sicut sub vtraque specie nos Eucharistiam sumere præcepit: & vterque vsus est præcepto Christi de sumenda Eucharistia conformis.

Porrò cùm aduersus hanc veritatem nihil solidi proferre potuerit Zarorouius: leuia quæcunq; congerit. quæ deinceps refellenda sunt. Ait ergo, veterem Ecclesiam vtramque speciem omnibus ad salutem necessariam ita credidisse; vt etiam infantibus propter consequendam vitam æternam tempore Augustini & Innocentij primi eandem porrexerit. At turpiter errat. Nam suprà satis ostendimus eos, qui extra sacrificium communicabant, cōmuniter vna tantùm specie vsos esse, tam eos qui domum deferebant Eucharistiam: quàm infirmos, & eos qui de præsanctificatis communicabant. Infantibus verò nunquam Ecclesia vtramque speciem contulit, sed Sanguinis tantùm partem infundi permisit, quòd cibi solidi minime capaces essent. Quare hinc potiùs vsus vnius speciei, quàm vtriusq; comprobatur.

Argumentū hoc Zaborouij contra ipsum est.

Nunquam creditum necessarium, vtramq; speciē ad salutem.

Cùm vero Cyprianum *serm. de Cœna Domini.* & Augustinum *in quæst. sup. Leuiti.* adducit, dicentes: Omnes inuitari ad bibendum Sanguinem Christi ad vitam æternam consequendam: nihil verius. Bibere enim Sanguinem Christi ad vitam æternam consequendam dicimus esse necessarium, siue is in vna, siue in vtraq; specie sumatur: totus enim Christi Sanguis sub vna specie, totus sub altera continetur. Etsi de re ipsa loquamur, etiam dū sub specie panis sumitur, bibitur: sumere enim Sanguinem, est bibere: licet si speciem externam respicias, sub specie vini bibatur. Quare & Cyprianus *in serm. de lapsis.* adfert exempla Communionis sub vna specie: & Augustinus fatetur Christum Apostolis in Emaus sub vna specie Eucharistiam dedisse, & mox ex oculis eorum euanuisse. *sermone 140. de Temp.* & alibi sæpè.

Patrum sententia quæ & nostra.

Ait præterea Zabor. *Ioannis 6.* cùm dicitur: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me:* non esse sermonem de Eucharistia, sed de spirituali Christi per fidem manducatione. Ita quidem ille cum suis Symmistis, sed vt cætera ineptissimè. Quid enim; an non panem, quem se promittit daturū, Carnem suam appellat? *Panis*, inquit, *quem ego dabo, Caro mea est pro mūdi vita.* Quando vero hunc panem dedit, nisi quando *accepit panem, & dedit Discipulis dicens; hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur?* Alioqui per fidem iam etiam tunc dabat hunc panem ad credendum. volebat, enim tunc in se credi: cùm igitur panem in futurum pollicetur, non potest id, nisi de pane Eucharistico accipi.

Panem promissum a se Christus carnem suam dicit.

quæ indignis est mortifera.

At, inquit, multi manducauerunt panem Eucharistiæ, vt Iudas: non tamen viuūt in æternum. Quid insulsius? An enim manducantibus Eucharistiam indignè promittitur vita æterna? *Qui enim manducat indignè, iudiciū sibi manducat & bibit.* teste Paulo.

Zabor. videtur negaturus Christum è cælo venisse

Sed Christus dicit; *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi:* Eucharistia autem de cœlo non descendit, sed longo post tempore in terra instituenda erat. Simili ratione probaret Zaborouius, nec Christum de cœlo descendisse, quia in terra natus erat de Virgine. Sicut igitur Christus sub humana forma de cœlo non descendit, sed in terra natus est: ita nec sub forma Eucharistiæ seu panis de cœlo descendit. & tamen verissimum est, illum qui erat sub forma humana de cœlo descendisse: sicut & verum est illum qui est sub forma panis Eucharistici de cœlo descendisse, licet non cum forma panis descenderit. Sed apage has ineptias.

manducantibus promissa vita æterna sine potu.

Si demus, ait, Christum *Ioan. 6.* de Eucharistia agere: vtraq; species ad salutem necessaria euincetur illis verbis; *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Non euincetur, Zaboroui, tum quia in vna specie tam carnem quam Sanguinem ipsius sumimus: ex carne autem & sanguine Christi vita in nobis oritur: tū quia, sicut dictum est, *Nisi manducaueritis, nisi biberitis.* ita etiam dictum est, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* ac proinde etiam soli manducationi panis promittitur vita æterna.

quanquam nos & bibimus in vna specie.

Comeditis inquit, potiùs cū carne, quàm bibitis sanguinem Christi. Imò vtrumq; diuerso respectu facere dicimur. Nam si externam formam panis respicias, comedere dicimur: si verò rem ipsam quam sumimus spectes nempe sanguinem, verè & bibere dicimur; proprium enim est Sanguinis vt instar aliorum liquorum bibatur, & sumere sanguinem quid aliud est quàm bibere.

neque id contra institutionem Christi.

Manducatis, inquit, indignè Eucharistiam sub vna specie: quia aliter quàm à Christo tradita est. At hæc calumnia est. Instituit enim Christus integrum Sacramentum sub vna, integrum sub vtraq; specie, & vitam æternā æquè vni ac vtriq; speciei attribuit. Quare cùm sub vna sumimus, secundùm Christi institutionem sumimus: sicut &, cùm sub vtraq; percipimus, secundùm Christi quoq; institutionem percipimus. ita enim vtramq; instituit, vt vna esset quoq; integrum Sacramentum, totum Christum & vitam æternam in se continens.

nugatur pro argumento Zaborouius.

At expressissimum mandatum Christi de vtraq; specie ait haberi apud Euangelistas & Apostolos, cùm præceptum Christi de manducando & bibendo exponunt: *Accipite & manducate: Bibite ex hoc omnes.* Itane verò, Zaboroui,

Zaboroui, pro expresso mandato habes verba Christi; *Manducate & bibite?* Anne qui cibum alijs offert & potum, vt manducent & bibant, præcepto aliquo eos obligare illico censendus est? quis te talem præcepti formam edocuit? Nam & de calice in cœna legali idem dixerat Christus; *Accipite & diuidite inter vos Luc: 22. 17.* nunquid præceptum illis imposuit? Sed tã puerilis ratio tibi condonanda est, qui solidi nil habes. Interim disce res fidei non tam nugatorie tractare, neque tam futilibus rationibus confirmare. Nemo enim est qui non intelligat, offerentem cibum & potum ad manducandum & bibendum, non præcepto obligare quempiam, sed inuitare & potestatem manducandi ac bibendi facere. Aliunde igitur tibi colligendum est præceptum, non ex verbis *Manducate & bibite.* quæ sine vllo præcepto dici & vsurpari possunt ac solent.

Manducate enim & Bibite non sunt imperantis.

Quodsi omnino præceptum his verbis inesse contendas, id ego ad solos Apostolos spectare docebo: quod ad illos solos dictum sit; *Manducate & bibite.* Nam quemadmodum dictum eis est, *Bibite ex eo omnes:* ita scriptum quoque est, eos omnes hoc mandatum impleuisse; *Et biberunt ex eo omnes.* Ij ergo omnes, quibus dictum est, *Bibite, biberunt.* ij q; erant soli Apostoli. nam si fuissent fideles omnes, bibentibus solis Apostolis non bibissent omnes, sed aliqui.

aut solis Apostolis imperantis sunt.

Sed inquis, Apostolos personam totius Ecclesiæ retulisse. Rectè sanè, si sanè intelligas. Nam si ita velis Apostolos personã totius Ecclesiæ retulisse; vt, quæcunque tunc Apostolis dicta sunt, omnibus & singulis fidelibus dicta intelligantur: hoc modo falsum est Apostolos totius Ecclesiæ personam retulisse. Nam multa tunc dicta sunt Apostolis, quæ in singulos fideles non conueniunt: vt benedicere & conficere Eucharistiam, alijs qué distribuere. Iussi etiam sunt manducare & bibere Eucharistiam post cibum, post lotionem pedum, noctu. quæ tamen circumstantiæ solos Apostolos afficiebant, non cæteros fideles. Si verò velis, Apostolos ita totius Ecclesiæ personã retulisse, vt tamen non quæcunq; illis dicta sunt ad singulos fideles pertinere intelligantur: iam ex hoc colligere non poteris, præceptum de vtraque specie ad omnes & singulos fideles pertinere. sicut neque consecrare, & distribuere Eucharistiam (quod facere hic iussi sunt Apostoli) ad singulos fideles pertinet. Neque enim necesse est, quæ toti Ecclesiæ dantur, singulis de Ecclesia dari. Toti enim Ecclesiæ dedit quosdam Apostolos, alios Doctores, Prophetas, Pastores: neque tamen singuli de Ecclesia sunt Apostoli, Doctores, Pastores &c.

Non in omnibus tum Apostoli singulorum Christianorum gessere personam.

Iam cum ais, ad successores quoque Apostolorum ea verba pertinere, non solum ad Sacerdotes ratione administrationis, sed etiam omnes fideles

Solis Apostolis dictum

Manducate, Bibite, & ab illis præstitũ.

ratione participationis: primùm respondeo, Verba illa *Manducate & bibite omnes*. solis Apostolis non eorum successoribus dicta esse. Illis enim solis Christus panem illum & vinum Eucharisticum dabat: illos solos panem illum iubebat tunc manducare & vinum bibere: illi deniq; soli impleuerunt hoc mandatũ, cùm biberent ex eo omnes. Successio verò fideliũ non verbis *Manducate & bibite* continetur, sed in alijs verbis *Hoc facite:* quibus ea, quæ circa Eucharistiam instituit, Apostolis facienda præcepit: quibus etiam vt Eucharistiam distribuerent fidelibus commendauit, siue sub vtraque siue sub altera specie, sicuti ipsius institutio Eucharistiæ postulat. sed de hoc paulò pòst. Nunc satis est docere illa verba solis Apostolis dicta esse, & à solis Apostolis impleta: neque illum quem dabat in vltima cœna panem & potũ, ad alios quàm ad Apostolos pertinere potuisse.

in hoc eorum hæredes soli Sacerdotes.

Quodsi non solis Apostolis, sed eorum etiam successoribus dictum est *Manducate & bibite*. hi successores Apostolorum in præcepta manducatione & bibitione non sunt omnes fideles, sed soli Sacerdotes. ijs enim solis tãquam sacrificantibus, præceptum impositum est manducandi & bibendi sub vtraque specie: quia ad sacrificium, vti dictum est, vtraq; pertinet. quod de cæteris fidelibus dici non potest, qui neque sacrificant: neq; ad plenam Sacramenti participationem vtraque specie opus habent, cùm vna totam rationem Sacramenti habeat.

vna species Sacramento sufficit ex Christi non Ministri arbitrio.

Denique, si ad omnes fideles ea verba accommodare placeat, dico nonnisi secundùm Christi institutionem accommodari debere, hoc est, siue sub vna siue sub vtraque specie. Ita enim vtramque speciem instituit Christus, vt in vna omnem Sacramenti rationem sufficienter contineri voluerit: ac proinde in vna sumpta rationi Sacramenti plenè & integrè à sumente satisfieri. Hoc verò non ex puro Ministri arbitrio pendet, vt obijcit Zaborouius, sed ex institutione & voluntate Christi ritum hunc liberum & indifferentem relinquentis. Si enim nos ad participationem vtriusq; speciei adstringere voluisset, proculdubio non totam Sacramenti dignitatem & fructum in vnam contulisset, sed aliquid etiam ab alia specie expectandum reliquisset. quod quia non fecit, nos ad vtramq; adstringere noluit, vtriusq; tamen potestatem vtendi nobis permisit.

Zaborouius cogit ad calicem etiam abstemios.

At libet Zaborouio argumentari. Omnes, inquit, ad Sanguinem Christi pertinent, quem Christus pro omnibus fudit: omnesque vicissim sanguinem pro Christo fundere parati esse debent: Ergo etiam ad calicem bibendum omnes pertinere debent. Verùm si hæc argumentatio aliquid concludit, concludet etiam infantes & abstemios calicem bibere debere, quia Sanguis Christi pro illis fusus est.

Deinde si vna tantùm ratio esset applicandi Sanguinem Christi hominibus per potum Calicis, posset fortè aliquid ea ratiocinatio valere: at cùm tot alijs modis Sanguis Christi applicetur hominibus, nempe per Baptismũ & alia Sacramenta, per Fidem & opera pia: non potest inferri necessarium esse ad hanc applicationem potum Sanguinis in calice. Nam etiam pro infantibus Sanguis Christi fusus est, quibus tamen non est necesse bibere Sanguinem Christi; sed satis est illis per Sacramentum Baptismi redemptionem Christi applicari. *Sanguis Christi fusus etiã pro non bibentibus illum è calice.*

Deniq; fatemur libenter omnibus adultis Sanguinem Christi sumendum esse; non tam ob rationem Zaborouij, quæ non concludit; quam ob ipsam rei veritatem expressam à Christo *Ioan. 6.* illis verbis; *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Verùm inde non sequitur Sanguinem Christi necessariò esse in vtraq; specie sumendum: satis enim est, si in alterutra sumatur, cùm in vtraq; verè contineatur. nos quẽ ipsum in vna specie sumentes redemptionis Christi reddimur perfectè participes. *bibitur enim etiam absque calice.*

Rectè verò Cyprianus ad poculũ Sãguinis bibendũ admittẽdos esse docet eos, qui tunc inierant martyrium. illis enim temporibus cómunio sub vtraq; specie ab Ecclesia omnibus permissa erat. Cùm vero dicit iure communicationis admittendos: non vult dicere Laicos habere ius diuinum ad bibendũ calicem, sed de restitueudo iure communionis loquitur, quod in pænam erat ablatum lapsis. id quẽ propterea vt sic fortiores ad martyrium euaderent. Ex quo contra Zaborouium infertur potestatem in Ecclesia fuisse & auferendi ius communionis peccantibus, & postea ipsum restituendi pænitentibus. At non est Zaborouio nouum verba Patrum falso & contra mentem ipsorum adducere. Nam & hoc loco, cùm apud Cyprianum habeatur; *Iure communicationis*, ipse citauit *Iure communionis*, vt sic ius suum communicandi sub vtraq; specie stabiliret: cùm tamen Cyprianus de iure communicationis Ecclesiasticæ vniuersè loquatur: quo lapsi per excommunicationem tum priuabantur. & petit à Cornelio Papa, vt eis ea communicatio propter occasionem martyrij restituatur. *etsi aliquibus etiam in calice olim datus.* F.

Aliud pro vtraq; specie argumentum instituit in hunc modum; Quicunq; tenentur mortem Christi commemorare, ij tenentur non tantùm panem sacrum edere, sed etiam de poculo benedicto bibere: siquidem Christus dixit; *Hoc facite quotiescunq; bibetis in meam commemorationem*: At non soli Sacerdotes, sed & laici fideles, tenentur mortem Christi commemorare: tenentur igitur de poculo benedicto bibere. Verùm propositio maior distinguenda est. Si enim cõmemoratio mortis Christi fiat per repræsentatio- *Repræsentatio mortis Christi ad solos Sacerdotes pertinet.*

sentationem hinc Corporis illinc Sanguinis Domini; talis commemoratio vtramq; quidem speciem includit, sed ad solos Sacerdotes spectat, non ad Laicos. soli enim Sacerdotes conficiunt & consecrant species Eucharistiæ repræsentantes hinc corpus hinc sanguinem Domini, faciunt què hanc repræsentationem non mãducando & bibendo, sed cõsecrãdo & cõficiendo Sacramentũ Corporis & Sanguinis Domini. Si vero fiat commemoratio mortis Domini, *annuntiando*, vt ait Paulus, hoc est reuocando in mentem mortem Domini, pro ea què gratias agendo: ea spectat etiam ad Laicos sumentes corpus & sanguinem Domini. in ea enim sumptione tenentur meminisse mortis Domini, & pro ea Deo gratias exoluere. Verùm qui hoc modo tenentur annuntiare mortem Domini, non tenentur vtramq; speciem sumere. Nam vnam tantùm sumendo sufficienter possunt commemorare mortẽ Domini: cùm etiam ad speciem panis additum sit; *Hoc facite in meam commemorationem;* & in specie panis sit Corpus & Sanguis Christi, ex quibus sumitur commemoratio mortis Christi.

commemoratio ad omnes.

at hic sat vna species.

1.

2.

Probatio vero Zaborouij nullius est momenti. Nam quòd Christus dixerit; *Hoc facite quotiescunq; bibetis in meam commemorationem*: ex eo quidem colligitur, quòd cùm bibitur altera species, facienda sit mortis Christi commemoratio. non colligitur autem, quod vel absque ea non possit esse mortis Christi commemoratio, vel quod omnes teneantur bibere vt faciant mortis Christi cõmemorationem. Imò Christus contrariũ innuit. Non enim absolute dixit; *Hoc facite in meam commemorationem*, vti dixit de pane, sed *Hoc facite quotiescunque bibetis*: innuens non semper fidelibus bibendum esse ad mortis Christi commemorationem; sed quotiescunq; bibere contigerit, id faciendum esse in eam commemorationem.

3.

Institutio nõ est præceptũ.

Sed pergit adhuc argumentari ostendendo verba Christi; *Bibite ex hoc omnes*, esse præceptiua non inuitatiua. Tunc enim, inquit, Sacramentum instituit. O egregiam rationem. Nihil igitur differet institutio à præcepto? & quicquid instituitur à Deo, tua ratiocinatione præceptum erit? Instituit Deus Matrimonium *Crescite & multiplicamini*: præceptum igitur erit Matrimonium: & qui sine vxore fuerit, condemnabitur tanquam reus præcepti Domini? Instituit Deus, vt *omne quod mouetur & viuit sit homini in cibum*: qui igitur esũ carnium abstinuerit, contra Dei præceptum facere censendus est? similiter instituit Christus lotionem pedum ad humilitatis exercitium: omnes igitur hoc præcepto aliorum lauandi pedes tenebuntur, & nisi faciant, condemnabuntur? Quis istas consecutiones non rideat? Longè ergo melius viri docti inter institutionem & præceptum magnum ponũt discrimen. Nàm institutionem rei quasi quandam productionem vocant; vt id,

vt id, quod antè non erat, per institutionem existat: præceptum verò, obligationem re instituta vtendi. quare si obligatio vtendi re instituta nulla fuerit imposita, erit institutio sine præcepto. Hac igitur ratione de Eucharistia cogitandum est: aliud esse vtriusque speciei institutionem, aliud præceptum. neq; ex institutione præceptum, nisi à rerum imperito colligi potest.

Addit. Si *Bibite* esset inuitatiuum: illa quoque *Accipite & manducate* inuitatiua essent. Quid tum, Zaborouì? inuitabantur enim Apostoli tum ad manducandum panem illum, quem eis tunc dabat Christus; tum ad bibendum calicem. neque vllus alius præter Apostolos ad illum panem & ad illum calicem fuit inuitatus. *inuitati Apostoli, non iussi bibere.*

Quanta, inquit, absurda ex hac maledicta glossa consequetur! Audiamus probationem, vt ex probatione, quàm iuste irrogetur maledictio, cognoscatur. Sequetur, inquit, vestram Missam rem indifferentem esse. At non sumus tam stulti, vt Missam nostram ex illis verbis *Manducate & Bibite*, colligamus. Non enim in manducatione & bibitione, sed precipuè in consecratione & confectione Corporis & Sanguinis Domini Missa nostra consistit: Illa alia Christi verba *Hoc facite*; Missam nostram euincunt: quibus benedicendi & consecrandi Eucharistiam in vtraq; specie potestas Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus, est concessa. *sacrificium nostrum est in consecratione.*

Concludetur, inquit, etiam sumptionem vnius speciei in laicis esse adiaphoram. O quantum absurdum. Iam satis ostensum est, si ius diuinum & Christi institutionem spectes; ita esse institutam vnam speciem, vt totam rationem Sacramenti sola habeat, non minùs, quàm cum altera coniuncta. ac proinde, quod ad ius diuinum attinet, esse adiaphoram. non quòd sumptio Corporis & Sanguinis Domini sit adiophora (est enim res ad salutem iure diuino necessaria) sed quòd sumptio sub duabus vel sub vna specie sit adiaphora: cùm vtroq; modo totus Christus sumatur. Quamuis si præceptum spectes Ecclesiæ, quæ ad vniformem vnius speciei vsum obligare fideles potest, non est res adiophora, sed necessaria: necessarium quippe est præcepto Ecclesiæ obedire. *vsus vnius speciei aut vtriusque ex se indifferens est.*

Quare ridicula sunt, quæ rhetoricando potius quàm solidè probãdo hic contra nos declamat, quasi inuictis argumentis euicerit, quæ pro stramineis à nobis habentur. addita etiam calumnia, quasi nos Eucharistiam inter adiaphora referamus: cùm de ritu solo Eucharistiam sub vna vel sub duplici specie sumendi id doceamus: ipsam verò Eucharistiæ sumptionem, quocũque modo sit, dummodo sumatur, esse ad salutem necessariam nullo modo negamus. *non ipsa Eucharistia.*

Cùm verò tantam vim faciat Zaborouius in particula *omnes* vt eo consilio di- *Omnes bibite solis Apostolis dictum*

silio dicat adiectum à Christo in vsu calicis, & non in vsu panis, quòd futuri essent qui vsum calicis non omnibus concessum esse à Christo dicerent: deberet probare hoc Christi consilium vnde intellexerit. Non enim ex reuelatione sibi facta illud discere potuit: neq; ex necessaria aliqua ratione deducere.
1. Nam cum de particulari illo calice, vt illum biberent omnes, locutus sit Christus, illum autem ebiberint Apostoli soli, non pòst orituri fideles, nihil habet vox illa *omnes* quod ad futuros fideles pertineat.

2. In promptu verò alia ratio est ob quam in præbendo calice Christus dixerit *omnes*, quod in præbendo pane non legitur dixisse. quamuis etiam in pane eam particulam adiectam fuisse ex traditione Apostolica constat, habetur qué in Canone Missæ, & apud Ambrosiium *4. de Sacramentis capite 5.* Quia enim singulis suam partem panis consecrati dabat Christus, non erat necesse monere vt omnes manducarent: hoc enim ex ipsa distributione consequebatur. At in propinando calice, non singulis calicem distribuebat, sed vni tantùm dederat, quem vt inter se diuiderent omnes, monendi à Christo erant: ad eum modum, quo in cœna legali de calice dixerat; *Accipite & diuidite inter vos.* Eandem igitur hìc admonitionem insinuauit dicendo; *Bibite omnes*: vt scilicet calicem illum diuiderent inter se omnes, non vnus exhauriret. Quam huius rei rationem, cùm solidè refellere nesciret, verbis & exclamationibus eludere vult: quæ apud doctos locum non habent.

Non omnibus calix concessus.

Denique ita argumentatur; Quicunq; ad Nouum Testamentum pertinent, illi quoq; ad calicem pertineant necesse est: quia Christus dixit *Hic calix est nouum Testamentum:* Fideles ad nouum Testamentum pertinent. ergo & ad calicem pertineant necesse est.
1. Huius argumenti prior propositio est falsa. Nam multi ad nouum Testamentum pertinent, qui ad calicem bibendum non pertinent, vt sunt infantes, & abstemij.

2. Deinde calix est nouum Testamentum, quatenus pro nobis effunditur & offertur Deo ad vitam & hæreditatem æternam nobis obtinendam, non verò quatenus bibitur (ita enim expresse Christus addidit: *Hic est calix nouũ Testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis funditur.* ostendens calicem fusum pro nobis esse nouum Testamentum) quare omnes qui ad nouum Testamentum pertinent, pertinent quoq; ad calicem quatenus funditur pro illis & offertur Deo in altari, non quatenus bibitur.

quà bibendus

quà fusus enim est Testamentum.

Neque potuit ostendere Zaborouius in bibendo calice nouum Testamentum constitutum esse. Nam quod ait Sanguinem Christi semel esse pro nobis fusum: id satis antè refutatum est. Visibili enim ratione per separationem à corpore semel fusus est: quia semel Christus mortuus est: At incruentè & mysticè sub specie vini semper funditur: cùm expresse Lucas dicat, calicem

licem Sanguinis pro nobis fundi, ac proinde Sanguinem vt est in calice Deo pro nobis in Eucharistia offerri.

Adhæc si sanguis Christi est nouum Testamentum: cùm is non solùm in calice, sed etiam sub specie panis habeatur: (nunquam enim à Corpore Christi immortali sanguis eius separari potest, nisi Corpus Christi exangue & mortuum statuatur) consequens est, si non solùm offerendo illum pro nobis, sed etiam bibendo, volumus eius esse participes: æquè sub specie panis, sicut sub vini specie posse nos eius esse participes: siquidem eundem sanguinem vtrobique sumimus. *sub specie panis sumus participes Sanguinis.*

Indicauit autem Christus suum Testamentum in calice propter sacrificium, vt sub expressa ratione sanguis eius repræsentaretur, offerreturq; pro nobis, ad eum modum quo in cruce fusus est. Quæ expressa ratio ad sumendum sanguinem noui Testamenti necessaria non est: siue enim in calice siue sub specie panis sumatur, verè sanguis noui Testamenti sumitur, & sumens fit Sanguinis noui Testamenti particeps. *indicatus à Christo in calice propter sacrificium.*

Falsum quidem esse ait Zaborou. sub vna specie esse totum Christum, cum corpore, sanguine, anima, deitate: at erroris paulò antè est à nobis conuictus. Nam quod ait Christum non dixisse, Hoc est corpus, sanguis, anima, deitas mea. sed *Hoc est Corpus meum.* id nihil eum adiuuat. Non enim ex vi verborum & Sacramenti, sed ex connexione naturali partium Christi, seu per concomitantiam, dicimus esse cum corpore Christi sanguinem, animam, deitatem: quòd ista à Corpore Christi separari non possint. *verba Christi non condicunt nobis.*

Falsumq; est quod ait, venerandam canitiem Patrum hanc concomitantiam non credidisse. Nullus enim ex Patribus fuit, qui Corpus Christi in Eucharistia exangue & mortuum crederet, aut à diuinitate separatum. Abuiturq; testimonijs Gelasij & Leonis I. qui eam solùm Sacramenti damnârunt diuisionem, quam Manichæi inducebant, non credentes verum Sanguinem in Christo. *Patres concomitantiam agnouerunt.*

Iulius verò Pontifex statuit, non intinctum panem in Sanguine præberi populo, sed seorsim panem, seorsim calicem, sicut præbuit Christus Apostolis. Eo enim tempore vtraque specie Ecclesia vtebatur: quare & vsus legitimus vtriusque speciei seruandus erat, non per intinctionem, sed per singularem vtriusque exhibitionem. Ex eo verò non licet inferre Pontificem non credidisse sub specie panis esse quoque Sanguinem: sed solùm seorsim sub diuersis signis dandum esse Sanguinem & Corpus Christi, sicut tunc præcipiebat Ecclesia. Insuper non minùs Corpore quàm Sanguine Christi nouum Testamentum confirmatum est. Verum enim est quod ait Paulus: *Sanctificati sumus per oblationem Corporis Christi semel.* quocirca æquè sumptione *quamuis vsi adhuc vtraq; specie.* *Hebr. 10. 10.*

ptione corporis, ac sumptione calicis, efficimur noui Testamenti participes.

Respondet Zaborouius vtrumque coniungendum esse, vt tam Corporis quàm Sanguinis Domini simus participes. Rectè sanè. Atqui in vna specie corporis & Sanguinis sumus participes, cùm in vna vtrumq; sumamus: sufficit igitur vna species ad hoc, vt simus participes noui Testamenti; si hæc participatio sumendo fieri debeat. Non igitur potest hinc vtramq; speciem Zaborouius stabilire.

Adijcit verò nouam ad finem capitis in gratiam meam (vti scribit) ratiunculam: quæ eâdem gratiâ dissoluenda est. Ait: Nam Christus aut in duabus speciebus duo Sacramenta instituit: aut vnum integrum sub duabus speciebus: Si duo seorsim; erunt ergo octo Sacramenta: si vnum integrum; igitur qui vnam speciem sumit, Sacramentum non sumit integrum. Sed facile respondetur: Duas species non esse duo Sacramenta, sed vnum: quia sunt vna refectio spiritualis. Sicut nec in Baptismo tres mersiones sunt tres Baptismi: quia ad vnam ablutionem spiritualem ordinantur. Et sicut Baptismus per trinam mersionem collatus non est maior Baptismus, quàm is qui vna mersione confertur: ita nec maius est Sacramentum sub duplici specie, quàm sub vna perceptum. Totam enim rationem Sacramenti contulit vni speciei Christus, totam vtriq;. sicut tota ratio Baptismi est in trina mersione, tota in vna. Quemadmodum autem non truncat quis aut mutilat Baptismum, si vnam mersionem faciat, quia tota ratio Baptismi saluatur in vna mersione. ita neque truncat seu mutilat aut diuidit Eucharistiam, qui eã sub vna percipit specie. Non igitur valet illa consecutio; si est vnum Sacramentum in vtraq; specie, non fore integrum Sacramentum in vna: Non enim dicimus ita vnum in duabus speciebus, vt illæ species sint partes quasi integrantes vnius totius: sed quòd totum sit in vna specie, totum in altera; ac proinde vnum Sacramentum in vtraq;. Sicut vnus Baptismus est in trina mersione: vna etiam hominis anima est in multis corporis partibus, tota in omnibus tota in singulis. Nam ob eandem causam & is qui plures hostias consecratas sumit, non plura Sacramenta sumere censetur. quia per modum vnius refectionis eas sumit. Quanquam si vtraq; species præcipiatur ab Ecclesia, vti fuit tempore Gelasij Papæ: tunc ratione præcepti non dicetur integrum sumi Sacramentum, nisi vtraq; species sumatur: quia sub vtraq; sumendum præcipitur. ita vt in tali sumptione desit integritas præcepti, licet non desit integritas Sacramenti absoluta. Et hoc sensu Gelasius ait: *Aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur.*

Species duæ vnum tamen Sacramentũ.

Sat ergo vna nisi præcipiãtur ambæ.

Superest exponendum, an ex illis verbis *Hoc facite*, concludi possit vtramque

tramque speciem necessariò distribuendam esse. Ea enim verba Apostolis dicta esse, quatenus Ministris huius Sacramenti, nemo dubitare potest. Hoc enim faciendum illis commisit Christus, quod ipse tunc fecit. Cùm igitur ipse benedixerit, & benedicendo confecerit Eucharistiam, hoc est, Corpus & Sanguinem suum sub panis & vini specie: idem quoq; faciendi potestatem dedit Apostolis. atque ex consequenti Sacerdotes illos constituit: Sacerdotij enim præcipua potestas in consecranda & conficienda Eucharistia posita est. Ait ergo Zabor. licet ea verba ad Apostolos quà Ministri sunt spectent: tamen ex parte ad fideles quoque spectare. Sensus enim est; Hoc facite, quod me vidistis facere; atqui me vidistis poculum dedisse: hoc igitur vos quoque alijs date. Nos contra in NODO docuimus, his verbis nullo præcepto fuisse à Christo obligatos Apostolos ad vtramq; speciem fidelibus distribuendam. Hoc enim ipsa Christi verba indicant. Nam de pane absolutè dixit Christus, *Hoc facite in meam commemorationem.* de calice verò, *Hoc facite quotiescunq; bibetis in meam commemorationem.* indicans nō semper bibendum calicem, sed quoties bibendus erit, in commemorationem Christi bibendum esse. Cur enim obsecro de pane non dixit, Hoc facite quotiescunq; manducabitis? nisi quia sciebat communem in Ecclesia vsum esse debuisse manducandi panem: de calice verò, vsum sciebat non semper communem futurum, ideo adiecit *Quotiescunq; bibetis.*

Hoc facite nō imperat vtrāque speciem porrigere omnibus.

Ineptum autem est quod respondet Zabor. Christum vsum panis indicasse, dicendo *Accipite & manducate.* & ideo non debuisse adijcere, Hoc facite manducantes. Nam similiter vsum etiam calicis demonstrauit, dicens; *Bibite ex eo omnes:* & tamen in vsu calicis adiecit conditionem, in vsu panis non adiecit. hoc igitur ipso indicare voluit, calice non absolutè vtendum esse fidelibus; sed quoties vtendum eo esset, in commemorationem Christi vtendum esse: ita vt non simpliciter obligaret ad bibendum, sed vt cùm bibetur ad commemorationem bibatur.

Euasio Zaborouiana inepta.

1.

Accedit, quod Paulus referens Christi institutionem sub disiunctione loquitur: *Quicunq; manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Si enim nunquam in vsu disiungi debuit calix à pane, debuit dicere Qui manducauerit & biberit, non *Qui manducauerit vel biberit.* Cùm igitur ista disiungat, indicat ista aliquando disiungi in vsu potuisse, & aliquos manducaturos & bibituros, aliquos verò manducaturos vel bibituros tantùm. Hic igitur modus loquendi diuersus de specie panis ac vini argumento est, non æquè Christi mandatum ad vnam speciem, vti ad alteram pertinere.

2. *Disiunctiua Paulina contradicit illi.*

Quocirca etsi illis verbis *Hoc facite*, facere voluit Apostolos Christus id quod

id quod ipse fecit: noluit tamen necessariò vtramq; speciem ab illis distribui: quia ne ipse quidem ita dedit vtramque speciem, vt vtraque necessariò distribuenda crederetur. id quę indicauit non solùm diuerso illo loquendi modo de vna & de altera, absoluto scilicet & conditionato, sed etiam ipsa institutione: ita enim instituit vtramque, vt in vna totum includeret; totam, inquā Sacramenti essentiam & fructum. Quodsi ad vtramque obligare nos voluisset, aliquid expectandum ab vna, quod non haberetur in altera statuisset. Denique indicauit idem suo ipse exemplo, cùm in Emmaus discipulis vnam tantùm speciem exhibuit, in fractione panis aperiens oculos illorum; & illico euanescens, alteri speciei exhibendæ spatio non relicto.

3. item institutio diuersa vtriusq; speciei.

4. exemplum Christi.

Et sane prospexisse Christus futuræ necessitati credendus est multorum, qui altera specie, vel omnino vti non poterant, vt abstemij: vel sine periculo alicuius indecentiæ, vt infirmi, & alij, quibus extra Ecclesiam Eucharistia danda erat. vsus quę perpetuus Ecclesiæ in ijs, qui extra sacrificium aut extra Ecclesiam communicabant, eam à Christo & Apostolis traditam doctrinam & explicationem, luculenter testatur.

5. necessitas multorum & vsus Ecclesiæ.

Luce igitur clariùs manifestum est, non solùm Catholicos in vsu vnius speciei mutilatores aut diuisores Sacramenti non esse: sed Euāgelicos potiùs & institutionis Christi violatores, & mandati transgressores esse: qui quod Christus liberum esse voluit, necessarium affirmant; & eos, qui Christi institutioni omnino insistunt, temere condemnant, vim Scripturis & diuinę institutioni facientes.

CAPVT VI.

Quæ aduersus Ecclesiæ authoritatem à Zaborouio temere dicuntur, refelluntur.

VII. notam Zabor. oppugnat vana cautela.

SEptimam verorum Ministrorum notam eam indicaueram, quòd esse veræ Ecclesiæ Ministri debeant. Necesse enim Ministros sponsi, esse quoq; Ministros sponsæ.

Hic proclamat Zabor. aliter sponsi quàm sponsæ Ministros esse debere: non vt ex arbitrio sponsæ pendeant, sed vt voce sponsi, qua etiam sponsa regitur, dirigantur.

Sponsæ eadē vox quæ spōsi.

At vana est ista cautio. Si enim sponsa posset deflectere à voce sponsi & à sponso non dirigi, non esset æquum perinde obedire sponsæ ac sponso. At cùm sponsa nunquam possit à voce sponsi recedere, neq; à sponso ita deseri vt-

fieri, vt in errores varios labi permittatur (nunquam enim Christus desinet esse suæ Ecclesiæ sponsus, nunquam Matrimonium hoc quod inter eos est vllo vnquam tempore dissoluetur Ephes: 5.), consequens est audire vocem sponsæ, esse vocem sponsi audire: & ab arbitrio sponsæ pendere, esse à sponsi arbitrio pendere; quòd illius arbitrium sponsi arbitrio contrarium esse non possit, sponsæq; dilectæ à sponso arbitrium, est sponsi ipsius arbitrium. Ita igitur obediendum est sponsæ, sicut ipsi sponso: cùm in sponsa sponso obediatur. Neque vox sponsæ in examen adducenda, vtrum cum voce sponsi congruat vel non, sed tanquam certissimum supponendum, non posse non consentire cum voce sponsi, & tanquam vox ipsius sponsi sine alia inquisitione audienda. si enim aliquando à sponsi voce dissentiret, sponsa esse desineret: quod cùm fieri non possit (æternum enim & insolubile inter Christũ & Ecclesiam est vinculum) fieri quoque minimè poterit, vt sponsa aliquid contrarium voci sponsi loquatur, & doceat, & in errorem alios inducat. *ipso sponso teste, omnem ei potestatem conferente.*

Clarissima Christi verba sunt Matth. 18.17. *Qui Ecclesiam non audierit, sit sicut Ethnicus & publicanus.* Quæ Zaborouius falsò negat, non posse intelligi de dogmatibus fidei, sed tantùm de disciplina Ecclesiastica. Nam vt supra ostensum est, Christus vniuersè de omni peccato in fratrem loquitur, illudq; potestati Ecclesiæ subijcit: Maximum autem peccatum est in fratrem, cùm quis falsam doctrinam disseminans, animæ fratris interitum parat: Hoc igitur etiã peccatum Ecclesiæ potestati subijcitur. vnde & mox in eius potestatis confirmationem adiungit, vniuersè pronuntians: *Quæcũque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Idcirco igitur Ecclesia audienda est, quia habet omnem potestatem quæcunq; ligandi & soluendi super terram. *Vniuersè.*

At inquit, Christum de particulari non de vniuersali Ecclesia agere. Minimè verò. Agit enim cum Apostolis, qui vniuersalem Ecclesiam repræsentabant, & quibus vniuersæ Ecclesiæ cura incumbebat. Quodsi Ecclesia particularis conceditur eam potestatem habere: quantò magis vniuersalis? Quanquam sicut Spiritum veritatis Christus, non alicui particulari Ecclesiæ, sed vniuersali promisit: ita & iudicium de dogmatibus fidei, præcipuè ad Ecclesiam vniuersalem spectat; ad particularem verò nonnisi quatenus ab vniuersali dirigitur.

Rectè ergo Augustinus, Ecclesiam *tenere & possidere omnem sui sponsi & Domini potestatem*, ait, 4. *de Baptismo contra Donat. cap. 1.* cuius verba Zaborouius limitatè accipi vult, de ea potestate, quæ sponsæ à sponso conferri potuit. Quasi verò ea de qua loquimur potestas de dogmatibus fidei iudicandi, & inter falsã & vera discernendi, Ecclesiæ à Christo conferri *Augustino interprete.*

non potuerit: neque Spiritus veritatis, quem Christus Ecclesiæ promisit, possit ita Ecclesiam dirigere, vt eam ab omni errore & falsitate custodiat & liberet. Quodsi ea potestas conferri potuit, collata proculdubio est in ea tã vniuersali potestatis communicatione.

Nullus (inquit) prudens sponsus est tam excors, vt sibi nihil iuris ac dominij supra sponsam reseruatum velit. Quid ad rem? neque nos negamus Christum nullum ius & dominium in sponsam sibi reseruasse: verùm interim omnem potestatem ad regimen Ecclesiæ necessariam, qualis est ista, qua dogmata vera à falsis discernuntur, totam cum Ecclesia dicimus communicasse.

Idem euincũt eiusdẽ sponsi promissa.

Idem euincunt illa Christi promissa, quibus Ecclesiæ suæ *Spiritum veritatis* promisit, *vt maneat* in ea *in æternum* & *doceat* eam *omnem veritatem* Ioan. 14. 16. Spiritu enim veritatis munita Ecclesia, quì potest in errorem prolabi? nisi vel spiritus veritatis suas partes deserat, vel ad errorem homines impellat. Præsentiam quoque suam eidem Ecclesiæ vsq; ad consummationem seculi fidelissimè promisit Matth. 28. *Ego*, inquit, *vobiscum sum vsq; ad consumationem seculi.* Deesset autem Ecclesiæ, si eam à fide aberrare & in errores prolabi permitteret.

Zabor. eadẽ oberrat chorda & aberrat.

His tam magnificis promissis, cùm Zaborouius nihil solidi opponere posset, ait, Christum tam sui quàm Spiritus S. præsentiam conditionaliter promisisse, nimirum si ea docuerint Ministri quæ Christus præcepit, iuxta illud, *Docentes eos seruare, quæcunq; mandaui vobis.* Sed errat Zaborouius. Nam præsentia Spiritus S. non promittitur sub ea conditione, si Ministri docuerint omnem veritatem, sed ad hoc vt doceat eos omnem veritatem: si autem docet omnem veritatem, non permittit eos errare. vnde illã conditionem non supponit Spiritus sanctus, sed facit: quia ita Ecclesiam instruit, vt cognoscat omnem veritatem, & non possit docere quod mandatis Christi repugnet. Quare & præsentiam suam Christus ad eundem finem promisit Ecclesiæ: non si ea doceat, quæ ab ipso mandata sunt, sed vt ea doceat quæ mandata sunt, nec quidquam contrarium doceat. præsentia enim illius efficit hoc in Ecclesia, non supponit: nam ad eam ipsam conditionem implendam, requiritur præsentia Christi & gratia. Quocirca cùm ait Zaborouius, Ministros extrinsecus quidem exequi prædicationem verbi diuini, ipsum autem Deum internè in corda fidelium agere & dare incrementum *1. Cor. 3. 6.* verum ait; sed non omnia complectitur. Non solùm enim Deus ad efficacitatem prædicationis cooperatur, mouens spiritu suo auditorum animos: sed etiam per Spiritum veritatis docet Ecclesiæ Ministros omnem veritatem, vt nihil veritati contrarium nomine Ecclesiæ prædicent.

Christus eiusq; spiritus, nõ auditores duntaxat, sed ipsos etiã docet doctores.

dicent. Sicq; verum est, quod *August. tract. 3. in epist. Ioan.* ait: *Cathedram in cœlo tenet, qui corda docet.* Docet enim non solùm audientium corda ad credendum, sed & prædicantium ad sine errore prædicandum. Verum etiã est, quod intuli: voluisse Dominum nos reddere securos, si ab Ecclesia pendeamus. Ab Ecclesia enim pendere, est ab ipso Christo, qui in Ecclesia & per Ecclesiam nos dirigit & docet, pendere. Insulsumque est quod repetit Zaborouius, non ab Ecclesia, sed à verbo Christi nos pendere debere. Nunquam enim magis à verbo Christi pendemus, quàm cum ab Ecclesia verbũ Christi audimus. ea namque à verbo Christi aberrare non potest: cùm à suo Magistro & sponso doceatur omnem veritatem. Neque vnquam certius verbum Dei audimus, quàm cùm illud prædicantem & exponentem Ecclesiã audimus. Nos enim & quilibet priuatus, in exponendo & intelligendo Dei verbo priuato sensu falli & errare possumus: Ecclesia verò Spiritu veritatis instructa non potest. Admonet nos quidem Christus vt in eius verbo maneamus: sed eius verbum exponit nobis Ecclesia. cuius sensus & intelligentia tanquam ab ipso Spiritu sancto profecta, omnibus alijs priuatorum hominum sensibus & glossematibus præponenda est.

Non minùs eandem Ecclesiæ authoritatem confirmãt illa Christi verba de Ecclesia dicta Matth. 16. *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Quæ esse de vniuersali electorum Ecclesia dicta ait Zaborouius. ac proinde non debere ad Ecclesiam Romanam trahi. sed errat. Nam neq; Ecclesia aliqua quæ sit peculiariter electorum datur; siquidem electi ad eandem cum reprobis Ecclesiam pertinent, suntq; pars Ecclesiæ vnius ex ipsis electis & reprobis constitutæ: neque Ecclesia à Christo ædificata electos solùm continet; sed quoscunq; fideles, qui per fidem *tanquam lapides viui superædificãtur domus spiritualis.* 1. Petr. 2. 5. Neque portæ inferi si aduersus reprobos præualent, idcirco aduersus Ecclesiã reprobos pariter ac electos continentẽ præualent. Non enim Ecclesiam sequendo reprobi facti sunt: sed potiùs eã deserendo & voci eius non obediendo. ea igitur Christi promissio non soli electorum Ecclesiæ (quæ vna & eadem est cum Ecclesia reproborum, sub vno eodemq; regimine, sub ijsdem pastoribus, sub vna eademq; fidei & Sacramentorum professione & communicatione) competit: sed vniuersali prorsus Ecclesiæ. quæ ita à Christo dirigitur quoad omnem veritatem vt portæ inferi aduersus eam præualere nunquam possint. Iam cùm ea Christi verba ad Romanam Ecclesiam à me applicari scribit, quid mirum? Scimus enim ex Scripturis Ecclesiam à Christo ædificatam esse super Petrum, qui est Romanus Pontifex: Quamuis enim vt Romanus Pontifex est, Ecclesiam solùm Romanam quæ particularis est gubernat: tamen vt est successor Petri vniuersæ Ecclesiæ & orbis vniuersi est Pontifex & Pastor.

Ecclesia Christi insuperabilis

Episcopus Ecclesiæ Romanæ quomodo vniuersalis.

Illa etiam Pauli verba *1. Tim. 3. 15.* quibus Ecclesiam vocat *columnam & firmamentum veritatis*, ait Zaborouius prolata esse de Ephesina Ecclesia, contra quam ita præualuerunt portæ inferorum, vt penitus defecerit. Ita enim, inquit, particulares Ecclesiæ sunt columnæ veritatis, vt potius à veritate sustententur. Sed fallitur. Constat enim Paulum loqui de Ecclesia absolutè, siue sit Ephesi, siue vbicunq;. Nam & verbis absolutis vtitur, & Timotheum instruit, quomodo eum conuersari oporteat, non solùm in Ecclesia Ephesina, sed absolutè in Ecclesia, quæcunq; & vbicunq; illa fuerit.

Quomodo columna veritatis Ecclesia.

Ridiculè verò exponit, quomodo Ecclesia sit columna veritatis, nempe quia sustentantur à veritate. quasi columnæ officium sit sustentari, & non potiùs sustentare. Si igitur Paulus Ecclesiā vocat columnā veritatis, ideo vocat quod sustentet veritatem, non quòd sustentetur à veritate. Nam quāuis verum sit Ecclesiam quoque suo modo sustentari à veritate: veritas enim est quæ Ecclesiam tenet & conseruat. tamen cùm dicitur Ecclesia columna veritatis, non ideo dicitur quòd sustentetur, sed quòd sustentet. in eo namq; quòd sustentetur non habet rationem columnæ, sed in eo quòd sustentet. Si igitur Ecclesia sustentat veritatem, proculdubio eius de veritate iudicium, erit certum & infallibile. Licet enim Ecclesia non sit primum fundamentum veritatis, siquidem ipsa innitur sicut columna principali fundamentò Christo, à quo accepit omnem veritatem: nihilominus tamen eo ipso quòd Christo veritati innitatur, nec ab eo deseri vnquam possit; habet ex Christo, quòd sit ipsa quoque columna veritatis, propter dogmatum certitudinem inuiolabilem, vt exponit Augustinus *in Psalm.* 47. ita vt dogmatum fidei certitudo nobis ab Ecclesia petenda sit. Porrò dicitur Ecclesia esse columna veritatis: non simpliciter, quasi det vim & firmitatem veritati: sed respectu nostri, quia nobis veritatem omnem certissimè declarat. neque enim alibi quàm in Ecclesia est aut docetur veritas.

Iam verò cùm ait, portas inferi contra Ephesinam Ecclesiam præualuisse: inde non sequitur, contra Ecclesiam absolutè præualuisse. Ecclesia enim, etsi Ephesi desierit esse, non tamen in vniuerso mundo. hoc verò esset, contra Ecclesiam præualere: si id efficerent, vt Ecclesia Dei prorsus è mundo tolleretur, & fides Christi vera penitus periret.

Cauillatur Zaborouius.

Addit Zabor. Romanam Ecclesiam non esse veram sponsam, nec verum Corpus Christi: quòd Christo vnico sponso minimè contenta, eidem toro alterum sponsum superinduxerit, ab alioq; capite regi desideret.

Quo pacto vnum & plu-

Verùm æquiuocatione ludit Zabor. Nam caput quidem naturale vnius corporis non est nisi vnum, & si plura fuerint, erit monstrum: attamen capita Metaphorica vnius corporis plura esse possunt: secundum varias considera-

siderationes & respectus. Sic Paulus virum vocat caput mulieris, viri caput Christum, Christi caput Deum, tria Metaphorica capita mulieri tribuens præter vnicum ipsius caput naturale. Neque tamen, quia mulier, præter virum suum, aliud quoque caput agnoscit, infidelis viro censeri potest: quòd isti Metaphorici respectus vero & propriè dicto coniugio non præiudicent. Similiter si mulier præter corporalem suum sponsum, agnoscat Christum quoque pro suo sponso spirituali; neq, adultera viro suo censeri potest, nec infidelis: quòd hoc spirituale Matrimonium non præiudicet corporali. Pari ergo ratione in spirituali Ecclesiæ Matrimonio, solus Christus propriè dictus vir & sponsus Ecclesiæ suæ est, qui eam sibi sanguine suo desponsauit: similem sponsum si alium agnosceret Ecclesia, esset adultera & vnico suo sponso infidelis. At non desunt alij respectus, propter quos Ecclesia alios quoque sponsos Metaphoricos agnoscit. Nam quilibet pastor Ecclesiæ suæ sponsus quidam est, propter fidem mutuò datam & acceptam. cùmque nihil aliud sit esse sponsum, nisi esse Pastorem: quemadmodum sine vllo Christi summi Pastoris præiudicio, sunt multi Pastores in Ecclesia; ita & multi sponsi; non ea ratione qua Christus, sed alia Metaphorica & impropria ratione. Perperam igitur Zaborouius concludit, Romanam Ecclesiam nõ esse sponsam Christi, eò quòd alium præter ipsum sponsum agnoscat. Nam talem sponsum qualis est Christus, præter ipsum neminem agnoscit. Metaphoricè verò sponsum agnoscit quidem Romanum Pontificem: non quòd eam sibi sanguine suo sponsam fecerit (hoc enim proprium est Christi) sed eo sensu, quo Pastores Metaphoricè dicuntur suarum Ecclesiarum sponsi, quas ea fide & affectu diligunt, quo sponsi sponsas. Simili modo perperam colligit, Ecclesiam Romanam non esse corpus Christi, quòd aliud caput, nempe Romanum Pontificem agnoscat. Hoc enim caput, est sub capite Christo: nam sicut Ecclesiæ caput est Romanus Pontifex, ita Romani Pontificis caput est Christus. Habere verò plura capita spiritualia sibi subordinata, nullum est inconueniens, vti ex Paulo ostendimus. maximè cùm Romanus Pontifex non tale caput, quale Christus credatur. Christus enim est tale caput, quod ex se omnem influxum corpori Ecclesiæ subministrat: Pontifex verò Romanus non ex se, sed ex Christo & potestate à Christo communicata, influit in Ecclesiam.

res sponsos habeat Ecclesia.

Itidem caput.

Hæc de sponso & capite, cùm satis ineptè ad rem accommodasset: eadem quoque ineptitudine aliquot de Ecclesia pronunciata, explicare aggreditur.

Primum est. Extra Ecclesiam non esse salutem. quod docet Augustinus *Tom: 7. Sermone super Gestis cum Emerico.* vbi docet *omnia alia extra*

Ineptit Zaborouius in explicandis Eccl siæ attributis. 1. *Ecclesiam posse haberi: salutem solam non posse haberi, nisi in Ecclesia Catholica.* Cuius rationem reddit libro de Vnitate Ecclesiæ *cap: 16. quia ad salutem nemo peruenit, nisi qui habeat caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit. nisi qui in eius corpore fuerit, quod est Ecclesia.* Et in 4. de Baptismo contra Donatistas *cap: 1. quia* inquit, *hæc est vna, quæ tenet & possidet omnem sui sponsi potestatem: claues Regni cœlorum, & omnem ligandi atq; soluendi potestatem.* Et *in epist: 50.* ad Bonifacium. *quia*, inquit, *extra corpus Christi neminem viuificat Spiritus sanctus.* Quid Zaborouius? Extra electorum, inquit, inuisibilem Ecclesiam nullam contingere salutem. *Ad nebulas confugit.* Insulsè. Nam Augustinus non de electorum inuisibili Ecclesia loquitur, quam nullus nouit; sed de visibili *quam* (inquit) *sine vlla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat: nempe quæ per omnes gentes numerositate copiosissima dilatatur.* 1. contra Cresc: *cap: 33.* Porrò hæc Ecclesia per omnes gentes dilatata, continet electos pariter ac reprobos, sub eorundem Pastorum regimine degentes, cum eadem Sacramentorum ac Fidei communione. Huicq; Ecclesiæ agnoscit, datam omnem à Domino & sponso potestatem. Pastores enim qui hac Domini potestate vtuntur, non solùm electi, sed & reprobi esse possunt. Quod verò Augustinus, hanc Ecclesiam extra quam non est salus, agnoscat esse Romanam, hoc est, sub Romani Pontificis regimine: manifestum est. quia huius Ecclesiæ ab Apostolo Petro, vsq; ad Anastasium Papam qui tunc viuebat, successionem deducit, & eam esse Apostolicā Ecclesiam ostendit, in *epist. 165.* testaturq; *in Ecclesia Romana semper Apostolicæ Cathedræ viguisse principatum. Epist. 162.* Quæ loca etiam indicant manifestè, de ea Ecclesia Augustinum loqui, quæ visibilis est, & successionem visibilem habet, & per omnes gentes dilatata esse demonstratur. quod argumentum tantopere vrget Augustinus, vt anathema dicat, *si quis annuntiet Ecclesiam, præter communionem omnium gentium.* epistola 68. ad Vincentium.

2. Alterum pronunciatum est. *Sacramenta extra Ecclesiam dari posse, prodesse non posse.* Ita Augustinus *serm. 181. de Temp. & serm. super Gestis cum Emerito.* Hic Zaborouius ait, de Romana Ecclesia hoc intelligi non posse. quia in Orientali, inquit, Ecclesia per multa secula, & data sunt Sacramenta, & proderant: quæ tamen nunquam Romanum Pontificem pro capite agnouit. Impudentissimum sanè mendacium: quod præter innumera testimonia, *Concilium secundum Generale in epist. ad Damasum* conuincit: *Mentitur impudenter.* in qua Concilium expresè agnoscit, Ecclesiam Romanam esse caput, se verò membra. Quid tu Zaboroui? nonne vnius Concilij generalis seu totius orbis Christiani testimonium sufficit ad vestram impudentiam redarguendam?

Sed ve-

Sed vestra frons erubescere nescit. Porrò rationes pro hoc pronunciato eædem sunt, quæ pro præcedenti. Non enim Spiritus Christi, membrũ suo corpori non vnitum viuificare potest: nec potest membri suo corpori non vniti esse caput: sed eo ipso, quòd membrum à corpore præcisum est, omnem vitam sensumq; amittere necesse est. 3.

Tertium pronunciatum. *Non habet Deum in cœlis Patrem, qui non habet in terris Ecclesiam matrem.* Ita Augustinus 4. *de Symbol. cap.* 10. Cypr. *tract. de Simplicitate Prælatorum.* Hoc theorema, ait Zaborouius verissimum esse, sed à Cypriano prolatum *contra Stephanum Romanum Papam.* Ita enim fingit Cyprianum scribere *in epist. ad Pompe.: Multa*, inquit, *Stephanus contra Ecclesiam Dei asserere conatur: at quomodo potest habere Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem?* Vnde mendacio triumphans cõcludit, hoc Axiomate Pontificem cœlo exclusum. Verùm hæc summa impudentia est Zabor. & mentiendi libido, qui falsò Cypriano affingit, quæ Cyprianus non habet. & locum Cypriani partim additis, partim mutatis verbis corrupit. Quod enim Cyprianus de eo affirmat, *qui non est in Ecclesia baptizatus, & filius Ecclesiæ non est, quòd non habeat Deum Patrem ante Ecclesiam matrem:* hoc Zaborouius mendacissimè fingit, Cyprianum de Stephano Pontifice loquutum. vnde affingit ei illa verba, quæ Cyprianus non habet: nempe *Multa Stephanus contra Ecclesiam Dei asserere conatur.* Sequentia verò, non solùm aliter quàm habet Cyprianus adducit, sed etiam aliò torquet. Cypriani verba sunt: *Qui filius Ecclesiæ non est, vt habere quis possit Deum Patrem, ante Ecclesiam matrem?* Sed isti non sciunt nisi mendacio viuere, & Sanctorum Patrum testimonia corrumpere, pœnas grauissimas quandoq; in Dei iudicio tantæ iniquitatis daturi.

Falsarius est S. Cypriani.

Mitto alias ineptias Zaborouij, cùm pueriliter de pontifice nugatur, dicens: *Non posse eum habere Ecclesiam sponsam, si eam habeat matrem.* alioqui incestuosus est. Cui ad obturandum os oppono illa Christi verba *Matth.* 12. 50. *Ipse meus frater, & soror, & mater est.* Neq; enim eum tam blasphemũ existimo; vt Christo incestum propterea obijcere audeat.

CAPVT VII.

Nouos Ministros Euangelicos veræ Ecclesiæ Ministros non esse.

HIs ita de Ecclesiæ authoritate stabilitis: superest videndum. An Euangelici scilicet Ministri; sint veræ Ecclesiæ Ministri; vt & ad veram Christi Ecclesiam pertineant, & in vera Ecclesia ministerio fungantur. Si enim Ecclesiæ membra non sint, Ministerio in Ecclesia fungi non possunt: cùm nulla sint præstantiora Ecclesiæ membra quàm Ministri; Ecclesiaq; ex Ministris & plebe tanquam duabus partibus sit constituta. Quod miror Zahorouium negare potuisse. Nam visibilis quidem Ecclesiæ Ministros esse membra concedit: at inuisibilis Ecclesiæ, qualis secundùm ipsum est electorum Ecclesia, Ministrum si reprobus sit, membrum esse negat; licet prædicando illis prodesse possit quod Deus etiam per malos bona quandoque operetur. Verùm incredibile prorsus est eum qui Ecclesiasticum officium & munus gerit, Ecclesiæ membrum non esse. Eos enim qui publica officia in Rep. gerunt, esse eiusdem Reipublicæ membra & quidem præcipua nemo negare potest: quod Respublica quælibet duabus veluti partibus constet, Magistratu & plebe. Si igitur Ecclesia illa electorum, quæ distincta esse à reprobis fingitur, proprio Magistratu Ecclesiastico qui sit de corpore ipsius careat, vera Ecclesia non est: caret enim præcipua & formali sui parte. Forma siquidem Reipub. est forma regiminis: & ij penes quos est regimen & gubernatio, sunt formales Reipub. partes. Et sicut sola plebs sine vlla forma regiminis non est Respub. sed multitudo confusa & inordinata: ita soli electi, sine vllo regimine Ecclesiastico & Magistratu, dici Ecclesia non possunt. Ecclesia enim, non quicunq; cætus est, sed ex Pastoribus & ouibus constans, sub ea regiminis forma, quam Christus præscripsit. Quodsi Ministri Ecclesiæ visibilis, sint quoque Ministri electorum: sequitur constare Ecclesiam non solùm ex electis, sed etiam reprobis. Ministri enim & Pastores visibiles esse reprobi possunt. Quis enim proprios Pastores reijciat à cætu cuius sunt pastores? aut quis Magistratum neget esse verã illius Reip. partem, cuius est Magistratus? Sequetur etiam; electorum Ecclesiam nec esse inuisibilem, quippe quæ pastores & Ministros visibiles habeat: nec ab Ecclesia reproborum distinctam, quippe quæ Pastores eosdem habet.

Magistratus Reipub: pars est.

Hoc posito, ostendo, Ministros Euangelicos non esse veræ Ecclesiæ Ministros, nec in vera Ecclesia, sed in synagoga satanæ ministerij munus gerere. idq; triplici ratione demonstro. 1. quia non sunt eius Ecclesiæ Ministri quæ semper habita est totius orbis testimonio & consensu, pro vera Christi Ecclesia. 2. quia non sunt eius Ecclesiæ Ministri, quæ per omnes gentes fuit semper, estq; dilatata. 3. quia non sunt Ministri Ecclesiæ super Petrum ædificatæ à Christo.

Cur sectarij veræ Ecclesiæ Ministri esse nequeant tres rationes.

1a. Quod ad primam rationem attinet: certum est, Ecclesiam à Christo

fundatam, per Apostolos propagatam, certa successionum serie, ad hæc vsque tempora. vel vt minimum ipsis etiam aduersarijs assentientibus ad Gregorij Magni tempora, hoc est, ad sexcentos post Christum annos, peruenisse. Nam hanc successionum seriem in Ecclesia, incipiendo à Petro vsq; ad sui temporis Romanum Pontificem Anastasium, deducit August. *epist. 165.* in eaq; tantam vim ponit, *vt in epistola fundamenti cap. 4.* inter cætera, quæ ipsum in Ecclesiæ Catholicæ gremio iustissimè teneant, numeret ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post Resurrectionem Dominus commendauit, vsq; ad præsentem Episcopatum successionem Sacerdotum: ostendens doctrinam Apostolicam per illos 300. annos integram ad sua tempora in toto orbe permansisse. Quin & Zaborouius vi veritatis adactus idem confitetur. Ad tempora, inquit, Gregorij Magni aut non multò post, Romana Ecclesia habita est pro vera Ecclesia. Nos verò eandem successionis seriem etiam ad nostra tempota deducimus, successionis, inquam, non solùm personarum, sed etiam doctrinæ: cùm nihil nobis antiquius sit, quàm antiquitati insistere, nouitates fugere, Sanctorum Patrum communem fidem & doctrinam sequi.

Sunt extra successionis seriem.

Nam quòd à Phoca Imperatore vi postea inductum scribit Zaborouius vt Ecclesia Romana caput reliquarum diceretur; & eo ipso cœptam haberi pro sede Antichristi: falsissimum est. Etsi enim Phocas eam legem tulerit, qua statuit Romanam Ecclesiam esse caput omnium Ecclesiarum: non tamen eam rem tanquam nouam statuit, sed à maioribus acceptam, sua sanctione ad retundendam quorundam Patriarcharum Constantinopolitanorũ superbiam confirmauit; declarauitq;, vt quod semper ab ipsis Apostolorum temporibus creditum est de primatu Ecclesiæ Romanæ, ab omnibus ratum & sanctum haberetur.

Non primus Phocas Romanam Ecclesiam caput Ecclesiarum agnouit.

Multos autem ante Phocam Imperatores idem sensisse, luce clarius nostri demonstrant; vt ignaros omnis historiæ esse oporteat, qui tantam lucem perspicere non possunt. Nam ante Phocæ imperium annis aliquot Gregorius *lib. 7. epist. 63. ad Ioan. Syracusanum.* *De sede*, inquit, *Constantinopolitana quis dubitet, eam Apostolicæ Sedi esse subiectam? quod & Dominus piissimus Imperator, & frater meus Eusebius eiusdem ciuitatis Episcopus assiduè profitentur.* Si Gregorius & ipse, cùm esset Pontifex Romanus legitimus, id sensit, & indubitatum esse apud omnes asseruit: idemq; testimonio & assensu Imperatoris tunc regnantis, ac Eusebij Patriarchæ Constantinopolitani, comprobauit: qua fronte Zaborouius suum Caluinum secutus affirmare audet. Phocam primùm id induxisse, quod ante Phocæ tempora receptum in orbe terrarum fuit, tam in Oriente ab Imperatore, & Patriar-

agnouit & Mauritius.

Iustinianus. cha, quàm in Occidente ab ipso Gregorio, & cæteris omnibus, quos ne du bitare quidem ea de re posse asserit Gregorius. Ante Phocam Iustinianus II. *Valentinianus.* annis 70. *in epist. ad Ioannem II.* disertè affirmat, *Romanam Ecclesiam esse caput omnium Ecclesiarum.* Valentinianus etiam Imperator, qui Phocam 140. annis præcessit, in *epist. ad Theodosium* asserit. *Romanum Pontificem principatum Sacerdotij super omnes semper habuisse.*

Ex Patribus antiquissimus Irenæus. Ex Patribus vnus sufficiat Irenæus, qui mox post Apostolorum tempora fuit. Is *lib. 3. cap. 3.* ait; *Ad Romanam Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, omnes qui sunt vndiq; fideles.* Idem agnouerunt prima quatuor Concilia generalia, *Concilia Nicænum.* quorum testimonium est totius Ecclesiæ testimonium. Nam primum Concilium generale Nicænum in *Canone 6.* sic habet: *Ecclesia Romana semper habuit primatum.* quo modo Canon dictus Concilij citatur in Concilio *Constantinopolitanum.* Chalcedonensi *actione 16.* à Paschasino Episcopo. Secundum verò Concilium generale in *epist. ad Damasum* duo fatetur. & se ex mandato literarum Pontificis per Imperatorem ad se missarum, conuenisse Constantinopolim: *Ephesinum.* & Romanam Ecclesiam esse caput, se autem membra. Quid clarius? Concilium etiam tertium generale in *epist. ad Cælestinum Pontificem* scribit: se causam Ioannis Patriarchæ Antiocheni non fuisse ausos iudicare, sed reseruasse iudicio ipsius Cælestini. Idem quoq; Concilium dicit, se deposuisse *Chalcedonense.* Nestorium mandato literarum Cælestini Papæ. *vt est apud Euagrium 1. Hist. cap. 4.* Denique Concilium Chalcedonense *act. 1. 2. 3.* passim Leonem Papam vocat vniuersalis Ecclesiæ Pontificem.

Quæ cùm ita sint, quæ impudentia Zaborouij est contra Conciliorum generalium, Sanctorum Patrum, & Imperatorum testimonia, asserere primatum Pontificis Romani à Phoca primum inductum fuisse? Iam verò *Ministri dissident à moribus & institutis veteris Ecclesiæ.* cùm constet Ecclesiam veram mansisse, primis vt minimum sexcentis annis; vt aduersarij fatentur: non difficile est demonstrare Ministros Euangalicos talis Ecclesiæ Ministros non esse. Illa enim Ecclesia Missas celebrabat, & celebrãdas præscribebat: & in Missis Sanctos inuocabat: pro defunctis orabat: imagines Christi & Sanctorum venerabatur: Sacrificium in altari offerebat: Corpus Christi & Sanguinem verè in Eucharistia esse credebat: vt ex Liturgijs ipsis Chrysostomi, Basilij, Ambrosij manifestum est, hæc autem omnia Ministri Euangelici detestantur. Non sunt igitur illius Ecclesiæ, quæ pro vera semper habita est, Ministri. maximè cùm ad officium Ministrorum præcipuè in Ecclesia illa pertineret, Missas celebrare, pro viuis æquè ac defunctis. quod officium cùm illi nec acceperint vnquam nec agnoscant, pro Ministris Ecclesiæ illius haberi non possunt. Cuius igitur Ecclesiæ Mi-

nistri

niſtri erunt? certè cùm ad veram Dei Eccleſiam quæ vnica eſt pertinere nō poſſint, ad ſatanæ ſynagogam pertineant neceſſe eſt.

Vana ſunt igitur, quæ à Zaborouio opponuntur. Quis, inquit, concedat eam Eccleſiam quæ nunc cupit dominari orbi ab Apoſtolorum temporibus viguiſſe? Conceſſerunt generalia Concilia: conceſſerunt Imperatores: conceſſerunt Sancti Patres. vt oſtenſum eſt. Quod igitur totus orbis ſemper conceſſit, quis eſt qui non concedat? Neq; hoc eſt dominari orbi, vti ipſe ad inuidiam trahit. Non enim dominium temporale, ſed poteſtatem ſpiritualem in fideles vniuerſos, quatenus ea ad bonum regimen neceſſarium eſt, in Eccleſia agnoſcimus. *Zaborouij ſine mente ſonus & ſine fronte.*

Nihil, inquit, in Fide commune cum Eccleſia Apoſtolica habetis. Sed hæc verba ſunt & ſine mente ſonus. Nam ſi primæua illa Eccleſia primis ſexcentis annis omnia ſua communia cum Eccleſia Apoſtolica habuit (alioqui vera Eccleſia non fuiſſet) nos quoq; eadem communia habemus. Habemus enim (vt cætera taceam) Miſſam, in qua maxima pars eorum, quæ Euangelici horrent, continetur: quam non dubium eſt primis ſexcentis annis viguiſſe, vt ex Miſſis Ambroſij, Chryſoſtomi, Baſilij, conuincitur.

Quis, inquit, dabit, ſolam Romanam pro vera Eccleſia habitam? quo ergo loco erit Eccleſia Orientalis? Quaſi verò Eccleſiæ Orientalis fides nō fuerit eadem cum Romana fide. cùm & Paulus Romanam fidem annunciari in vniuerſo mundo dixerit: & prima octo Concilia generalia, ad confitendam vnam fidem, ex Orientali pariter & Occidentali Eccleſia habita ſint: & omnes in mundo Eccleſias Eccleſiæ Romanæ ſubiectas eſſe, atque ita ad vnam Eccleſiam pertinere, canities Patrum ſemper docuit, vti paulò ante ex Irenæo & Gregorio oſtendimus. Nimis verò videtur eſſe zeloſus, ſed non ſecundùm ſcientiam Zabor. pro Eccleſia Orientali: cùm ab ea lucem Euangelij in Occidentalem dimanaſſe aſſerit. *Ex Sion enim egredietur lex. Michææ 4. 2.* Nam lex Euangelij ab Oriente emanauit: quia ibi primùm nata eſt, at in Occidente fixa eſt à Petro, quoad poteſtatem, quam Chriſtus Eccleſiæ reliquit, ad omnes fideles dirigendos. quam poteſtatem penes Petrum & ſucceſſores eius eſſe voluit. *Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ eadē fides.* *In oriente fides nata in occidente radicata.*

Luterus, inquit, non nouæ, ſed veteris & ab Apoſtolis fundatæ Eccleſiæ per Antichriſtum tum ad latebras & anguſtias redactæ, dux & index extitit. At quomodo iſta cohærent: vt Luterus veterem Eccleſiam indicârit, cùm veterem Eccleſiam prorſus condemnauerit ſcribens toties, *Nihil ſe curare mille Auguſtinos & Cyprianos.* Quomodo veterem Eccleſiam indicauit, cùm Miſſam, quam vetus Eccleſia primis ſexcentis annis ſanctè coluit, & quotidie celebrauit, ipſe ſuperbè reiecerit? Quis credat auditui veſtro? Adhæc *Non Catholica ſed Lutheri & Caluini fides ad eorū vſq; tempora in orbe latuit imo nuſpiam fuit.*

stro? Adhæc si Ecclesia vera erat primis sexcentis annis, vt concedit cum Caluino Zaborou. tunc autem erat per totum mundum dilatata, & omnibus nota: quodnam erit illud tempus, in quo Ecclesia Christi per Antichristi tyrannidem in latebras & angustias fuit redacta? Nam etiam post sexcentos annos, eandem suam in toto orbe amplitudinem & claritatem conseruauit, & eandem Fidem postea tenuit, quam tempore Gregorij Magni tenebat.

Quanquam si has latebras non ad fidem Catholicam, quam constat semper fuisse in toto mundo conspicuam, tum fidei confessione, tum Sacramentorum vsurpatione, tum Missarum celebratione; sed ad Luteri & Caluini fidem referat: facile concedo, eam ante Luteri tempora semper in mundo latuisse; neq; vel vnum humuncionem proferri ex tota antiquitate posse, qui totam Luteri doctrinam, vti ab ipso tradita est, tenuerit vnquam aut docuerit. quod cordato cuilibet satis esse deberet, ad persuadendam huius doctrinæ nouitatem.

Dilemma in zaborouium. Præterea cedo Zaboroui, constatné tibi tuos Euangelicos in illis latebris latuisse, vel non constat? Si non constat: causa cadis. id enim quod tibi non constat asseris. si constat: non igitur latuerunt. Nam si te modò post tot secula non latent; quomodo eos cum quibus degebant latuerunt? Profer etiam vnde tibi id constat. num ex reuelatione diuina? Non credo. Num ex historijs? Profer igitur vnum obsecro auctorem, qui aliquem cum Luterana vestra fide ab Apostolorum temporibus in mundo extitisse scripserit, de quo constet & indubitatum sit, quòd fidem qualem Luterus docuit ex integro professus sit. Quodsi proferre non poteris, nisi fingendo (de nullo enim id constat, nisi ex vestra assertione) consequens est, Luteranos non latuisse præcedentibus seculis, sed simpliciter in mundo non fuisse. Asserere enim aliquem in mundo fuisse, quem nullus hominum viderit, cognouerit, est par anilibus fabulis.

Aliud. Deinde & hoc vrgeo. Vestri illi latentes Luterani, confessine sunt fidem suam ore ad salutem, sicut illam corde crediderunt? si ita est: non igitur latuerunt. Quomodo enim is latere dicendus est, qui fidem suam palam confitetur? Quodsi non sunt confessi: non fuerunt veri Christiani, qui teste Paulo. *fidem quam corde credunt ad iustitiam: ore tenentur confiteri ad salutem. Rom. 10.* alioqui Christus illos coram Patre suo non confitebitur, sed erubescet. Non ita nostri Catholici: qui etsi sæpe in persecutionibus quoad locum latuerunt, iuxta Christi præceptum fugientes de vno loco in aliú: quoad fidem tamen non latuerunt, sed eam quibuscunq; poterant modis in lucem protulerunt, etiam proprio sanguine. Pro fide verò Luterana præteritis illis seculis aliquem sanguinem fudisse, ne fando quidem auditum est.

Concedo

Concedo igitur libenter istas fidei tuæ latebras. cùm ex ipsis latebris constet, illam vel non fuisse, vel veram fidem non fuisse.

Frustra verò tuam fidem in Apostolorum tempora refers. Hoc enim omnes Hæretici faciunt, vt fidem suam commendent. at non probant. Probatio namque Apostolicæ Fidei est, eius in mundo propagatio perpetua & confessio. Cùm igitur nullo vnquam seculo orbis terrarum fidem vestram vti à vestro Lutero tradita est, integrè receperit & confessus sit, vti ostendi: non potest vestra fides Apostolica dici. siquidem notam Apostolicæ fidei non habet, successionem perpetuam & propagationem: quam semper sancti Patres & maximè Augustinus contra hæreticos vrserunt. Non enim latet Apostolica fides, sed prodit in apertum: neque tenebras amat sed lucem: neque deficit aut deficere propter persecutiones in mundo potest, sed persecutionibus augetur & crescit magis. verum enim est illud S. Leonis; *Sanguinē Martyrum esse semen Christianorum.*

Probatio Apostolicæ fidei est eius confessio & propagatio.

Imperitè verò negas, & contra omnium Historiarum fidem, cæteras omnes per mundū Ecclesias communionem cum Ecclesia Romana habuisse. Id enim vel ipsa Concilia generalia vniuersam Ecclesiam repræsentantia conuincunt. nam ea & mandato Romani Pontificis cogebantur, & legatis eiusdem Romani Pontificis præsidentibus celebrabantur, & potestatem in vniuersam Ecclesiam Romani Pontificis agnoscebant. vti supra ostensū est.

Anistoresia Zaborouij.

Vt tamen fucum aliquem facias, aliquot personas nominas, quas dicis Romano Pontifici restitisse. Hoc etiamsi verum esset; nihil tamen efficeres hic enim esset error non iuris, sed facti. Ius enim Concilia generalia agnouerunt, neq; quod quis fecerit aliquando, sed quo iure fecerit, quærendum est. Deinde nego vnquam à viris Sanctis restitum esse Pontifici in ijs, quæ erant definita de fide; sed solùm in ijs quæ erant in Ecclesia controuersa, de quibus salua fide licebat in vtramque partem sentire.

In particulari autem, cùm ais Irenæum Victori Episcopo Romano Ecclesias Asiaticas ob celebrationem Paschatis excommunicanti restitisse: Is non de potestate Pontificis dubitauit, nec illum de vsurpata potestate accusauit (quæ in promptu in tali occasione fuisset) sed quòd ea potestate duriùs quàm par est vsus esse videretur: ob tot Episcoporum & Ecclesiarum, quas à communione præcidit iacturam & damnum. vnde potiùs hoc argumento euincitur Pontificis Romani in Asianas Ecclesias potestas: qua cùm tam grauiter vsus esset; tamen neq; ab Asianis de vsurpatione potestatis accusatus fuit, neq; id quod fecit, irritum habitū est & inane; vti fuisset, si absq; potestate legitima factum fuisset, sed solùm immoderatus potestatis vsus à quibusdam, inter quos erat Irenæus, notabatur & accusabatur, atq; de moderatio-

Irenæus vt Victori restiterit.

ne decreti, in re alioqui iustissima (quam tota deinde approbauit Ecclesia) lati agebatur.

Africani vt Cornelio & Stephano.

Iam quod ad Cyprianum attinet non est dubium, eum in re iniqua, quam tota postea Ecclesia reprobauit, Cornelio & Stephano Pontificibus aduersatum fuisse, vnà cum Concilio suæ Prouinciæ 80. Episcoporum vrgendo, eos qui apud hæreticos baptizati essent, non esse verè baptizatos, & rebaptizari in Ecclesia debere. Verùm cùm ea res esset tunc in Ecclesia controuersa, & necdum definita tanquam de fide, poterat quidem salua fide sustineri, secundùm Augustinum *4. de Baptismo contra Donatist. cap. 6.* nihilominus tamen resistentia facta Pontifici contrarium præcipienti & mandanti, à peccato excusari non potest. quod tamen peccatum Cyprianus ipso Augustino teste, correxit, dum sanguinem pro Ecclesia fudit. *2. contra Cresconium cap. 32.*

Errores non allegandi.

Parum verò refert, quid contra Romanum Pontificem iniuriâ aliquãdo factum sit, & tota Ecclesia reclamante. Errores enim non esse allegandos constat. Nobis satis est, nihil iure à Sanctis contra Pontificum potestatem vnquam obiectum esse. Porrò hoc etiam factum, est nouum pro Romani Pontificis in alias Ecclesias potestate, argumentum.

Athanasij cũ Liberio qualẽ dissidium.

Iam venio ad Athanasium: quem tu falsò scribis, vnionẽ cum Liberio Romano Pontifice, qui in eius condemnationem iniustam subscripserat, minimè coluisse. Demum enim post illud facinus admissum & communicationem cum Arianis, *in subscriptione contra Athanasium* (quòd ipse Athanasius vi tormentorum adactum, eum fecisse testatur) postquam Pontificatu à clero Romano priuatus est, Felice II. in eius locum suffecto: Athanasius cum illo vnionem colere desijt.

Augustinus falsò insimulatur simultatis cum Romanis Pont.

Quantùm verò ad Augustinum spectat: magna iniuria infertur Augustino, cùm restitisse tribus Romanis Pontificibus, Zosimo, Bonifacio, Cælestino insimulatur: quorum fuisse semper reuerentissimum, eiusdem epistolæ ad ipsos testantur. Quamuis autem Conc. Afric. hoc est Carthaginensi VI. quod 217. Patribus constabat, subscripserit: tamen neque in illo Concilio decretum fuit, de non permittendis appellationibus ad Pontificem Romanum, neque Patres illius Concilij restiterunt Pontifici, sed humiliter postularunt secum indulgeri, ne tam facilè appellationes à suis ad Romanum Pontificem factæ admitterentur; quòd ea res multum illis partibus incommodi afferret. Id ita esse, Epistolæ huius Concilij *ad Bonifacium & Cælestinum Papam datæ* testantur. *August. etiam in epist. 157.* ait, ex mandato Zosimi se & alios Episcopos Cæsaream conuenisse. vnde hoc quoq; argumentum est primatus Romani Pontificis & iurisdictionis, quam tunc in Ecclesias A-

fricanas habuit: eamq; Concilium Africanum non negauit, sed solùm moderationem in vsu adhiberi humiliter petijt. quare & consequentibus postea temporibus Romani Pontifices idem ius in Africanam Ecclesiam exercuerunt, vti accurate ostendit Bellarmin. *lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 25.* Pontifex etiam Zosimus missis ad Africanos Episcopos legatis, idem ius ab eis exigebat, non tanquam nouum, sed vt antiquum, & in Concilij Nicœni Canonibus assertum.

Quocirca quibus exemplis productis, primatum Romani Pontificis conuellere voluit Zaborouius eundem maximè stabiliuit: diuinaq; prouidentia factum est, vt ea ipsa, quæ aduersus Romani Pontificis authoritatem gerebantur, eius summam in Ecclesia authoritatem indicarent.

CAPVT VIII.

Quæ contra visibilem Ecclesiam temere à Zaborouio producta sunt, refelluntur.

Ecclesiam à Christo fundatam visibilem esse, ita manifestum est, vt qui id neget, solem in meridie lucere neget. Nam & Christus cùm suam Ecclesiam fundaret, visibilis fuit: & visibilem cœtum, Apostolos videlicet 12 primùm, tum 72. discipulos fundauit: deniq; visibili quoq; ratione, hoc est, prædicatione & verbo suo diuino homines ad Ecclesiam congregabat: ita, vt nulli dubium esse potuerit, quin omnis ille cætus ad Ecclesiam Christi pertineret. Simili ratione, alios deinde huic Ecclesiæ aggregârunt Apostoli, certos nimirum & visibiles homines, certa & visibili ratione, hoc est prædicatione verbi & Baptismi collatione, & eorundem Sacramentorum communicatione & symbolo. Quo etiam modo, alij quoq; Apostolorum successores Ecclesiam Dei deinceps propagârunt, certa successionum serie, quam ad sua tempora deduxit Augustinus, ad tempora Gregorij Magni non diffitentur aduersarij. Sed & ratio manifesta idem euincit. si enim Ecclesia non est quicunq; cætus, sed pastoribus & ouibus constans; quis non videt, cœtum eiusmodi non posse non esse visibilem? nisi vel Pastores regere posse oues quas non norunt credantur, vel oues à pastoribus quos non vident instrui.

Ecclesia ab ortu suo, & deinceps semper visibilis.

Iam igitur si Ecclesia visibilis vera est, vti veram esse oportet, cùm sit à Christo & Apostolis fundata: falsum erit, quod probare intendit Zaborouius, Ecclesiam non esse visibilem. Eæ enim rationes, si quid probant, probant nul-

Seipsum Zaborouius inuoluis.

bant nullam Ecclesiam dari visibilem. quod quia per se falsum est, rationes quoque ipsius nullam speciem veritatis continent. Nam si Ecclesia visibilis, dicatur non esse vera: sequitur Euangelicos Ministros dum veræ Ecclesiæ Ministri haberi volunt, inuisibilis Ecclesiæ, hoc est eius quam non norunt Ministros esse. quod tanquam ex ipsorum sententia consequens absurdum merito à me obiectum est Zaborouio. Nam si dicat Ecclesiam visibilem, ea solùm ratione esse veram, quia electos continet: ex hoc sequeretur, Ecclesiam quà vera Ecclesia est, non esse visibilem. qui enim sint electi visibile non est. Quare nec Ecclesia Euangelicorum dici posset vera Ecclesia: quia constare non potest, an aliquis ex Euangelicis sit electus. Si verò constet illis, qui sint electi, qui non; electorum Ecclesia non erit vti volunt inuisibilis, cùm ipsis sit visibilis.

Sed argumentantem audiamus. Ecclesia, inquit, electorum est cætus: talis autem cætus est inuisibilis. At falsissimum est, Ecclesiam esse solùm electorum cætum. quod vel ex eo manifestum est: quòd Pastores Ecclesiæ, qui sunt præcipua Ecclesiæ membra non est necesse electos esse, cùm tam multi sint reprobi. Frustra verò Gregorium & Augustinum adducit. Ij enim vti concedunt Ecclesiam electos continere: ita nullibi affirmant solis electis constare. quod Zaborouio probandum erat. Nam non soli electi per se singularem Ecclesiam constituunt: sed ad eandem cum reprobis Ecclesiam visibilem, eiusq; regimen pertinent: ab ijsdem vtriq; Pastoribus reguntur, eadem Sacramenta percipiunt, ad eundem cætum & communionem spectant. Et sicut Christus, non alios constituit Pastores pro electis, alios pro reprobis, nec alia Sacramenta, nec alios cætus peculiares: ita nec aliam Ecclesiam; sed vnam pro vtrisq;, quam per Pastores à se constitutos, siue sint electi, siue reprobi, gubernat. Quare cùm electorum cætus, quà electorum est, peculiarem formam Ecclesiæ non habeat, neq; peculiare regimen Ecclesiasticum, nec peculiares Pastores, aut peculiaria Sacramenta; sed eidem cum reprobis regimini Ecclesiastico subiaceat: ad eandem cum reprobis Ecclesiam spectare dicendus est. Nam quod ad electionem pertinet: ea statum ac formam Ecclesiæ non mutat. Electos enim Deus non per nouam aliquam Ecclesiam gubernat, sed per eam quæ ipsis est cum reprobis communis. Quamobrem electi non peculiaris alicuius Ecclesiæ membra censeri debent: sed illius cuius etiam reprobi sunt membra. Neq; verò quilibet cætus pro Ecclesia haberi debet: sed qui Pastoribus & ouibus constat, cum peculiari regiminis forma. Quocirca cætum electorum non negamus. sed esse per se Ecclesiam negamus; cùm per se non habeat peculiarem regiminis Ecclesiastici formam; sed communi cum reprobis regimini subiaceat.

Ecclesiã tam ex probis quã ex reprobis nõ autem ex solis electis.

Deinde

Deinde sic argumentatur. Quod creditur non videtur: *fides enim est argumentum non apparentium.* Hebr. 11. 1. *At Ecclesiam in symbolo credimus.* Non itaq; sensibus externis patet. Hoc argumentum prius à Zaborouio soluendum est. Nam cùm asserat Ministros Euangelicos, esse visibilis Ecclesiæ Ministros: aut credit Ecclesiam illam esse visibilem, aut non credit. Si dicat se credere; datur igitur Ecclesia quæ creditur licet sit visibilis, potestque id quod videtur aliquo modo credi. vanumq; erit ipsius argumentum, quo probat, Ecclesiam eo quòd credatur non posse dici visibilem. Si verò dicat se non credere: falsum erit quod asseruit Ministros Euangelicos esse Ministros Ecclesiæ visibilis. id enim cùm ipsemet non credat, quis asserenti credet? Deinde respondeo. In Ecclesia aliquid esse quod videtur, aliquid quod creditur. Videtur cætus ille cum tali professione & symbolis: creditur, quòd ille cætus sit vera Christi Ecclesia, & quod illius fides sit Christi fides, hoc enim non videtur, sed firmissime creditur. Nam pari ratione Christus erat visibilis: & tamen à Thoma & videbatur & credebatur, dicente Christo: *Quia vidisti me Thoma, credidisti.* Quod enim homo quidam esset, videbatur: quod verò talis homo esset, qui esset etiam verus Deus & Dei Filius, non videbatur sed credebatur. Non igitur repugnat id quod creditur aliqua ratione esse visibile: dummodo ea ratione qua creditur, contineat aliquid inuisibile. hoc enim est quod ait Paulus, *Fidem esse argumentum non apparentium. Et S. Gregor. homil.* in Euangel. *Quæ videntur, agnitionem habet non fidem.* Ad hæc in symbolo credimus Ecclesiam non qualemcunque, sed sanctam: sanctitatem autem certum est esse inuisibilem.

Suo se telo Zaborouius iugulat.

Quid visibile quidue inuisibile in Ecclesia.

Neque verò si Ecclesia quoad aliquid sit inuisibilis, absolutè dicenda est inuisibilis. Nam etiam homo quoad animam est inuisibilis: absolutè tamen dicitur visibilis, quia id videtur, cui illud quoq; inuisibile inest. Simili ergo ratione cætus ille hominum ab Apostolis longa successionum serie propagatus videtur absolutè, non minus quàm omnes alij hominum cætus & respublicæ; licet habeat aliquid in se inuisibile, quod tamen necessariò illi cætui inesse certissima fide credimus, nempe quòd sit vera Christi Ecclesia, & eius fides sit vera Christi fides.

Cur nihilominus Ecclesia dicenda visibilis.

Vrget præterea in hunc modum: Ecclesia est totum quoddam Theologicum, quod habet rationem quantitatis, & continuæ, quia habet caput; & discretæ, quia est grex. Tale autem totum sub sensus non cadit, sed potius mente & fide comprehenditur. Ecclesia igitur visibilis non est. Hoc argumentum prorsus ineptum esse, ex multis constat. Primùm quia ad omnem Rempublicam vel regnum potest accommodari: quis autem ita stultus sit, vt dicat Remp. aut Regnum, quia est totum quoddam Politicum

Acumen Zaborouij sed plumbeum.

1.

habens rationem quantitatis & continuæ, quia habet caput, & discretæ, quia est multitudo, esse inuisibilem? Neque igitur Ecclesia, propter similem rationem totius partim continui partim discreti, negari potest esse visibilis. De-
2. inde quis sanæ mentis neget, gregem tam secundum se quàm vt à suo pastore regitur esse visibilem? vtrumq; enim videtur, & illa multitudo discreta, & eius quasi quædam continuatio cum pastore mediante regimine. Cur igitur simili ratione, grex ouium Christi gubernatus à suis pastoribus non sit visibilis? Ad hæc non negabit Zabor. cætum Euangelicorum esse totum
3. quoddam Theologicum, partim discretum quia est multitudo, partim continuum quia à Ministris tanquam à capite dependet. Nemo etiam negare poterit, talem cætum esse visibilem tam in se, quam vt à Ministris ratione visibilis prædicationis dependet. Non igitur verum est, quod ait Zaborou. totum Theologicum videri non posse.

Vides Chrisippeum Zaborouij ingenium.

Tandem tale ponit argumentum. Philosophia docet vniuersalia, sensibus non percipi. Cùm igitur Ecclesia sit vniuersalis, quia Catholica: sensibus non percipitur. Hoc argumentum rident omnes Logici: quòd in eo crassam admodum æquiuocationem deprehendant. Nam cùm in Philosophia docetur, vniuersalia sensu non percipi: de vniuersalibus Logicis quæ sunt abstracta à singularibus sermo est. hæc enim quia sunt extra singularia, nullo sensu percipi possunt: sensus enim nil percipere potest quod singulare non sit. Cùm verò Ecclesia dicitur Catholica seu vniuersalis: non dicitur vniuersalis, propter abstractionem à singularibus; sed ratione locorum & temporum, quòd omnia loca & tempora comprehendat. vti ait Augustinus in *Psalm 90. Concione 2. Corpus*, inquit, *huius capitis Ecclesia est, non quæ hoc loco est, sed quæ hoc loco & per totum orbem terrarum: nec illa quæ hoc tẽpore, sed quæ ab ipso Abel vsq; ad eos qui nasci turi sunt vsq; ad finem.* Hanc æquiuocationem si in scholis admisisset Zaborouius, non mulctatus non abiuisset. nunc satis sit indicasse, eum in cognitione vniuersalium non vsque adeo versatum esse.

En & Menippeum.

Sed & illud ineptè adijcit: Nisi forte sit aliquis Menippus, cui sedes in globo Lunæ assignatur, qui omnes vno intuitu Ecclesias particulares in mundo videat: quod cum nulli mortalium possibile sit; multo minus Ecclesia Catholica visibilis est. Nam quis non videt, Menippo opus non esse, qui omnes particulares Ecclesias videat ex globo Lunæ? Neq; enim Ecclesia propterea dicitur visibilis, quod tota simul & vno quasi oculi ictu, & vno tempore videatur (hoc namq; nonnisi ineptè cogitari potest) sed quòd secundùm se & omnes suas partes sit visibilis. siquidem nec globus terræ ab vllo simul videtur totus: absolutè tamen totus orbis terræ visibilis est, quòd omnes suas

nes suas partes visibiles habeat. Tota etiam Prouincia, totum Regnum visibile proculdubio est: a nemine tamen totum simul videtur. Neque nos alia ratione Ecclesiam visibilem asserimus, quàm illa, qua omnes Respub. Prouinciæ, Regna dicuntur visibilia.

Recte igitur ex loco *Actuum 20* deductum a nobis est, Ecclesiam esse visibilem. *Attendite*, inquit Paulus, *vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Quomodo enim illi Asiani Ecclesiam quam non videbant regere poterant? quomodo Pastores gregi quem non vident attendere possunt? Quocirca Ecclesia illa, & vera erat, quia acquisita Sanguine Christi; & visibilis, quia visibilibus Pastoribus regenda tradebatur.

Quid vero Zaborouius? Ecclesiam illam Asianam particularem fuisse. Recte quidem. At Ecclesia vniuersalis, non est alia quædam Ecclesia, ab Ecclesijs particularibus distincta: cùm Ecclesiæ particulares simul sumptæ constituant Ecclesiam vniuersalem. Cùm igitur omnes Ecclesiæ particulares sint visibiles; tota etiam vniuersalis Ecclesia erit visibilis. Non potest enim negari totum visibile, quod omnes partes visibiles habet. Quanquam verò non sit absolute necessarium ad Ecclesiæ visibilitatem, vt secundùm totam suam amplitudinem videatur: satis enim est, vt secundùm se & suam quasi essentiam sit visibilis. Nam & mare secundùm se est visibile; cuius tamen amplitudinem visu nemo complexus est: tamen etiam secundùm suam amplitudinem, quàm habet in omnibus gentibus & toto orbe terrarum, Ecclesia visibilis est, quia hæc ipsa eius amplitudo sensibus ipsis vsurpatur. At inquit ratione electorū dixisse Paulum: *quā acquisiuit sanguine suo.* Temere sane. Omnes enim tam electos quàm reprobos Christus Sanguine suo acquisiuit: cùm pro omnibus mortuus sit, & *dederit semetipsum redemptionem pro omnibus 1. Tim. 2. 6.* Quod verò reprobi salutem non consequatur; id non ex defectu redemptionis prouenit, quæ facta est: sed quòd eam reprobi vel reijciant omnino, vt infideles; vel applicare sibi per media à Christo instituta non procurent. Quamuis autem salutem vltimam non consequantur: consequuntur tamen alia beneficia redemptionis, nempe gratiam, Sacramenta, & omnem eam curam ac prouidentiam spiritualem, quæ ad salutem illis necessaria est.

Ex particularibus Ecclesijs simul sumptis constat vniuersalis.

Etiam reprobos Christus acquisiuit sanguine suo.

Adhæc Paulus de ea Ecclesia loquitur, quam regendam Episcopis illis commiserat Spiritus S. & cui ipsi erant præpositi Pastores. Atqui sine vllo discrimine omnes tam electos quàm reprobos commisit illis Spiritus S. regendos. Sine vllo igitur discrimine illi erant vtrorumq; Pastores. de vtrisq; ergo loquitur, cùm ait; *Quam acquisiuit sanguine suo.* cùm pro vtrisque

hoc sit

hoc sit inuictum argumentum, vt illis quàm diligentissimè attendatur, quos constat tanto impenso pretio acquisitos esse. Non ergo hoc loco dici potest à potiori denominationem factam: sicut cùm dicitur aceruus tritici, licet non sit sine paleis; aut dolium vini, licet non sit sine fæcibus: Omnes enim hoc loco tam electi quàm reprobi, sine vllo discrimine commendantur à Paulo Episcopis illis Asianis, omnibus æque iubentur Episcopi attendere & esse omnium Pastores, pro omnibus eadem ratio affertur, quòd sint acquisiti Sanguine Filij Dei.

Electi quà visibiles reguntur.

Cùm verò dicit Zaborouius posse oues inuisibiles regi, si Pastores omnibus se impendant, nullo inter electos & reprobos discrimine habito. Non aduertit oues istas inuisibiles, non quatenus sunt inuisibiles, sed quatenus visibiles regi. Sunt enim inuisibiles electi quoad electionem, quæ soli Deo cognita est: *cognouit enim Dominus qui sunt eius.* visibiles verò, quoad regimen externũ, & communionem verbi ac Sacramentorum. Quocirca electi quatenus ad Ecclesiam pertinent, visibiles sunt, & tanquam visibiles oues à Pastoribus visibilibus reguntur, & cum ipsis vnius Ecclesiæ sunt membra, nam oues & Pastores vnam Ecclesiam constituunt, cùm ex duplici hoc genere cætus Ecclesiæ constituatur.

CAPVT IX.

Ecclesiam electorum inuisibilem ineptè probat Zaborouius.

Zaborouius extra chorũ saltat.

CVm Zaborouius veram Ecclesiam esse inuisibilem probare non posset, Ecclesiam electorum inuisibilem à reprobis distinctam probare cõtendit testimonijs Scripturæ prout ipse ait omni exceptione maioribus. In qua re ita fallitur, vt aliud probet, aliud probare intendat, quod ineptissimum est probationis genus. Solùm namq; probat electos esse distinctos à reprobis, quod nemo inficiatur, non verò ad distinctam Ecclesiam pertinere, quod probandum illi erat.

Primum locum affert *Roman. 8. Quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* At quis non videt, hic non de Ecclesia agi: sed de quibusdam ex Ecclesia à Deo singulariter dilectis: ijs nimirum *qui secundùm propositum vocati sunt sancti.* vt ibidem dicitur. Aliqui enim secundùm propositum Dei vocantur ad sanctitatem: quibus Deus ab æterno proposuit efficaciter dare vitam æ-

tam æternam. & hi sunt electi ac prædestinati. Alij verò vocantur ad sanctitatem, non secundùm hoc propositum, sed secundùm voluntatem generalem, qua Deus omnes vult saluare, & ad agnitionem veritatis venire, dãdo illis media sufficientia ad salutem, quæ tamen illi respuunt. & hoc modo omnes fideles vocati sunt sancti.

Etiam reproborum aliqui credunt verè

Nam quod ait, reprobos nunquam internè efficaciter vocari, nunquã fide saluifica iustificari, nunquam corona vitæ glorificari: si hoc extremum excipias, falsissimum est & Scripturis omnibus contrarium. Quis enim nesciat, multos esse vocatos ad fidem, ita vt tali vocationi consentirent & crederent, (quod sine interna vocatione & gratia Dei fieri nequit: *Fides enim donũ Dei est, & non ex nobis. Eph. 2. 8.*) qui tamen non fuerunt electi, sed post fidem receptam, *circa fidem naufragauerunt:* & qui *cùm Spiritu cœpissent, carne consumati sunt:* qui fidem sine operibus & sine charitate habuerunt. *Iacobi 2. 14. 1. Corin. 13. 2.* Quis nesciat multos reprobos fide saluifica iustificatos esse? qui tamen non ideo non saluantur, quòd fidem saluificam seu qua saluari possent non habuerint: sed quod in ea non permanserunt. *Qui enim perseuerauerit vsq; in finem hic saluus erit.* De quibus S. Paulus *Hebr. 6. 4. Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus S. gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesq; seculi venturi, & prolapsi sunt: rursus renouari ad pœnitentiam.* Quamuis autem electi singularem habent vocationem & iustificationem, nempe cum perseuerantia coniunctam: reprobi tamen verã vocationem & veram iustitiam consequuntur; licet in ea sua culpa non perseuerent.

& verè iustificantur.

sed non perseuerant.

Electi à reprobis non Ecclesia distinguuntur, sed electione.

Porrò etsi electi distinguantur à reprobis electione; non tamen distinguuntur Ecclesia: cùm communes Pastores habeant, communia Sacramenta, commune regimen omne Ecclesiasticum, denique communem cætum. Non enim alios cogunt cætus electi, alios reprobi, sed ad communes cætus conueniunt: solùmq; mente & cogitatione in vno cætu separantur; re autem ipsa ad eundem cætum cum reprobis spectant. Oues enim ad eandem Ecclesiam cum suis Pastoribus spectare necesse est. eatenus verò oues Ecclesiæ sunt, quatenus potestati & regimini, ac communioni Ecclesiæ subiacent. Quare cùm electi per Ecclesiæ prædicationem vocentur, per Sacramenta Ecclesiæ iustificentur, per regimen Ecclesiæ dirigantur ad salutem, sunt verissima Ecclesię visibilis (quæ illis cum reprobis communis est) membra, nec alia Ecclesia vel Ecclesiastico regimine opus habent. sine alio autem Ecclesiastico regimine non possunt dici alia Ecclesia: cum Ecclesia regimine tanquã forma, hominibus tanquam materia constet, sicut & quæuis Resp. & communitas.

Secundum locum pro Ecclesia electorum affert *Ephes. 5. 25. Christus dilexit Ecclesiam mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet eam sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam.* & v. 29. *Nemo odit carnẽ suam, sicut nec Christus Ecclesiam: quia sumus membra ex carne eius, & os ex ossibus.* Hic dicit non agi de Ecclesia ex electis & reprobis mixta, quia hæc habet rugam & maculam. Christus etiam membra sua inter damnanda minimè censet. Imò vero contrarium concludendum est. Si enim de illa Ecclesia agit Paulus, quam Christus mundat lauacro aquæ in verbo, mundantur autem lauacro aquæ non solùm electi, sed etiam reprobi: sequitur Ecclesiam illam constare non solùm electis, sed etiam reprobis. Vniuersam etiam Ecclesiam illa ratione diligit Christus: quia omnes vult saluos fieri, omnibus vult dona gratiæ suę esse communia. sicut & *Deus* dicitur *ita dilexisse mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Ioan. 3. 6.*

Christus mũdat non solos electos, sed etiã reprobos.

Quamuis autem vna & eadem sit Ecclesia in hac vita ex electis & reprobis constituta, quam Christus diligit & mundat: cùm tamen eam in altera vita exhibebit gloriosam & non habentem maculam aut rugam, erit Ecclesia electorum duntaxat. Quare sicut Ecclesia alterius vitæ, quæ dicitur *Triumphans & gloriosa*, solis electis constabit: ita Ecclesia præsentis vitæ, quæ dicitur *Militans, & sagena ex omni genere piscium congregans eo fine, vt boni eligantur ad vitam æternam, mali autem foras mittantur.* non solos electos complectitur, sed omnes omnino fideles. Neque enim ad ouile Pastoris totum suum gregem diligentis, & procurantis, sanæ tantùm oues pertinent; sed & ex quæ sanæ priùs fuerant, pòst factæ sunt morbidæ: imò neq; hæ solùm quæ morbidæ cùm sint curari possunt; sed etiam quæ curari non possunt & pereunt. vtrasq; enim oues pro suis bonus Pastor agnoscit, quãdiu sunt in ouili eius.

Matth. 13.

Non enim solum sanæ oues, sed morbidæ ad pastorem spectant.

Iam quod de membris damnandis ait, Christum ea inter membra sua non computare. Id vti verum est de membris corporis gloriosi, à quo talia membra præcisa sunt; ita minimè verum est de membris corporis mystici, quod in hac vita habet. Hic enim tale corpus habet, quod Christus mundat lauacro aquæ, & talia membra quæ ab vnitate corporis sui præscindere potest. Quis verò neget membrum quod postea præscindendum est, antequam præscindatur, verum & viuum corporis membrum esse?

Corpus Christi mysticum potest habere membra damnanda, non autem gloriosum.

Tertium locum affert *Matth 16. 18. portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Quod de sola Ecclesia electorum intelligendum putat Zaborou. sed falsò. Nam Christus ædificabat Ecclesiam visibilem super petram visibilem, visibile ædificium, visibili ratione, nempe per prædicationem verbi & Sacramenta. At hæc ædificatio communis est electis & reprobis. Ergo &

Electio æterna ædificatio Ecclesiæ in tempore.

go & Ecclesia à Christo ædificata vtrosq; complectitur. Deinde si solùm de ædificatione electorum Ecclesiæ res esset; non dixisset Christus *ædificabo*, sed *ædificaui Ecclesiam meam*. Si enim propter electionem, electi fiunt membra Ecclesiæ; cùm electio fuerit tum iam facta, imò ab æterno; fuisset Ecclesia iam tunc ædificata, non ædificanda: cùm tamen Christus de prima ædificatione loquatur, quæ fieri tunc primùm debebat super petram. Et sanè clarissima res est, multos electos in Ecclesia non esse, multos verò reprobos esse. Non igitur sola electio facit Ecclesiam. *Secundùm præscientiam*, inquit Augustinus, *& prædestinationem, quàm multæ oues foris? quàm multi lupi intus? Tract. 45. in Ioan.* Paulus enim cùm persequeretur Ecclesiam Dei, non fuit re ipsa in Ecclesia, licet quatenus electus, futurus erat, non actu erat in Ecclesia: Iudas verò actu erat in Ecclesia, in qua etiam Apostolatus dignitatem, sicut & alij Apostoli gerebat, & tamen electus non erat. Nó igitur electio sola facit aliquem esse de Ecclesia, neque reprobatio facit non esse. ac proinde Ecclesia non est solùm electorum cœtus.

Promissio Christi de portis inferi non præualituris, non solis electis data.

Denique promissio illa, *Portæ inferi non præualebunt:* non ad solam Ecclesiam electorum necessariò pertinet. Tunc enim portæ inferi aduersus Ecclesiam à Christo ædificatam præualerent, quando Ecclesiam prorsus abolerent; ita vt non esset talis cœtus in mundo, qui Christum ritè profiteretur, Sacramenta ab ipso instituta vsurparet, potestate ab ipso tradita regeretur. Atqui non solùm portæ inferi non præualebunt, vt electi non profiteantur Christi fidem in mundo, sed etiam ij qui electi non sunt: semper enim in Ecclesia sunt boni & mali, qui tamen communem Christi fidem cófitentur, communia Sacramenta suscipiunt, & potestate Ecclesiastica vel funguntur, vel ei subiecti sunt. Nulla igitur est ratio, vt ad solos electos ea promissio restringatur. sed sicut omnia, quæ Christus in Ecclesia instituit, communia reprobis ac electis sunt: ita & Ecclesia quam Christus instituit communis est electis æquè ac reprobis. Nam quamuis reprobi qui sunt in Ecclesia salutem in altera vita non consequantur: in hac tamen vita, omnia habent quæ Christus in Ecclesia huius temporis instituit, neq; hoc illis vnquam portæ inferi auferre possunt.

Quartus locus *Ioan. 10. 27. Oues meæ vocem meam audiunt. Et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Has oues esse solùm electos ait Zaborouius; nam reprobos, inquit, Diabolus rapit de manu Christi. Verùm hic locus de electis quidem ouibus intelligendus est, quæ peculiari ratione dicútur oues Christi, quia in æternú sunt futuræ oues Christi: in eo tamen nihil dicitur, an hæ oues electæ, constituant peculiarem Ecclesiam & distinctam ab ea in qua sunt reprobi. quod Zaborouio erat probandum. Neque enim

Zaborouius extra scopum iaculatur.

quia sunt peculiares oues, peculiarem Ecclesiam sibi necessariò vendicant: cùm in eodem grege & ouili, varij ordines ouium esse possint, sub vno regimine vnius pastoris. Quocirca & oues electæ cum ouibus reprobis ad eandem Ecclesiam pertinent: cùm ab eisdem Pastoribus pascantur, & ijsdem Sacramentis, & in ijsdem cætibus & conuentibus. Porrò sicut electi dicuntur peculiariter oues Christi, propter electionem, quia in æternum oues sunt futuræ, ita omnes fideles, qui Christi fidem profitentur, dicuntur generaliter oues Christi. vt cùm Petro Christus dixit: *Pasce oues meas*. nomine ouium, omnes qui in ipsum credunt intelligens, nullo discrimine inter electos ac reprobos habito. Cùm igitur electi sint quidem oues peculiares, sed in eodem ouili cùm reprobis, ad eandem quoq; Ecclesiam ad quam & reprobi pertinebunt.

Ioan. 21.17.

Quintus locus est *Apocal. 13. 8. Et adorauerunt bestiam omnes, quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ.* Hic, inquit, locus prædestinatorum Ecclesiam euincit, teste Ribera, qui ita scribit hunc in locum: quibus verbis ostenditur Ecclesiam tempore Antichristi constare tantùm ex prædestinatis. Hæc Zaborouius. Verùm inprimis falsum more suo affingit Riberæ Zabor. Nulla enim talia verba qualia ipse citat, in Ribera inueniuntur de Ecclesia electorum. Quocirca hîc quoq; falsi reus conuincitur Zaborou.

Falsificator Zaborouius.

Deinde esto: at non hoc probandum erat Zabor. an Ecclesia in aliquo casu, & ex aliquo accidenti, possit constare solis prædestinatis: sed an Ecclesia Christi per se id requirat, vt solis electis constet. hic enim est status quæstionis nostræ. Nam Ecclesiam Christi in cœlo concedimus constare solis prædestinatis: in fine etiam mundi, postquam reprobi omnes ab Ecclesia se separauerint, ex accidenti non remanebunt in Ecclesia nisi electi; cùm tamen ante separationem reprobi cum electis ad eandem pertinerent Ecclesiam. Præterea, etiamsi tunc ex solis electis Ecclesia est futura: non erit tamen Ecclesia inuisibilis, sed visibilis. tunc enim scientur certò & videbuntur omnes electi: cùm Scriptura testetur illos esse electos. Nihil igitur iuuat illorum Ecclesiam inuisibilem, Ecclesia quæ tunc erit electorum: siquidem erit tunc maximè visibilis, & externa ratione fidem Christi maximè profitebitur.

Extremis temporibus Ecclesia electorum, visibilis tamen.

Ex quibus omnibus liquidò constat, testimonia Scripturæ à Zaborouio producta, nihil momenti ad probandum Ecclesiam electorum, quæ sit distincta ab ea, in qua reprobi quoque sunt, habere. verissimumq; esse, Ecclesiam electorum, cuius aliquando meminerunt Patres, esse illam quæ est ipsis cum reprobis communis, & dicitur electorum. quatenus ea electos quoq; continet; verùm id est de Ecclesia loqui, secundùm vnam duntaxat eius partem.

à potiori parte interdum Ecclesia denominatur electorum.

CAPVT.

CAPVT X.

Nouos Euangelicos Ministros non esse Catholicæ Ecclesiæ Ministros, ac proinde pseudoministros esse.

NIhil ita confundit Euangelicos, quàm quòd ad eam Ecclesiam quæ Catholica est, non pertineant. Omnes enim quotquot Christiani sumus, in Symbolo Apostolorum Sanctam Ecclesiam Catholicam confitemur: neque solùm confitemur fuisse aliquando Catholicam, sed & fuisse & esse, & ad finem vsq; mundi, futuram esse: semper enim in symbolo credimus & confitemur Ecclesiam Catholicam. Porrò Ecclesiam esse Catholicam seu vniuersalem nil aliud est, quàm in vniuerso mundo & semper esse, vt sit vniuersalis, tam ratione omnium locorum, quàm ratione omnium temporum. id namq; Ecclesiæ & in Scripturis promissum est: & Sancti Patres eo sensu declarant Ecclesiam dici Catholicam, vti & Zaborouius ipse Augustinum id ita exponentem paulò ante citauit. Etenim *Psalmo 2. 8. Termini hæreditatis Christi*, non alij assignantur quàm termini terræ. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Neque verò hæc hæreditas in compensationem acerbissimorum illius cruciatuum & mortis illi donata, ad modicum tempus durare debuit, sed perpetuò & semper. Est enim hæc hæreditas regnum ipsius, in quo *regnabit in æternum, & regni eius non erit finis. Luc. 1.* Similiter *Luc. 24. 46.* dicitur. *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma.* Neque verò semel ea prædicatio institui debet, ijs tantùm gentibus quæ tempore Christi fuerunt: cùm Christus non pro ijs tàtùm, quæ tunc fuerant gentibus, passus fuerit, sed vniuersè pro omnibus omniũ seculorum ad finem vsq; mũdi gentibus. Omnibus igitur gentibus ad finem vsque mundi prædicari debet pœnitentia & remissio peccatorum: & sic in omnibus gentibus semper vigere & fructificare debet fides & Ecclesia Catholica. Vtrumq; verò hoc argumentum passim vrget Augustinus contra sui temporis hæreticos, præsertim in *libro de vnitate Ecclesiæ cap. 3. 6. 7. 8. 9.* vbi ostendit in Scripturis; hac veluti propria nota designatam esse Christi Ecclesiam, ne in illa dignoscenda errare possimus: quòd nimirum sit in

Quid sit Ecclesiã esse Catholicam.

omnibus gentibus & vbiq;. quod vti in nullam hæresim cadit, quæ vel nunquam vel non semper esse potest Catholica: ita solius Ecclesiæ Christi hæc propria nota est. ea enim semper est in vniuerso mundo & Catholica.

Zaborouij temporaria Ecclesia refutatur. Tempore Apostolorum ait Zabor. Ecclesiam fuisse in toto mundo, non verò deinceps ob persecutiones. Si ita est: Non semper igitur Ecclesia Christi est Catholica. non semper symbolum Apostolorum credendum nobis est, in quo habetur *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*, aboleaturq; ille
1. articulus ex symbolo tanquam inutilis & falsus, & dicatur solum ad Apo-
2. stolorum tempora pertinuisse. Deinde *ex Psal: 2.* & *Luc: 24.* ostenditur, Ecclesiam non semel tantùm Catholicam seu vniuersalem fuisse, sed ad finem vsque mundi talem esse debuisse. alioqui concedendum esset, Christi hæreditatem & regnum terminis totius terræ circumscriptum corruisse & interijsse, & compensationem Christo ob mortem ipsius factam, in nihilum recidisse, Christumque suam hæreditatem (hoc est omnes gentes) quæ tanto illi constitit, neglexisse & abiecisse, & Dominum vniuersæ terræ esse desijsse, contra vaticinia Prophetarum: promissionum etiam suarum, quas Ecclesiæ fecerat, de sua præsentia & protectione in æternum, & portis inferi nunquam præualituris, oblitum esse: fidem datam sponsæ suæ de ea diligenda, conseruanda, defendenda violasse. & sexcenta talia, quæ nonnisi absurdè concedi possunt.

3. Falsum verò est, Ecclesiam ob persecutiones, in eas angustias redactam esse, vt in orbe vniuerso & Catholica esse desierit. Quæ enim persecutiones maiores cogitari possunt, quàm eæ, quæ tempore Apostolorum, & primis tribus seculis fuerunt? conspirante toto mundo aduersum Catholicã fidem; Gentilibus, Iudæis, Hæreticis, Regibus, & Imperatoribus potentissimis. eæ tamen non fecerunt, vt fides Christi in toto mundo sileret, aut non annuntiaretur; sed licet in omnibus locis opprimeretur, in omnibus tamen locis fructificabat & crescebat. *Persecutionibus creuit potiùs Ecclesia, quàm diminuta.*

Augustinum porrò ita interpretatur Zabor. quòd contra Donatistas agat, qui Ecclesiam vno loco, hoc est Africa, includebant. quod Euangelicis ait non officere. putat enim suam Ecclesiam æquè esse diffusam per totum mundum ac nostram, quod ait satis patere ex inquisitione. Sed peruertit Augustinum Zabor. Hic enim omnes hæreses eo argumento insectatur, eas idcirco veritatem non habere, quod Catholicæ non sint, nec vbique fructificent. esseq; id soli Ecclesiæ Christi proprium vt vbiq; sit, ita vt nulli hæresi id competere possit. Neque verò Donatistæ ita Ecclesiam Africa includebant, vt eam vel nollent esse in toto mundo, vel non posse esse affirmarent: sed quod de facto illam non esse extra Africam concederent. quod cùm

Augustinus

Augustinus contendit esse hæreticæ Ecclesiæ notam; an non omnes hæreses vno ictu iugulat, quas vbique non esse, nec fuisse luce ipsa clarius est?

Ait quidem Zaborouius, Ecclesiam Euangelicam tā latè diffusam esse, vti nostram: at quis tam incredibilia dicenti fidem adhibebit? Nam sæculis præteritis constat eam non solùm in toto terrarum orbe non fuisse, sed etiam nullibi fuisse. quod enim in aliqua orbis parte aliquando fuerit, nulla extant documenta & testimonia. Præsenti vero seculo, quot sunt Prouinciæ amplissimæ & Regna, non solùm apud gentiles, quas nec adierunt, nec suo Euangelio informârunt Euangelici, sed apud ipsos Christianos, in quibus nullū religionis suæ cætum aut Ecclesiam fundârunt vnquam, neq; multitudinem aliquam ad Christum conuerterunt: cuius rei testis est Hispania & Lusitania. Neque enim satis est, quòd aliquis forte Luteranus quocunq; modo ibi fuerit: sed necesse est, vt Ecclesiam ibi fundauerit, ad eum modum, quo Ecclesia Catholica est in toto mundo.

Euangelici nuperi, nec vbique gentium.

At inquit: Inquisitionem testem esse, quòd Euangelicis istic palam cōfiteri fidem non liceat. Sed audi Zaboroui. Inprimis inquisitio Hispanica tam accurata est, vt non latere ibi vestros Luteranos, sed non esse indicet: si enim essent, latere diu non possent. Deinde vera Ecclesia nullam inquisitionem, nulla pericula metuit, quominus eam fidem, quam corde credit ad iustitiam, ore quoque confiteatur ad salutem: alioqui si Christum erubescat coram hominibus, eam quoque Christus erubescet coram Patre suo. Anne Gentiles, Iudæi, Hæretici, non in omni crudelitatis genere inquisierunt in Catholicos? neque tamen efficere potuerunt; vt vel fidem abnegarent, vel non profiterentur, & multos ad fidem conuerterent. Quid crudelius vestra Anglia? in qua tanta crudelitate sæuitur in Catholicos! & tamen tanta ibi Catholicorum suam religionem exercentiū est copia; vt vel pares numero, vel certè non admodum impares cæteris esse credantur. Quid in Indijs? in Iaponia? in Sinis? At vestrum delicatum Euāgelium ad martyrium non properat, neq; proprium sanguinem, sed alienum pro fide Christi fundere nouit. Si igitur inquisitionis metu multas Prouincias vel non aditis, vel religionem vestram istic annuntiare non audetis: qui dicere potestis, vestram Ecclesiam in omnibus mundi partibus diffusam esse?

Inquisitio, non latere, sed non esse in Hispania sectanos demonstrat.

vera Ecclesia nullas inquisitiones timet.

Neque nobis obijcere iure potestis, nostros quoq; persecutionum tempore latebris se abdere. Nam vt supra dictum est, licet ipsi secundùm Christi consilium lateant; fides tamen eorum non latet, sed in ipsis latebris dilatatur & fructificat. Testis est vestra Anglia, in qua tot millia Catholicorum sunt, nonnisi à latentibus Sacerdotibus, vel conuersa ad fidem, vel conseruata. Denique addo, cùm vestra secta Euangelica in tot sectas secum pu-

Fides vera ex ipsis latebris resplendet.

gnantes

gnantes in grauissimis de religione quæstionibus, & se inuicem excludentes, dissecta sit (nullum enim maius quàm Luteranorum & Caluinianorũ dissidium cogitari potest) nullam ex istis sectis totum orbem persuasisse, & suas vbique synagogas fundasse, magis perspicuum est, quàm vt probari debeat. Væ enim illis, si in ditione Regis Hispaniarum, quæ magnam mundi partem, hoc est Indias tam Orientis quàm Oacidentis complectitur, cum sua fide comparuerint. frustraq; Zaborouius sperat, Deum in illis partibus aliquando liberum pietatis exercitium Luteranis concessurum. Nam neque vos vestriq; similes vnquam hoc honore dignatus est Deus, vt aliquam gentilium Prouinciam ad Christum conuerteritis: neque tantum animi ex vestra fide habetis, vt cùm extremo vitæ periculo & sanguinis vestri profusione, Euangelij lumen inferre velitis.

Sectarij nullis gentibus fidei lumen intulerunt. solos Catholicos corruperunt.

Sed vrget Zabor. Mornæi argumentum, quo probat, amplitudinem, Ecclesiæ notam essentialem non esse. At quis essentialem affirmat? Nam neq; quãtitas rei atq; diffusio ad essentiã rei pertinet: neq; Ecclesia si in vno tãtùm loco esset, vlla re ad essentiam pertinente careret. eandem siquidem essentiã Ecclesia habet in vno loco, quàm vbiq; & in omnibus locis; & omnes Ecclesiæ particulares, sunt in ratione essentiali Ecclesiæ sibi similes. Amplitudinem igitur & diffusionem Ecclesiæ per totum mundum, nos non ex essentia Ecclesiæ desumimus: sed ex priuilegio & promissione Christi, quam & in Sctipturis expressam habemus, & in Symbolo Apostolorum confitemur.

Amplitudo si non essentialis illustris tamen Ecclesiæ nota.

Inquit, non esse talem notam, quæ ab Ecclesia separari non possit, quia & ab initio Ecclesia fuit pusilus grex: & in fine tanta paucitas credentium erit, vt Filius hominis in mundo vix possit inuenire fidem.

Verùm à nobis ita responsum est. nos eam amplitudinem Ecclesiæ tribuere, quam primò ab Apostolis accepit, & ad finem vsq; mundi retentura est. Ab initio igitur Ecclesia pusillus tantùm grex erat, & in vno tantùm loco, id est Hierosolymis; sed inde propagata est in omnes gentes *Luc. 24.* Tunc autem erat vera Ecclesia: quia talis erat, quæ illico debebat esse vbiq; & semper vbique; ita vt hæc nota non sit ab Ecclesia separabilis, vsque ad finem mundi. In fine verò mundi, redigetur quidem in magnas angustias ab Antichristo: sed hæ ipsæ angustiæ prædicuntur in Scriptura, vt qualis amplitudo Ecclesiæ esset tunc futura non nesciremus. Extra illud autem tempus, Ecclesiæ amplitudo tanta semper esse debuit, vt semper Catholica & per totum mundum diffusa iure dici possit,

& inseparabilis.

Porrò quum opponit Zaborouius statum Ecclesiæ, Ariana hæresi mundum inficiente, talem non fuisse: nam & Ariani persequendo Ecclesiam libertatem religionis impediebant, & Catholici latibula quærebant, & plurimos non

neq; extincta tenebris Arianis.

mos non solùm ex plebe, sed etiam ex Episcopis ad suam sectam pertrahebant. Ad ista respondeo. Similia omnia, imò maiora facta esse Christianis, Apostolorum tempore, & primis illis tribus seculis: neq; tamen idcirco Ecclesia tunc non erat Catholica, aut sua caruit amplitudine. Fremente enim toto mundo, in toto mundo Christus colebatur, & eius fides amplificabatur, etiam in latebris, & etiam in perpetuis illis persequutionibus.

Quæ claritas, inquit, & amplitudo Ecclesiæ, pijs in speluncis latentibus? Maxima verò. quia & virtus eorum summa eminebat, qui in persequutionibus omnia potiùs relinquere, quàm fidem periculo exponere malebant: & fides etiam numero credentium amplificabatur, qui quanto magis opprimebantur, tantò magis crescebant, & quantò plures occidebantur, tantò plures multiplicabantur, ex sanguine Martyrum quasi ex fœcundissimo semine progeniti. *Sanguinem enim Martyrum, semen esse Christianorum.* rectè dixit sanctus Leo. *quin magis magisq; effulsit.*

Decipitur verò Zaborouius, cùm existimat amplitudinem Ecclesiæ, de qua loquimur, in numero maiori credentium consistere. Hoc enim falsum esse, vel ipsa Apostolorum tempora docent, quibus Ecclesiæ amplitudo tanta fuit, vt per totum orbem terræ esset diffusa: neque tamen numero fideliũ superabat numerum infidelium; imò longissimè ab eo distabat. Consistit igitur ea amplitudo in hoc, quod Christus in toto mundo colatur, & fides eius in omnibus mundi partibus annuntietur ac celebretur. Et quamuis in numero credentium non semper superior existat: id tamen non obstat; quominus vbique sit & vbique diffusa credatur, & claritas quæ illi tunc deest de numero, virtute singulari credentium compensetur, sicuti & temporibus Apostolorum. *si minus numero; at virtute.*

Quocirca Ariani numerum quidem Catholicorum restrinxerunt, pluribus ad suam hæresim pertractis: non tamen effecerunt, quominus Catholica fides in toto mundo celebraretur. quod vel ipse eorum persecutiones indicant. Si enim vbique & semper Catholici non fuissent, proculdubio non habuissent quos vbique & semper persequerentur. qui etiam in persecutionibus tantò gloriosiùs fidem suam profitebantur, quantò gloriosiùs est sanguine & vita, quàm ore & verbis fidem Christi profiteri.

Quod verò de suis temporibus Hieronymus scribit, ingemuisse totum orbem, & se Arianum esse miratum: id neq; ita accipiendum est, vt absolutè totus omnino orbis intelligatur, sed Episcopi illi qui ex toto orbe Ariminum conuenerant, neque de proprio Arianismo, sed quòd subscripsisse Arianismo viderentur, cùm ad tollendam vocem ὁμοούσιον decepti ab Arianis subscripserunt. Nunquam enim antiquam de Trinitate fidem mutârunt *De vocula nõ de fide suppressa ingemuit orbis.*

licet voce ὁμοούσιον propter bonum vti præferebatur pacis, non vtendum interim censuerint.

Non refert, inquit Zaborou. quòd multi Catholici tunc essent partim Confessores, partim Martyres: erant enim in speluncis latentes, quos Ariani vi externa & pluralitate longè superabant. Imò verò Zaboroui, refert plurimū ad demonstrandū, toto orbe terrarū tūc diffusam fuisse Ecclesiā Catholicam quam Ariani ex toto mundo nulla vi abolere poterant, etiamsi potentia & pluralitate superarent. Non enim Ecclesia dicitur Catholica, propter pluralitatem credentium: sed propter vniuersitatem locorum, in quibus toto mundo existit. Neque refert, quòd illo tempore in speluncis laterent; tum quia etiam extra speluncas prodibant ad Martyrium & carceres: tum quia Ecclesia etiam in speluncis est Ecclesia; non enim à loco sed à Christo suam dignitatem & essentiam accipit: tum quia etiam Apostolorum tempore in speluncis illo modo erat Ecclesia, erat tamen vera & Catholica Ecclesia.

Ecclesia dicitur Catholica, non tam à multitudine credentium quàm ab vniuersitate locorum.

Iam quod ex Mornæo probat, amplitudinem non esse notam propriā Ecclesiæ, quia in medio Ecclesiæ, Gentiles Christianos, Ariani Orthodoxos multitudine facilè superârunt: id inquam simili ratione refellitur. Nam ea amplitudo, à qua Ecclesia denominatur Catholica, non in multitudine & numero credentium constituta est, sed vti dictum est, in vniuersitate locorum, quam nec Ariani, nec alij vlli Hæretici, teste Augustino, habuerunt aut habere possunt. Quod quia non intellexit Zaborouius, cum vmbra sua pugnat, cùm numerum & multitudinem credentium non semper esse in Ecclesia maiorem quàm non credentium ostendit.

Frustra verò iactat se suosq; Ecclesiæ Catholicæ Ministros esse, quòd sint Ministri eius Ecclesiæ, quæ fuit Catholica Apostolorum tempore, & postea ab Antichristo in angustum redacta, demum per Luterum in lucem educta.

Falsò Hæretici se ad Apostolos referunt.

Nam inprimis Zaborouius assumit id quod est probandum, & quod illi nemo præter suos concedit. Falsissimum enim id esse, quòd Euangelici ad Apostolorum Ecclesiam pertineant, totus mundus asserit, nec illi, nisi communi Hæreticorum more, qui omnes ad Apostolos se referunt,
1. probant. Reclamat autem vniuersa Antiquitas, quæ Apostolicam fidem ab
2. Apostolis ipsis acceptam, ad nostra vsq; tempora successionum serie propagauit. Deinde Apostolicam fidem credimus semper esse Catholicam, id est toto orbe diffusam, vti supra ostendimus. Atqui Luterana & Caluiniana fides, ante Luteri tempora non erat Catholica, quia nullibi in mundo erat omnibus anteactis seculis; non igitur erat Catholica. Scimus enim ante Luterum, non fuisse in mundo nisi has Religiones, Paganismum, Mahometismum,

simum, Iudaismum, Græcismum, Nestorianismum, Hussitarum hæresim, & Religionem Romanam. Ad nullam vero harum Luteranismus pertinuit.

Ait quidem Zaborouius Luteri Ecclesiam semper fuisse Catholicam: quia, inquit, secundùm Cyrillum *Catechesi 18.* Ecclesia dicitur Catholica, quia docet Catholicè & perfectè omnia dogmata. Sed quid hoc est, nisi verba in ventum fundere? Nam vt cætera taceam, ante Luteri tempora, vbi docuerunt Luterani Catholicè & perfectè omnia dogmata? quia enim ante Luterum nec fuerunt, nec dogmata sua Catholice docuerunt, proculdubio tunc Catholici non fuerunt. Deinde si Catholice dogmata docere, est eo modo docere quo in orbe vniuerso docentur & semper docta fuerũt; quì audent Luterani affirmare se Catholice docere, cùm contra Catholicam totius orbis quæ fuit semper & est doctrinam doceant?

Addo posse quandoq; hæresim magnam orbis partem occupare: sed neque omnes partes orbis, neq; diu. Non omnes; quia vt rectè ait Augustinus in *lib. de Pastore cap. 8. Ecclesiam esse vbiq; & hæresim vbiq;, sed Ecclesiam esse vnam & eandem vbique, hæreses autem non easdem, sed diuersissimas esse vbiq;, & idcirco nullã illarũ esse vbiq;.* Non diu; statim enim omnis hæresis, vel per seipsam euanescit, cùm nullo solide fulciatur fundamento, vel in varias sectas dissecta seipsam iugulat. Vbi enim sunt plusquã ducentæ hæreses, quæ his mille sexcentis annis in mundo fuerunt? nullũ ipsarum vestigium, nisi in libris forte Catholicorum ipsas oppugnantium. *Euanuerunt sicut vapor ad modicum parens*, aut *nimbus qui a vento circumfertur*, aut *puluis quem proijcit ventus à facie terræ.*

Hæreses vbique sed non eædem.

nec diu.

Concludo igitur cum Diuo Hieronymo *in extremo Dialogo aduersus Luciferianos. Breuem*, inquit, *apertamq; animi mei sententiam proferam. In illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata in diem hanc durat.* Cùm verò nulla alia Ecclesia ab Apostolis ad nostra vsque tempora durauerit, nisi Catholica & Romana: consequens est in ea esse permanendum. in qua quia non permanent noui Euangelici, nec eius se ministros profitentur; veræ Ecclesiæ Ministri non sunt, sed pro pseudoministris iure habendi.

CAPVT XI.

Locus, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: à cauillationibus Zaborouij vindicatur, & noui Ministri Euan-

gelici, falsi Ministri esse conuincuntur, quòd non sint eius Ecclesiæ Ministri, quam Christus ædificauit super petram.

Petra Petrus CVm tanti res sit momenti Ecclesiam nosse, quippe cui omnes ita obedire tenentur, vt ni obediant, sint ipso Christi decreto sicut Ethnici & Publicani habendi: ne qua in ea cognoscenda dubitatio remaneret; Christus eam digito quasi demonstrauit, ostendens petram in qua eam ædificaturus erat, vt eam ibi quæreremus, vbi eam ipse ædificaret. Porrò petram, in qua ædificaturum se promittebat Ecclesiam, Apostolum Petrum ostendit. quem idcirco Petrum seu petram nominauit, quia super illum tanquam super petram erat ædificaturus Ecclesiam suam.

Non arrident hæc Zaborouio. Quatuor igitur solidis (vt ait) rationibus, Petrum non esse illam petram super quam Ecclesia ædificata est, ostendere conatur. Audiamus. 1. est. quia pugnat cum expressis Spiritus S.
1. verbis. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est CHRISTVS IESVS. *1. Cor. 3. 11.* Verùm si hæc Spiritus sancti verba intelligat de omni fundamento tam primario quam secundario: ipse Zaborouius pugnat cum expressis Spiritus S. verbis, qui præter fundamentum præcipuum ciuitatis illius cœlestis, ponit fundamenta secundaria duodecim, inscripta nominibus duodecim Apostolorum *Apocal. 21. 14.* quæ cùm in primario fundamento id est Christo fundata sint, non solùm illud non excludunt, sed etiam maximè includunt; cùm sine eo subsistere non possint, & nonnisi vt in eo fundantur, fundamenta sint. Si verò eum locum exponat, vti necessariò exponere debet de primario fundamento, quòd omnia etiam secundaria fundamenta sustentat, ipsum autem ab alio non sustentatur: sic seipsum euertit. falsum enim erit quod nobis obijcit, nos cum Spiritus sancti verbis pugnare, quòd fundamentum secundarium admittamus. Neque enim Spiritus S. negat alia fundamenta quæ sint secundaria; sed solùm negat aliud quòd sit primarium. sicq; prima eius ratio, non solùm solida non est, sed seipsam dissoluit.

Fundamentum vnũ & duodecim.

2. 2. ratio. Ecclesia in fundamento suo ædificari nequit, nisi fide. At fides fidelium in Petro recumbere nequit, *Maledictus enim qui confidit in homine.* Petrus ergo fidelium fundamentum esse non potest.

Quo pacto fide ædificetur Ecclesia. Hæc quoque ratio vanissima est. Nam vel probat Petrum non esse fundamentum primarium fidelium: & sic nos non ferit, qui Petrum fundamentum pri-

cum primarium non aſſerimus. vel probat nec primarium nec ſecundarium fundamentum dici poſſe: & ſic Scripturis repugnat, quæ ſecundaria fundamenta duodecim admittunt. Cùm igitur ea ratio fundamenta ſecundaria nõ euertat, nec noſtram aſſertionem euertit. In particulari autem reſpondeo. Eccleſiam ædificari quidem fide in ſuo fundamento; ſed aliter in primario, quàm in ſecundario. Nam in primario hoc eſt in Chriſto ita ædificatur, vt credat in ipſum: in ſecundario autem hoc eſt in Petro & Apoſtolis, non eo modo fundatur, ſed ſolùm ratione doctrinæ, quia docetur ab eis, & inſtruitur in fide atq; in ea confirmatur. Hoc autem non eſt fidem recumbere primariò in Apoſtolis, cùm ipſi non ſint primarij Authores fidei, quippe à primariò conſtituti: ſed eſt ſecundariò recumbere: tanquam in veris Doctoribus & aſſertoribus infallibilibus Fidei. Nemo enim negare poteſt, in doctrina Apoſtolorum fidem Eccleſiæ recumbere ſecundariò: quemadmodum in Chriſto tanquam in primo Auctore fidei primariò recumbit. Ineptè verò adducit Zaborouius teſtimonium de eo qui confidit in homine. Tum quia aliud eſt credere, aliud confidere: Fides enim & ſpes diuerſæ ſunt virtutes. tum quia nos non eo ſenſu dicimus, Eccleſiam fundari in Apoſtolis, quòd credat in ipſos & confidat primariò in ipſis: ſed quod ab ipſis fidem doceatur, & in ea confirmetur.

in fundamento primario differenter quàm in ſecundario.

3. ratio. Eccleſia in eodem fundatur, in quo creſcit. At in Chriſto *omnis ædificatio conſtructa creſcit.* Ergo ſolus Chriſtus eſt fundamentum. Sed eadem diſtinctione primarij & ſecundarij fundamenti diſſoluitur hæc ratio. Quis enim neget ædificium omne non ſolùm in primario fundamento conſtrui & creſcere, ſed in alijs quoq; ſecundarijs fundamentis in primariò conſtitutis? Pari igitur ratione, in Chriſto tanquam in primario fundamento creſcit Eccleſia: in Petro autem & alijs Apoſtolis tanquam in ſecundarijs fundamentis. 3.

4. ratio. Imbecille fundamentum Eccleſia haberet. mox enim Petro dictũ eſt, *vade poſt me ſatana.* At magis imbecilla eſt ratio Zaborouij, cùm Apoſtolos imbecilla fundamenta arguit. Etſi enim quà homines, imbecilles fuerint: tamen qua Spiritu S. à Chriſto confirmati ſunt, minimè. niſi ipſi Spiritui S. imbecillitas tribuatur. *Infirma enim mũdi elegit Deus, vt confundat fortia.* Petro verò dictũ eſt, *vade poſt me ſatana:* cùm imbecillis adhuc eſſet, necdum fundamentum Eccleſiæ conſtitutus (hoc enim nonniſi poſt Reſurrectionem poſtea factum eſt illis verbis, *Paſce oues meas.*) & nondum etiam Spiritu S. qui die Pentecoſtes datus eſt, erat confirmatus. vt vel ex eo pateret, quid Petrus ex ſe haberet, quid ex Chriſto & Spiritu S. En Zaboroui tuas illas ſolidas rationes, quæ vnica diſtinctione primarij & ſecundarij fundamenti,

4. *Imbecillitati Petri robur à Spiritu S.*

menti, totæ prorsus euanuerunt. quam distinctionem si tu non præuidisti, hospes es in libris Doctorum: si præuidisti, nihil aliud quàm fumum dedisti. At quid faceres, qui solidiora quæ afferres non habebas?

Ipsum etymō Petri conuincit pro veritate.

Multò solidior imò inuicta est illa nostra ratio, qua doceo, vocem Petrus idem significare quod petra, ex eoque infero idcirco dictum esse Petrum, quod verè petra esset. Quid tu ad hæc? An non aqua tibi hæret? Nam negare non potes, vocem πετρος Græcis non aliud significare quàm petram. alioquin conuincent te ruditatis, quotquot vel primis labris Græca degustarunt. Conuincet te Caluinus tuus in hunc locum, qui ait has voces idem significare; nisi quod πετρος Atticè πετρα communiter dicatur. Conuincet & Beza in hunc locum, cùm ait Petrum & Petram apud Græcos nō re, sed terminatione differre. licet is mysterium nescio quod vna tecum in terminationis discrimine agnoscat. At mysterium reuera nullum est. Nam nec in Syriaca lingua qua Christus locutus est, nec in lingua Hebræa, qua Matthæus conscripsit Euangelium, vllum discrimen in terminatione inuenitur: sed eadem planè vox & eodem modo terminata habetur vtrobique. quare mysterium illud, quod in Græcis vocibus ex diuersa terminatione astruitur, affictum planè censeri debet: cùm Græcæ voces ex Syriacis & Hebreis conuersæ sint; in quibus cùm nullum tale discrimen est, nullum etiam ex discrimine mysterium cogitari potest. Non igitur ob diuersam terminationem Petrus à Petra distingui debet: quia terminatio illa diuersa non facit significationem diuersam, sed tantùm Dialectum diuersam: ac proinde non facit Petrum non esse Petram, cum hæc sit eius primaria significatio, tantundemq; sit dici Petrum sicut dici Petram.

Quid interpres Matth: spectarit mutado genere.

Quòd verò non Matthæus (vt opinatur Zaborouius) sed interpres Matthæi, Euangelium Matthæi ex Hebraico in Græcum conuertens, vsus sit illa diuersa terminatione: hoc non ideo fecit, vt aliò referret Petrum aliò Petram. id enim nec Hebraicæ nec Syriacæ voces patiebantur, quas ille fideliter reddere volebat; imò nec pronomen illud *Hanc* petram, quod supra nominatam Petram demonstrat, nominata autem erat petra in Petro, Petrus enim idem est quod Petra, ita vt per *Hanc* Petram non aliam nisi quæ Petrus erat intelligi oporteat. Fecit igitur hoc discrimen, vt Petrus esse illa petra supra quam ædificanda erat Ecclesia intelligeretur. & quòd idcirco nomine Petri insignitus esset, quia petra Ecclesiæ futurus esset. Poterat quidem sine hac vocum differentia conuertere, dicendo vel *Tu es Petra & super hāc Petram ædificabo:* vel *Tu es Petrus & super hunc Petrum:* & tunc dubium non esset, eandem Petram vtrobiq; nominari. placuit tamen variare terminationem: quòd & masculina terminatio personæ Petri magis esset accommodata,

modata, & fæminina petræ fundamentali; ita vt idem Petrus, & respectu suæ personæ masculina terminatione appellandus sit, & respectu ædificij Ecclesiæ fæminina. Id ita haberi, vel ex eo intelligi potest. quia si nomen Petri & Petræ in alias linguas conuertatur, eadem vtriq; vox omnino respondebit: Latine *saxum* vel rupes, Syriacè *Cephas*, Hebr: סלע Polonice *Opoká*, nam *Piotr* ex Græca Petri voce nominatur. Porrò si eadem vox vtrobique esset: non esset dubium Petrum Petram appellari. Non igitur in Græcis etiam vocibus debet esse dubiũ: quæ proculdubio Hebraicis & Syriacis vocibus respondere, & ad illarum rationem intelligi & accommodari debent.

Zabor. Grammatica elementa docendus.

Quare cùm Zaborouius ait, in Latina lingua Petri nomen semper esse proprium, petræ appellatiuum: non aduertit istas voces in linguam Latinã à Græcis esse aduocatas & mutuatas. quocirca sicut apud Græcos vtraq; vox est per se appellatiua, & per se appellatiuam seu communem multis significationem habet: ita & apud Latinos vox *Petrus*, est per se & ratione suæ immediatæ significationis appellatiua, solùmq; ex accidenti propria, quatenus imponitur mediante sua significatione ad vnam solam personam Petri designandam. Proprium enim nomen apud Latinos, aliud est per se proprium, nempe quod ratione suæ immediatæ significationis vni tantùm competit, vt Plato, Socrates: aliud verò per se appellatiuum & ex accidenti proprium, quod nimirum habet per se significationem appellatiuam & communem multis, propter peculiarem tamen impositionem tribuitur vni soli. & hoc modo Petri nomen est proprium: per se enim habet significationem appellatiuam & communem multis, nam significat etiam saxum: ob peculiarem tamen Christi institutionem, ad Petri solius personam designandam impositum est. Verùm quæ hoc modo sunt propria, non perdunt suam immediatam significationem, sed cùm ea tribuuntur vni soli & fiunt eius propria. Quapropter & Petrus cùm immediatè significat petram seu saxum, cum hac significatione conuenit Petro, & ei suam significationem impertit; ita vt ideo Petrus dicatur, quia est verè petra. Quod etiam exemplo non multùm dissimili Fabij Consulis Romani explicari potest. qui cùm à faba nomen acceperit; rectè quis diceret, Tu es Fabius & ex hac faba multũ vtilitatis capiet Resp. Romana. vbi proculdubio non intelligeremus, aliã fabã ab ipso Fabio diuersam, sed quæ ipsi Fabio conuenit: idemque esset dicere, ex hac Faba, & ex te Fabi vtilitatem Resp. est captura. Nam quod ex ingenio & ex sapientia alicuius capitur, ex ipso dicitur capi: ingenium enim ipsius & sapientia, in ipso est. Multò maiore ergo ratione cùm dicitur, *Tu es Petrus: & super hanc petram &c.* ad illam Petram referri debet, quæ Petro cõuenit & Petri nomine significatur. idemque erit, super hanc petram quæ Pe-

tro con-

tró conuenit ædificari Ecclesiam, & super Petrum ipsum ædificari Ecclesiā: Petrus enim petram significat.

Quæ cùm ita sint, meritò asserui in NODO GORDIO turpissimè eos errare, qui Petrum quasi Petreum denominatiuè à petra dictum interpretantur. Constat enim clarissimè vocem Græcam πέτρος primitiuam non deriuatiuam significationem habere, æquè ac vox πέτρα, & petram non petreū significare. Qui error cùm Grammaticus sit, non potest nisi in rudem & linguarum ignarum cadere. Cùm verò objicit Zabor. aliquos Sanctos Patres Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, Basilium, Gregorium, qui aiunt Petrum à Christo vera Petra nomen accepisse: non valde ad rem mihi videtur loqui. Patres enim non loquuntur de deriuatione Grammatica, qua adiectiuum à substantiuo vel concretum ab abstracto deriuatur, qualis deriuatio esset Petrei à Petra. neq; enim Patres Petrum quasi Petreum interpretantur, sed esse ipsam Petram volunt, quæ tamen non ex se sit Petra, sed ex Christo. Ita Augustinus *serm. 15. de Sanctis. Petrum*, inquit, *fundamentum Ecclesiæ Dominus nominauit.* Ambrosius *serm. 47. Petrus*, inquit, *pro soliditate deuotionis Ecclesiarum Petra dicitur, sicut ait Dominus, Tu es Petrus.* Hieronymus *in cap. Matthæi 16. Secundùm Metaphoram petræ rectè dicitur ei, Ædificabo Ecclesiam meam super te.* Basilius *hom. de pœnit. Christus*, inquit, *Petra est, & Petram fecit: quæ sua sunt, largitur seruis suis.* Gregorius Magnus *lib. 6. epist. 37. Quis nesciat Sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam?* Loquuntur ergo dicti Patres de deriuatione reali quæ in eo posita est, quòd Petrus sit petra, non ex se sed ex Christo, qui suū nomen & dignitatem Petræ communicauit. quod vel ipsius Basilij verba planum faciunt. *Audierat*, inquit, *Petrus se esse petram, ita laudatus à Domino. Licet enim petra esset; non tamen petra erat, vt Christus: vt Petrus petra erat. Nam Christus verè est immobilis petra: Petrus verò propter petram. Axiomata enim sua* IESVS *largitur alijs.*

Zaborouius Patres ad ludum suum deducere vellet.

Hanc vero deriuationem nos nōn solùm non damnamus, sed libentissimè amplectimur. Verùm deriuatio hæc nil iuuat aduersarios. Nam Patres ita deriuant Petrum à Petra Christo; vt Petrum velint esse ipsam petrā, sed à Christo factam petram, & à Christo dependentem. Euangelici autem horrent Petrum petram nominari. Non igitur ea prorsus ratione Petrus dicitur à petra, qua ratione Lentulus à lente, à faba Fabius. ista enim sunt nomina deriuata à lente & faba: non sunt autem idem cum lente & faba. At Petrus non est propriè deriuatum à petra, sed est idem quod petra. & licet dependeat à Christo: tamen ita dependet vt petra à Petra, petra secundaria à Petra principali.

Significatione potiùs quā voce deriuatur Petrus à Petra.

Pergi

Pergit nihilominus Zaborouius dicere pertinacissimè Petrum non esse illam petram, super quam fundata est Ecclesia. Verùm conuincitur inprimis ex eo, quòd vti diximus Petrus dictus est Petrus, id est Petra: Petrus enim petram significat. cùm ergo additur, *Et super hanc petram*, de ea petra quæ immediate ante nominata fuit intelligendum est. Et sanè, si Christus dixisset, *Tu es petra, & super hanc petram ædificabo:* non esset dubium, vtrobique eandem Petram nominari. Cùm igitur Christus reuera ita locutus sit, non enim Græco sermone (in quo solo est ista variatio terminationis) sed Chaldaico aut Syriaco, aut Hebraico locutus est, in quo nulla est talis variatio, verùm eadem vox est vtrobiq;: consequens est nullum debere esse dubium, quin eadem petra vtrobiq; intelligenda sit: Græcaq; vocabula Petri & petræ ad eandem rationem accipi debent, qua accipiuntur Syriaca & Hebraica. Quod argumentum inuictum planè est, nec dissolui vnquam solidè ab aduersarijs potest. *Consecutione sermonis conuincitur Zaborouius Petrum esse petram.*

Deinde conuincitur etiam Zabor. ex illis verbis: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus.* ac si diceret, *Tu me Filium Dei confessus es, & ego vicissim tibi tuam excellentiam declaro, quia tu es Petrus seu petra, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* ita vt confessionem Petri, qui summam Christi excellentiam confessus est, vicissim confessione excellentiæ Petri Christus compenset. quæ excellentia in hoc consistit, quòd in ea tanquam in petra ædificanda erat Ecclesia. vti inter cæteros diuine expendit S. Leo in *serm. 3. in Anniuersario assumptionis suæ.* expendit & Basilius *serm. de Pœnitentia. Vicissim,* inquit, *audierat se esse petram. Axiomata namq; sua* IESVS *largitur alijs. Largitur autem ea non euacuatus, sed nihilominus habens. Lux est: vos estis lux mundi,* inquit. *Sacerdos est: & facit Sacerdotes. Petra est: & petram facit. Quæ sua sunt, largitur seruis suis.* *conuincit & verborum Domini ἀπόδοσις*

Accusat Zaborouius Leonem, quòd nimis prærogatiuas Petri efferat, vt sibi via ad dominium Ecclesiæ sterneretur. Sed hoc est calumniari sanctum Pontificem, non respondere. S. Basilius certè Romanus Pontifex non fuit, idem tamen quod S. Leo scriptum reliquit. Deinde respondet, ita excellentiam personæ indicari, vt maior ob quam in hæc verba Christus erupit ratio habeatur. At quis negat Christum rationem confessionis Petri habuisse? imò quia rationem confessionis Petri habuit, voluit eam sua quoque confessione vicissim compensare, confitendo Petrum esse petram & fundamentum Ecclesiæ. præter eam enim nulla alia excellentia Petri, nullum aliud elogium commemoratur: ita vt necesse sit dicere, aut nihil Petrum à Christo pro sua confessione retulisse: aut hanc singularem excellentiam retulisse, quòd fuerit nominatus Petra & fundamentum Ecclesiæ. *& ratio remunerationis excellentis confessionis.*

Item nomen ipsum Petri vni soli Apostolorum attributum.

Indicat hoc ipsum nomen Petri, quod idcirco soli Petro inter Apostolos impositum fuit à Christo, quia solus inter Apostolos singulari ratione futurus erat Petra & fundamentum Ecclesiæ. hocq; nominis mysterium Christus hoc loco indicauit: *Tu es*, inquit, *Petrus: super te enim tanquam supra petram ædificabo Ecclesiam meam.* Nam licet super alios quoq; Apostolos suo modo ædificaturus esset Ecclesiam, ijq; tunc præsentes adessent: soli tamen Petro id dixit, non alijs: ostendens singulari quodam modo in Petro ædificādam esse Ecclesiam: quod nimirum inter fundamentales lapides superpositos Christo, Petrus futurus esset primus post Christum & præcipuus lapis, & inter duodecim fundamenta primum & præcipuum fundamentum post Christum.

Zabor. in seipsum sua tela vertit.

Quocirca cùm ait Zaborouius solùm Petrum vocatum esse hoc nomine, quòd solus omnium nomine confessus erat Petram Ecclesiæ Christum: non aduertit quod seipsum euertat. Nam si Petrus omnium nomine confessus est Christum, & ratione confessionis dictus est petra; cùm ea confessio ad omnes æquè pertineret, nomen quoq; Petræ æquè ad omnes spectare debuisset, si esse petram nihil aliud sit, quàm confiteri fortiter Christum. Non igitur ea ratio fuisset sufficiens, ad nomen Petri soli Petro imponendum. Nā licet solus confessus sit; tamen nomine omnium, vt vult Zabor. confessus est, nec suam solùm, sed aliorum quoq; confessionem declarauit.

Analogia petræ ad ædificium.

Longè ergo melius Sancti Patres in ea proportione quam petra habet ad ædificium Ecclesiæ, fundant huius nominis mysterium: Christusq; ipse hoc mysterium explicat, Petrum respectu ædificij Ecclesiæ Petram vocans. quod soli illi singulari quadam ratione conuenit: quia inter petras & fundamenta Ecclesiæ, ipse post Christum est præcipua Petra.

conuincit & posterior clauium promissio.

Denique conuincunt idem sequentia verba: *Et tibi dabo claues regni cœlorum.* Eidem enim dicitur *Tibi dabo* & *Super hanc Petram ædificabo:* & sicut hoc in cōpensationem confessionis Petri promittitur, & ita illud. Deindè cùm idem sit ædificari super Petrum Ecclesiam, & accipere claues regni cœlorum: cui vnum promittitur, promittitur & alterum. Nam sicut claues principatum significant (penes principem enim ciuitatis aut familiæ solent esse claues ciuitatis vel domus) similiter & ædificari super aliquem Ecclesiam, principatum Ecclesiæ designat; ita vt Petrus qua ratione claues regni cœlorum sibi traditas habet, eadem ratione etiam fundamentum Ecclesiæ dici possit & debeat.

Respondet Zaborouius, Claues in Ecclesia non principatum, sed potestatem ligandi & soluendi peccata significare, quam licet in persona solius Petri Apostolis Christus promiserit; reipsa tamen omnibus æqualiter contulit: *Ac-*

rit: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata &c.* Sed hic triplex est lapsus Zaborouij. Primus cùm claues negat principatum significare: alter cùm potestatem clauium remissione & retentione peccatorum definit: demum cùm æqualiter omnibus Apostolis claues regni cœlorum collatas esse censet. *Ter impingit Zaborouius.*

1. Prior lapsus per se manifestus est. Agitur enim hic non de quibuscunq; clauibus, sed de clauibus regni cœlorũ. Clauem autem Regni principatũ designare, nemo qui vel leuiter in Scripturis versatus sit ignorare potest. Nulli enim in Scriptura clauis regni eiusmodi tribuitur, nisi ei qui in regno principatum habet. Sic apud Isaiam *cap. 22. 22.* dicitur: *Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.* vbi non est dubium, supremam in regno potestatem ac proinde principatum describi. vnde quod hic Isaias vocat clauem super humerum, in *cap. 9. 6.* vocat *principatum super humerum.* quia claues erant principatus signa. Eodem quoque sensu dicitur Christus *habere claues mortis & inferni*, id est dominium vitæ & mortis. *Apocal. 1. 18.* item *habere clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit. Apocal. 3. 7.* quod est supremæ potestatis. Hoc igitur sensu, Petro data est suprema clauium post Christum potestas: vt aperiat, & nemo claudat; claudat, & nemo aperiat: hoc est, quæ ligauerit, nemo soluat; quæ soluerit nemo ligare possit. Etenim claues regni, non quamcunq;, sed supremam duntaxat potestatem significant. Habent & alij claues, sed particulares, in hac vel illa Ecclesia particulari: Petrus verò habet claues vniuersales in regno cœlorum, in tota videlicet Ecclesia: & ideo supremam post Christum potestatem, atq; adeo potestatem cum principatu. Non dantur enim claues ciuitatis aut regni nisi Principibus, & in recognitionem principatus. quod etiam nostræ ciuitates, Regi cùm primò ciuitatem intrat obseruant. Neque vlli claues Regni aut ciuitatis leguntur vnquam datæ, nisi Principi aut in recognitionem principatus. Quocirca claues includunt quidem potestatem, sed cũ principatu coniunctam; ita vt claues multùm differant ab ea potestate, quæ est sine principatu, seu quæ non est suprema in Regno potestas. *Negat contra sacras Scripturas, claues significare principatum.*

2. Alter lapsus est Zaborouij: cùm potestatem clauium potestate remittendi vel retinendi peccata definit. Præter enim hanc est alia multiplex potestas in Ecclesia, quæ clauium potestate continetur: potestas nimirum ligãdi quodcunq; & soluendi, ad quã pertinet potestas excommunicandi, docendi, Sacramenta administrandi, & ea quæ ad rectum regimen & ordinem Ecclesiæ spectat, statuendi leges Ecclesiasticas & tollendi pro temporum varietate & necessitate, atq; omnia faciendi quæ ad rectam Ecclesiæ gubernationem *Claues ad solam potestatẽ remittendi & retinenda peccata restringit perperam.*

tionem pertinent. Quocirca Zaborouius nimis angustè clauium potestatem circumscripsit. Neque rectè asseruit claues absolutè datas esse omnibus Apostolis *Ioan. 20.* cùm quædam tantùm potestas clauium eo loco sit tributa illis, nempe potestas remittendi & retinendi peccata: vnde eo loco nulla clauium mentio fit. Neq; ij qui claues eo loco datas docent, absolutè de clauibus loquuntur: sed claues vocant potestatem quandam clauium. Clauium enim nomine, absolutè suprema & vniuersalis potestas ad Ecclesiæ regimen concessa intelligitur.

F. *quod vt probet Patres falsificat.* Cùm verò in contrarium citat Patres, non potest sui moris in falsificandis testimonijs obliuisci. Imponit enim Maldonato, quasi in illa verba *Matt. 16. Quodcunq; ligaueris &c.* ita scripserit: Quæ hic promissa sunt Petro, non illi solùm, sed omnibus etiam Apostolis, Episcopis, & Sacerdotibus competunt. O Zaboroui, nunquamne finem mentiendi facies? Nihil sanè tale scripsit eo in loco Maldonatus, imò contrarium ibi ex professo probat, docens illa quæ promissa sunt Petro, soli Petro promissa esse, nec Apostolis vnquam concessa.

3. *æqualiter datas claues omnibus Apostolis ait.* Tertius lapsus est, quòd æqualiter omnibus Apostolis potestatem concessam arbitretur, nullo inter Petrum & alios Apostolos discrimine. Id si in aliquo duntaxat sensu, quo SS. quoq; Patres loquuntur, diceret, bene diceret: at quia nullum discrimen inter Petrum & alios Apostolos admittere vult, turpiter errat. Licet enim in potestate Petrus par fuerit cæteris Apostolis, in modo tamen potestatis minimè. Nam eadem omnis potestas concessa est Petro & Apostolis: sed Petro vt capiti, & cum officio ac regimine ordinario cui succedi debuit: cæteris autem Apostolis tanquam legatis cum amplissima potestate à Christo missis; ita tamen, vt ijs in tam ampla & vniuersali in Ecclesiam potestate non succederetur. Explicat hanc suam & aliorum Sanctorum Patrum mentem Hieronymus, quem Zaborouius infideliter omissis postremis verbis, quæ contra ipsum faciunt, citauit. Is enim de hac re l. *in Iouinianum* sic scribit: *Licet super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio.* En quomodo Hieronym. ita parem in Apostolis potestatem agnoscit, vt tamen Petrum caput & Principem Apostolorum constitutum dicat, ad tollendam omnis schismatis occasionem. Hoc verò est quod nos quoque dicimus, soli Petro claues regni cœlorum à Christo collatas esse. quia in solo Petro fuit illa potestas cum principatu & regimine ordinario; ac proinde per modum clauium absolutè. per claues enim designatur principatus. in cæteris autem Apostolis, ea potestas cum principatu & regimine ordinario cui succederetur, non fuit; ideo non fuit

Modus potestatis Petro diuersus, vt pote capitis. F.

absolutè per modum clauium. Eaque ex causa, nusquam legimus claues regni cœlorum datas Apostolis, sed Petro. vti rectè in hunc locum notat Maldonatus. Nihil igitur plus potestatis habuit Petrus, quod non haberent alij Apostoli: sed cum eadem potestate ipse fuit caput & Princeps Apostolorum & Ecclesiæ; alij non item. quocirca eandem potestatem cum alijs habuit, & æqualiter & inæqualiter: æqualiter, ratione rei habitæ, cùm nihil potestatis habuerit ipse, quod non habuerint alij: inæqualiter, ratione modi habendi, quia habuit vt caput & Princeps, cæteri vt legati. ad eum modum, sicut si Papa mitteret 12. Episcopos ad conuertendam aliquam Prouinciam cum eadem prorsus potestate; vnum tamen præficeret alijs, & statueret propriũ & ordinarium Episcopum illius Prouinciæ, cui in officio Episcopali succederetur.

Quæ diuersitas in Petri potestate.

Porrò quod aduersarij maximè vereri se simulant, ne si Petrus sit petra, Christo iniuria irrogetur: vanus est is timor & absq; omni ratione. Nam si Petrum eo modo petram diceremus, quo petra dicitur Christus; proculdubio iniuria Christo inferretur. At cùm longè inferiori modo Petrum petrã dicimus: non maior Christo iniuria infertur, quàm cùm Apostoli & Prophetæ dicuntur fundamenta *Ephes.* 2. vel cùm à Christo nuncupantur lux mundi *Matth.* 5. vt enim Christo soli proprium est esse ex se fundamentum, & lucem mundi: ita participatione quadam in homines quoq; eadem conueniunt. *Largitur enim sua axiomata* IESVS *alijs.* vt ait Basilius *serm. de Pœn.* Et sicut soli Christo conuenit habere clauem Dauid; claues tamen regni sui tradidit Petro, communicatione quadam suæ potestatis: ita cùm ipse sit inuiolabilis petra, Petrum quoq; participatione sui petram fecit. vti D. Basilius, & D. Leo citati loquuntur.

Vanus aut simulatus aduersariorum timor.

Cùm verò distinctionem fundamenti principalis & secundarij commentum vocat Zaborouius, non videtur quod dicit intelligere. Quis enim tam stolidus est, qui præter fundamentum principale, aliud secundarium principali superpositum non admittat? hoc enim modo Apostoli & Prophetæ in Scripturis fundamenta appellantur, non primaria sed secundaria. Et cùm id ratione sufficienti refellere non posset; Chrysostomi verba more suo torquet dicentis: ita nos debere ædificari in Christo, vt nullum sit medium inter nos & Christum; cùm inter caput & corpus nulla possint esse media distantia *1. Corinth. homil. 8.* Verùm Chrysostomus non loquitur nisi de medio diuidente nos à Christo: tale enim medium, quia tollit vnionem nostram cum Christo, perniciosum est: sicut & medium diuidens corpus à capite perimit corpus. Non autem loquitur de medio vniente nos cum Christo: quale medium sunt Pastores Ecclesiæ & Petrus. Nam & inter caput ac corpus, medium est collum, caput cum corpore vniens.

Detortus à Zaborouio Chrysostomus.

Tandem insulsè respondet: prius probandum esse Petrum esse dictũ petram, tum agendum de modo, an sit primaria vel secundaria petra. Quid insulsiùs? Status enim quæstionis is est, an si Petrus dicatur petra, aliqua Christo iniuria irrogetur? ad quod declarandum, non opus est probare Petrum esse petram; sed supponere, & facta suppositione respondere, an ex eo sequatur aliqua in Christum iniuria. Nos igitur sequi negamus: eo quòd Petrus secundaria non primaria petra esse statuatur.

abutitur & Gregorio ac Beda.

Iam venio ad eas rationes, quibus probatum est à nobis nomine petræ hoc loco Christum non posse intelligi. vbi statim Zaborouius opponit Gregorium & Bedam docentes, Petram in singulari Christum designare, in plurali Apostolos vel alios fideles. At ijdem Doctores hoc loco petræ nomine Petrum non Christum intelligunt. Etenim non absolute hic petra nominatur; sed designatur & is cui conuenit esse petram, *Tu es Petrus*, & additur pronomen demonstratiuum *Et super hanc petram*: vt propter has & alias circumstantias, non possit petræ nomen aliò quàm ad Petrum referri. Quare doctrina illa admittenda est cùm hac conditione, nisi circumstantiæ aliud suadeant.

Petra Petrus hoc loco non Christus ratio 1.

Prima igitur ratio est. Pronomen *Hanc*, petram antè nominatam demonstrat. Christus autem non fuit ante nominatus petra sed Petrus, cùm Petrus idem quod petra significet. Non ergo Christus per hanc petram hoc in loco intelligi potest.

incongruè Grammaticatur Zabor.

Hic Zaborouius impertinenter probare conatur, articulum non semper ad proximum antecedens referri, sed aliquando ad remotius. hoc enim nemo negat, quando eam relationem contextus ipse verborum requirit. At nos hic aliud vrgemus: nempe *Hanc* petram virtute pronominis demõstratiui, non posse referri nisi ad petram ante nominatam. Cùm igitur Petrus fuerit antè nominatus petra, illis verbis *Tu es Petrus* (esse enim Petrum est esse petram) Christus verò nullo modo fuit nominatus petra: non poterit per *Hanc* petram Christus sed Petrus intelligi. Nam quod ait exponi debere *Hanc* petram quam tibi reuelauit Pater: ipsum per se ruit. Quia nec Pater Petro reuelauerat Christum esse petram, sed tantùm esse Filium Dei: nec Petrus confessus est Christum esse petram, sed tantùm Filium Dei viui. Non poterit igitur hæc petra ad Christum eo nomine referri. Licet enim Christus reuera sit petra: non tamen fuit antè nominatus petra, nec à Patre, nec à Petro; & solùm fuit nominatus sub ratione Christi & Filij Dei, non sub ratione petræ. Particula verò *Hanc*, petram antè nominatam demonstrat.

At, inquit, pronomen *Hanc* cùm sit fœmininum non posse ad Petrum cuius nomen masculinum est referri. Verùm in Syriaco & Hebræo vtrumq;

eiusdem

eiusdem est generis. In Græco autem refertur ad Petrum, quatenus Petrus est re ipsa idem quod petra, quamuis non terminatione. Satis enim est quod demonstretur petra ante quocunq; modo nominata, siue masculina siue fæminina terminatione: sicut si dicamus, Tu es bonus, & hæc tua bonitas placet Deo; particula *Hæc* demonstrat bonitatem antè nominatam in voce masculina Bonus.

Cur Augustinus petram de Christo aliquando exposuerit.

At citat pro se Augustinum Zaborouius (nam alij Patres parum pro ipso faciunt) qui *Hanc petram* intelligit petram, quam Petrus confessus est. Verùm vti negari non potest aliquando Augustinum exposuisse *Hanc petram* de Christo, aliquando de Petro (vtramq; enim hanc suam expositionem refert in *1. Retract. lib. cap. 21.* vbi etiam lectori potestatem dat probabiliorem eligendi, neque vllum sua authoritate cogi vult) ita si has duas sententias inter se conferamus, omnino priorem de Petro, non posteriorem de Christo, ex mente Augustini eligere debemus, propter has rationes.

1. quia in eam de Christo expositionem Augustinus ob ignorantiam meram linguæ Hebrææ incidit. Dat enim suæ expositionis rationem: quia non dixit Christus *Tu es Petra*, sed *Tu es Petrus.* quā rationem non tāti fecisset si sciuisset in Hebraico & Syriaco Petrum dici petrā, imò & in Græco Πέτρος Atticè petram designat, vt omnes norunt. Cùm igitur satis iam constet ex collatione linguarum, Petrum idem esse quod petram; ex mente Augustini non licet nobis eam ipsius expositionem ampliùs sequi, quàm & ipse dubiè & nonnisi ex ignoratione linguarum secutus est. 1.

2. Quia quod ad rem attinet, nunquam dubitauit Augustinus Petrum esse petram & fundamentum Ecclesiæ, sed tantùm an in hoc loco *Matth. 16.* id diceretur. Quod autem de re non dubitauerit, patet. Tum quia semper eam doctrinam de Petro tradidit, quòd esset fundamentum & supremus Pastor totius Ecclesiæ: imò vnum ex ijs quibus se teneri ait in Ecclesia Catholica hoc esse voluit, Sacerdotum scilicet à Petro cui Dominus oues suas pascendas tradidit successionem. Tum quia testatur id in Hymno Beatissimi Ambrosij in Ecclesia decantari: *Hoc, ipsa petra Ecclesiæ canente, culpam diluit.* Tum quia fatetur in vniuersa Ecclesia Petrum coli tanquam Ecclesiæ fundamentum. Ita enim ait *serm 15. de Sanctis. Petrum itaq; fundamentum Ecclesiæ Dominus nominauit: & ideò dignè fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici ædificij altitudo consurgit.* Solùm igitur de eo dubitauit, an hoc in loco, id est *Matth 16.* nomine petræ Petrus intelligi debeat. alioqui in re ipsa credenda nullam habuit dubitationem. 2.

3. Quia oppositam sententiā omnes alij Patres docuerunt, quorum Catalogum recenset Maldonatus *in cap. 16. Matth.* & Bellarminus *lib. 1. de Rom.* 3.

Pontif. c. 10. Quare male Zaborouius pro se adducit Chrysostomum. Hic enim *hom. 55. in Matth.* disertè ait Dominum dixisse, *Tu es Petrus, & super te ædificabo Ecclesiam meam.* Neque in *homilia de Cruce ait, Petrum non esse fundamentum, sed Christum esse fundamentum.* quod verum est, quia est primarium fundamentum & Petri & Ecclesiæ.

At nihil facit pro aduersarijs.

Ex quibus patet, Augustinum pro Euangelicis non facere. Tum quia Augustinus neque contrariam sententiam damnat, neque suam indubiè asserit: Euangelici autem contrarium faciunt. Tum quia Augustinus verissimũ & ab Ecclesia receptum censuit, Petrum esse Ecclesiæ fundamentum, solùmq; de sensu loci apud *Matth. 16.* dubitauit; Euangelici verò pertinaciter & rem ipsam negant, & contrarium sensum loco Matthæi sine vlla dubitatione affingunt. Denique Augustinus ex accidenti in eam opinionem incidit, ob ignorantiam linguæ Hebrææ: Euangelici verò moderni cùm hac ignorãtia non laborent, ob meram pertinaciam in ea sententia persistunt; in qua non perstitisset Augustinus, si ex proprietate linguæ Hebrææ id illi cõstitisset.

Ratio 2.

Sunt & aliæ rationes, propter quas nomine Petræ Christus hoc loco non debeat intelligi. Alioqui enim Christus non compensasset Petro ipsius confessionem, si illum petram Ecclesiæ non declarasset.

Nam futile ast, quod ait Zaborouius satis compensasse vocando illum beatum. Etenim beatum illum vocauit, propter reuelationem illi factam à Patre: propter confessionem verò, subiungit illa alia verba, *Et ego dico tibi quia tu es Petrus &c.* quare id quod deinceps dicebat, erat in compensationem confessionis Petri: nempe quod illum vicissim confitetur petram Ecclesiæ, sicut ille ipsum fuerat confessus Filium Dei. Quocirca falso pro se adducit Basilium, omissis postremis verbis quæ contra ipsum faciunt. Cùm enim ait Basilius, *Largiri* IESVM *Petro suas dignitates:* addit, *Petra ipse est, & petram facit.* quod dolo malo omisit Zaborouius, tanquam falsator perpetuus Sanctorum Patrum, volens ex Basilio ostendere, Christum dignitatem petræ Petro non esse largitum.

F.

Vide dolum Zaborouij in citando Basilio.

Ratio 3.

Tertia ratio est. Si enim dixisset Christus *Ego sum petra, & super hanc petram ædificabo:* facilè intelligeremus de seipso locutum: At cùm dixerit *Tu es Petrus & super hanc petram &c.* necesse est intelligere non de se, sed de Petro locutum esse. Respondet Zabor. non esse nostrũ præscribere Christo, qua ratione loqui debuerit. Crassum responsum. Non enim præscribitur Christo modus loquendi: sed cùm alium modum loquendi vsurpare voluerit, ostenditur alium quoq; verborum Christi esse sensum. Tu potiùs Zaborouì, non præscribis sed imponis Christo talem loquendi modum, qui ad rem non faciat. Quid namq; est dicere: *Tu es Petrus*, tu fundamentum, & ego

Beotica Minerua Zaborouij.

& ego alibi ædificabo? Aut enim sunt illa verba impertinentia *Tu es Petrus*, ad quid enim faciunt? cùm iam Petrus esset sufficienter antè quoad personam nominatus Simon BarIona: Aut si sunt pertinentia: ad hoc sunt pertinentia, quòd nomen ipsius indicarat, Ecclesiam super eum ædificandã tanquam super petram. At tu parum curare videris, si Christum facias impertinenter loqui.

Quarta ratio. Loquitur Christus de ea petra, in qua nondum ædificauerat Ecclesiam, sed ædificaturus erat. Talis autem petra non erat Christus (is siquidem in seipso iam ædificauerat Apostolos & alios fideles) sed Petrus in quo nondum erat ædificata Ecclesia, sed ædificanda. *Ratio 4.*

Zaborouius ait, verbum ædificabo significare continuationem ædificandi: & quòd peculiari modo in nouo Testamento esset ædificaturus ex Iudæis & Gentibus. At certè qui demonstraret petram, in qua actu ædificat domum; non diceret, *super hanc petram ædificabo*, sed ædifico. De illo verò peculiari modo ædificandi nulla hìc mentio; sed solùm absolutè de ædificando. quare frustra Zaborouius congerit Iansenij & Maldonati testimonia de coniungendis Iudæis & Gentibus in vnam Ecclesiam: nam quis de hoc dubitat? sed solet Zaborouius rem de qua nulla est controuersia, multis vndequaq; conuasatis testimonijs confirmare, vt simplicibus imponat. *Ædificat Zaborouius linitque parietem absque temperamento.*

Quinta ratio. Sicut alias excellentias de clauibus & potestate ligandi ad Petrum Dominus retulit: ita & hanc de ædificanda Ecclesia super petrã. Eædem namq; sunt istæ excellentiæ, & eodem fine, hoc est ad compensandam confessionem Petri commemoratæ. Respondet Zaborouius. Christum conferendo claues & potestatem ligandi Petro nihil ei peculiare contulisse. Verùm Zaborouius fugit, non soluit difficultatem. Hìc enim quæstio est, an contulerit aliquid Petro, siue illud fuerit commune cum alijs Apostolis, siue peculiare solius Petri. Cùm igitur ostendamus contulisse excellentiam clauium, & potestatis ligandi; inferimus contulisse etiam excellentiam petræ: quia idem metaphora petræ, quod metaphora clauium significatur; & quo fine vnum collatum est, collatum esse & aliud. Ad quod quia nihil habebat quod responderet Zaborouius, saltat à re ad modum, & dicit nihil peculiare contulisse, cùm hæc sit differens quæstio ab illa. *Ratio 5.* *Zabor. denique terga dat.*

Ex his igitur liquidò constat, expositionem illam de petra quam Petrus confessus est, nullo modo admittendam esse: tum propter dictas rationes: tum propter communem consensum Patrum. Neque enim Christus dixit. *Tu es confessus petram*; sed *tu ipse es petra, & super hanc petram quam te esse*, non *confessum esse*, dixi, *ædificabo Ecclesiam meam*. Nulla etiam toto hoc loco fit mentio confessionis Petri, qua Christum confessus sit esse petrã; sed tan-

sed tantùm qua illum confessus est esse Filium Dei. Non potest igitur hæc petra confessionem Petri quæ non fuit demonstrare.

Falsum etiam mihi imponit Zaborouius, me ludibrio authores huius sententiæ exponere. Mea enim verba sunt: hanc expositionem quorundam admitti non debere. quæ, an sint ludibrij verba, quiuis iudicet.

Patres non opitulantur Zaborou.

Frustra quoq; se tegit Augustini, Hilarij, & Eusebij testimonio. Nam hi rem ipsam non condemnârunt, imò constanter asseruerunt, Petrum esse verè fundamentum & petram Ecclesiæ. Cùm verò in expositione huius loci propter imperitiam linguarum, petram Christum intellexerit Augustinus: id neque omnino & mordicus asseruit: neque quenquam sua authoritate cogi voluit. sed aliorum veriùs sentientium iudicio se submisit. vti ex *libro 1. Retract. cap 21.* paulò ante ostendi. At Zaborouius & nostram sententiam condemnat, & suam mordicus asserit. Non igitur cum Augustino commune quid habet, nec Augustini sed suam sententiam sequitur. Hilarius etiam nullo modo ei fauet. Nam is in *cap. 16. Matth.* Petrum & *fælix Ecclesiæ fundamentum*, & *dignam ædificatione illius petram* appellat. Quod autem *2. de Trinit.* dicit: *Vna hæc est fidei petra immobilis Petri ore confessa*, cùm dixit: *Tu es Christus Filius Dei viui*: Non pugnantia loquitur. vtrumq; enim verum est: & petram quam Petrus confessus est esse solum Christum; & petram de qua Christus locutus est esse Petrum. Quo etiam modo Eusebius Emissenus loquitur *homil. in Natali S. Petri*. *Non est aliud fundamentum* (nempe principale) *quàm petra illa quam Petrus in fundamentum posuit* (cùm nimirum Christum confessus est esse Filium Dei viui) Chrysostomus verò *homil. de Cruce Domini*, cùm Christum dicit *murum inexpugnabilem & fundamentum*, ipse enim dicit Petro: *Tu es Petrus &c.* non negat Petrum esse quoq; petram & fundamentum: sed multò magis Christum, qui Ecclesiam inexpugnabilem exædificauit. Porrò Nicolaus Lira, & Glossa interlinearis, cùm Augustini sententiam adducat: eandem quam Augustino dedimus, expositionem habet.

Aliter Patres aliter Sectarij petram fidem interpretantur.

Iam verò eos qui per hanc petram fidem seu confessionem fidei à Petro factam intelligunt, dixi ineptè exponere. Non enim fidei, sed homini dixit Christus *Tu es Petrus seu petra*. Cùmque ædificium Ecclesiæ constet ex hominibus tanquam ex viuis lapidibus; etiam lapis fundamentalis debet esse homo, vt fundamentum sit proportionatum ædificio.

Hic Zabor. Inepti igitur, inquit, erunt SS. Patres, qui petrã fidem interpretantur. Minimè verò Zaboroui. Non enim illi fidem per se & in abstracto acceptam dicunt esse fundamentum; sed fidem Petri cum relatione ad Petrum. Quia enim Petro data est à Christo ea fidei soliditas, vt nunquam

defectura sit fides ipsius: ideo in fide Petri meritò fundatur Ecclesia. Quam enim fidem Petrus docet, ea verissima fides est, & eius prædicatione ædificatur Ecclesia: per fidem namq; hæc ædificatio perficitur. Porrò hoc modo ædificari in fide Petri, est ædificari in Petro ratione fidei. Hoc verò sensu, & SS. Patres, & nos cum ipsis dicimus ædificari Ecclesiam in fide Petri. Verùm hoc idem est quod ædificari in Petro. Sic enim ait Ambrosius *in Lucam lib. 6. cap. 9. Etiam discipulo suo huius vocabuli* (Petræ) *gratiam non negauit: vt & ipse sit Petrus, qui de petra habeat soliditatem constantiæ, fidei firmitatem.* Quo etiam in loco dixerat Ambrosius. *fidem esse Ecclesiæ fundamentum.* Sicut ergo inepte eos asserere affirmo, qui fidem per se & in abstracto statuunt fundamentum Ecclesiæ: ita illos aptè & vere asserere dico, qui fidem vt est Petri, statuunt Ecclesiæ fundamentum, secundùm Christũ. cùm hoc nihil aliud sit, quàm Petrum propter suam fidem, in qua priuilegio Christi deficere non potest, esse Ecclesiæ fundamentum. Porrò Zabor. cum suis disertè docet, primo non secundo modo fidem esse fundamentum Ecclesiæ. quocirca eum non Sanctos Patres ineptè exponere affirmo. Quod etiam ex eo confirmo. quia si fides sit fundamentum: omnes ratione fidei erunt fundamenta Ecclesiæ. Qui enim fidem habet, habet id vnde fundamentum Ecclesiæ dici possit: cùm fides dicatur esse fundamentum. Quodsi omnes fideles sint fundamentum, quod erit reliquum ædificium? quis superædificabitur, si omnes ad fundamentum pertineant? Ridiculè verò liberat se hoc absurdo Zabor. Nullus, inquit, nostrum dixit Petrum propter fidem esse fundamentum. Sed quis non videt, vos velitis nolitis id necessariò debere dicere? Nam si fides vt vultis, est fundamentum: ergo qui habet fidem, habet id per quod sit fundamentum. Cùm igitur tam Petrus quam omnes fideles habeant fidem, habebunt quoq; propter fidem vnde sint fundamenta Ecclesiæ. Neque refert quòd id nolitis dicere: compellimini enim vi veritatis & necessariæ consecutionis dicere. Quia ergo id dicere est absurdum: absurdam quoq; vestram sententiam, ex qua id sequitur, esse necesse est.

neq; enim Patres fidem à Petro separant.

vt facit Zaborouius

per absurdè.

& necquicquam tricatur vt ex absurdo emergat.

Denique dicit. Si admittendum esset ministeriale fundamentum: id non esset solus Petrus, sed omnes prædicatores, idque respectu publicæ prædicationis.

At errat: Non enim omnibus prædicatoribus dictum est, *Tu es petra*, nec omnes habent hoc fidei priuilegium à Christo & firmitatem, vt in fide eiusque prædicatione deficere ex se non possint. Solus Petrus id habet: qui propter eam fidei firmitatem & soliditatem Petra seu Petrus est nominatus: eiq; soli dictum est, *Luc. 22. Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Ex quo etiam intelligitur, magnum

Nõ omnium prædicatorũ fidei, est eadem fidei firmitas.

neque enim pro omnibus.

Christus rogauit.

magnum priuilegium Petro in compensationem confessionis factæ, concessum esse: nimirum quòd petræ soliditatem & firmitatem in fide prædicanda esset habiturus; & quòd Ecclesia illi innixa propter hanc eius in fide firmitatem, nunquam esset defectura, nec aduersus eam portas inferi præualituras. Quod priuilegium non ipsius tantùm personæ erat, sed officij ordinarij, quod à Christo impositum habebat ad regendam Ecclesiam vniuersam. Hoc enim officium vti non ad ipsum solum, sed etiam ad successores ipsius pertinet: ita & priuilegium non errandi aut deficiendi in fide, quod Petrus præ alijs Apostolis habuit. Propter quam causam SS. Patres Cathedram & sedem Petri vocãt petram supra quam ædificata est Ecclesia. quia nimirum Petrus constitutus est petra, non ratione suæ personæ tantùm, sed ratione sui officij ordinarij; ita vt quatenus Pastor ordinarius Ecclesiæ sit petra. Ita Hieronymus *in epist. ad Damasum de nomine Hypostasis.* & Augustin. *in Psal. contra partem Donati.*

CAPVT XII.

Petrum præ cæteris Apostolis constitutum esse à Christo Ecclesiæ petram.

Excellentia Petri præ cæteris Apostolis in petræ munere asseritur.

VErùm Zaborouius pertinacissimè instat, nihil esse concessum Petro, quod non sit illi commune cum cæteris Apostolis. At eius pertinacia conuincitur. 1. quia soli Petro dictum est, *Tu es Petrus*: & in nomine solius Petri continetur ratio petræ, super quam dicitur ædificanda ea Ecclesia. Ergo peculiari ratione Petro conuenit esse petram Ecclesiæ, quæ illi non est communis cùm cæteris Apostolis.

1\. *Zaborouius actum agit.*

Friuolum enim est quod dicitur à Zaborouio, nempe Petrum non esse dictum petram. Nam clarissimè id iam refutatum est. Similiter cùm ait nõ in similitudine nominis Petri, sed in Christo fundari promissionem Ecclesiæ ædificandæ: non aduertit promissiones ædificandæ Ecclesiæ suo modo fundari in vtroque. In Christo quidem tanquam principali authore & præcipuæ ædificij petra: in Petro autem tanquam in petra secundaria, cui Christus firmitatem inexpugnabilem hoc in loco promisit; ita vt in nomine ipso hanc petræ firmitatem significaret & gereret.

2\. 2. Quia soli Petro reuelauerat Pater cœlestis, quid de Christo confiteri deberet: solus etiam Petrus ex illa reuelatione confessus est Christum Filium Dei: soli igitur Petro in compensationem confessionis datum est, vt esset petra.

Ait quidem

Ait quidem Zaborouius, Petrum nomine aliorum respondisse: sed vnde hoc probat? Omnes, inquit, Christus interrogat: *Vos autem quem me esse dicitis?* Præclarè sanè. Cùm igitur omnes interrogantur; non potest nisi quis nomine omnium respondere? aut si potest quilibet non aliorum, sed suo nomine respondere: infirma erit coniectura Zaborouij, ex eo quòd omnes interrogati fuerint, omnium nomine à Petro responsionem datam.

Si inquit, soli Petro reuelasset Pater cœlestis, solus Petrus interrogatus fuisset. Minimè verò. Communis enim omnium fides quam tum omnes habebant, sufficiebat ad hoc, vt omnes interrogari potuerint. quia iã multò antè omnes cognouerant & crediderant Christum esse Filium Dei. *Ioan. 6. 70.* singularis verò reuelatio & illustratio fuit, quam soli Petro à Patre factam testatur Christus. Nam priorem de Christo fidem ex auditu & prædicatione Christi tam Petrus quàm alij omnes conceperant: hæc verò Petri confessio ex peculiari reuelatione cœlitus facta processit. quare soli Petro factam credendum est. Quibus enim coniecturis alijs quoque factam euincemus? cùm Christus soli Petro eam tribuat? Ex quo etiam sequitur, Petrum suo nomine respondisse: siquidem ex speciali reuelatione sibi facta respõdit. *Petro singularis reuelatio & illustratio fidei à patre cœlesti data.*

Consistere, inquit, vtrumq; potest: & quod ex reuelatione Patris, & quod ex commissione aliorum responderit. At nos nequaquam id impossibile esse asserimus: sed an fuerit reipsa factum quærimus. Vnde enim probare Zaborouius potest hanc commissionem Petro ab alijs factam? Non potest sanè id nisi fingendo vel diuinando asseri. Os, inquit, fuit Apostolorum Chrysost. teste. At non semper fuit os Apostolorum; nisi cùm nomine aliorum loqueretur. innumeris enim in rebus nomine suo locutus est. Hic igitur quærimus, an in hac responsione os fuerit Apostolorum. Nam & paulò antè, cùm interrogarentur omnes: *Quẽ dicunt homines esse Filium hominis?* non commiserunt respondendum Petro: sed singuli prout quis sciebat pro se responderunt; *alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Ad alteram verò quæstionem, *Vos autem quem me esse dicitis?* non omnes respõdent: quia res erat longè difficilior, quid potissimum respondere deberent. Solus autem Petrus respondit: quia solus reuelationem specialem à Patre cœlesti ea de re habuit. ex hac enim reuelatione confessionem ipsius processisse testatur Christus. *Singularis ergo & confessio Petri fuit.*

Similiter cùm ait personam omnium gessisse, facilè refelli potest. Nam quis illi hanc personam in illa responsione imposuit? aut quod huius impositionis signum? siue enim dicatur ab alijs fuisse illi impositam, siue ipsum sponte sua eam in se accepisse: vtrumq; nonnisi fingendo aut diuinando dici potest. Nam etsi sæpe nomine aliorum respondere solitus esset, nominan-

do eos in plurali, vt cùm *Ioannis 6.* diceret, *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus & cognouimus, quia tu es Christus Filius Dei:* tamen sæpiùs nomine suo loquebatur & respondebat. Vnde igitur constare potest hic de facto personam omnium gessisse, & omnium nomine respondisse? cùm neque ipse alios nominet, neq; Christus ex commissione aliorum, sed ex reuelatione Patris dicat esse locutum.

Quanquam duplex sensus distingui potest in eo, quod dicitur Petrum nomine omnium respondisse. vel quòd omnes ei vt responderet commiserint: & hoc minùs verisimile esse docuimus. vel quòd id responderit, quòd illos sciebat responsuros: at neque hoc tunc respexisse vllo indicio probari potest; cùm aliam causam Scriptura assignet, nempe reuelationem Patris cœlestis: vnde non tam quod alij responsuri erant tunc cogitabat, quam quod illi tunc Spiritus S. suggerebat dicendum.

3. Tandem probatur idem ex approbatione Christi. Confessionem enim illam tanquam solius Petri Christus approbauit, & Petrum solum ob eam commendauit, & beatum pronuntiauit, illique soli mercedem dedit. *Tu es Petrus, Tibi dabo claues &c.* At si omnium nomine fuisset confessus; omnes commendandi fuerant, omnes beati pronuntiandi, omnibus merces promittenda. quod quia non est factum, nimis euidens argumentum est, soli Petro priuilegia hic recensita conuenire. Demum etsi daremus Petrum nomine aliorum respondisse: quia tamen solus inter alios respondit, & promptum ac feruentem erga Christum se exhibuit; idcirco solus præ alijs peculiare quid mereri potuit, & re ipsa obtinuit, vt esset & petra Ecclesiæ & claues regni cœlorum haberet.

Fundamenta & cæteri Apostoli.

Quanquam negari non potest cæteros quoque Apostolos esse suo modo fundamenta Ecclesiæ, quatenus ij doctrina sua primi ædificârunt Ecclesiam Dei. quam ob causam *Apocal. 21. 14.* in fundamentis duodecim ciuitatis Dei inscripta legimus nomina 12 Apostolorum; vt per 12 fundamenta, 12 Apostolos significari intelligamus. Et *Ephes. 2.* dicitur *Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum.*

Sed excellentius Petrus

Ridiculum autem est quod ait Zaborouius in *Apocalipsi* non dici Apostolos fundamenta, sed tantùm nomina 12. Apostolorum inscripta esse 12. fundamentis. Quis enim non videt idcirco nomina 12. Apostolorum inscripta fuisse 12 fundamentis, vt quid per fundamenta significaretur intelligeremus? neq; vllus sanæ mentis hactenus de hac re dubitauit. Etsi igitur cæteris quoque Apostolis, ratio fundamenti competit inde tamen minimè sequitur, Petrum singulari ratione petram non esse. Petrus enim & communi cum alijs Apostolis ratione fuit fundamentum Ecclesiæ, quatenus vnà cū illis præ-

illis prædicatione sua & doctrina fundauit & ædificauit Ecclesiā Dei; quod *Apocal. 21.* dicitur. & præterea peculiari præ alijs ratione, de quo *Matth. 16.* soli enim Petro dictum est. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* quibus verbis gubernatio ordinaria totius Ecclesiæ Petro promissa est. quæ etiam ad successores transiret. Nam Ecclesiæ nunquam interituræ fundamentum perpetuum pronunciatus est. Nunquam enim carebit Ecclesia suo fundamento, in quo à Christo ædificata est; alioqui rueret.

Quare nunquam Petrus qui est declaratus à Christo petra & fundamētum Ecclesiæ desinet esse fundamentum. Cùm verò sit fundamentum viuū & lapis viuus non potest id intelligi de sola persona ipsius; sed de ipso & successoribus eius idem officium & gubernationem vniuersæ Ecclesiæ gerentibus. Sicut enim si quis Regem alicuius Regni institueret, ea institutio non vna tantùm persona eius qui primus Rex esset clauderetur; sed ad omnes successores transiret. Rex enim pro regno perpetuis temporibus institutus esset. Ita cùm Christus Petrum pro fundamento Ecclesiæ perpetuis temporibus futuro instituerit, voluit illum esse petram Ecclesiæ, non in sua persona tantùm, sed etiam in successoribus ad finem vsq; mundi. *Petrus perpetuum fundamentum.*

Insulsum verò est quòd obijcit Zaborouius Petrum non esse fundamentum triumphantis Ecclesiæ, sed Christum; atque idcirco non posse dici totius Ecclesiæ fundamentum. Quis enim nesciat nos de tota Ecclesia militāte loqui quæ in mundo hoc ædificatur, & totius Ecclesiæ militantis Petrum esse fundamentum? Simile illud est quod Apostoli non fuerint Episcopi particulares, particularibus locis affixi. Quis enim id negat? poterant enim vbicunque vellent Episcopale munus obire, & quas vellent Ecclesias gubernare; cum hoc tamen consistit quod dicimus, neminem ex Apostolis præter Petrum, vniuersæ Ecclesiæ gubernandæ officium ordinarium sibi assumpsisse: sed singulos ijs tantùm Ecclesijs cum quibus agebant contentos fuisse. quo etiam sensu sollicitudo omnium Ecclesiarum, de qua Paulus *2. Cor. 11. 28.* accipienda, vt non absolutè omnium (alijs enim alias relinquebat procurandas) sed earum omnium ad quos poterat suo labore se extendere, intelligendum sit. *militantis Ecclesiæ.* *cum ordinaria gubernationis successione.*

Dissimulare verò hìc non possum pessima fide Zaborouium pro se citasse Cyprianum, omissis postremis verbis contra se facientibus. Citat enim solùm illa verba Cypriani *de Simplicitate Prælatorum. Hoc fuit vtiq; Petrus quod & cæteri Apostoli pari consortio præditi & honoris & potestatis.* omittit autem ea quæ mox sequuntur: *Sed exordium ab vnitate proficiscitur & primatus Petro datur, vt Ecclesia vna monstretur.* Quibus verbis in pari potestate imparitatem quandam ostendit, cùm vni Petro primatum esse concessum ait; *Falsificator egregius Cypriani Zaborouius.*

ſum ait, vt ſub vno Paſtore ordinario tota Eccleſia vna diceretur. Hanc enim vnitatem Eccleſiæ vrget Cyprianus, tum alibi, tum *in Epoſtola ad Iubaianum : Eccleſia*, inquit, *quæ vna eſt, ſuper vnum, qui claues eius accepit, voce Domini fundata eſt.* Quare meritò falſificator Patrum cenſeri debet Zaborouius, qui teſtimonia eorum infideliter & contra mentem eorum adducit, truncatis ijs quæ maximè ad rem faciunt, & mentem authoris exponũt.

Diluuntur Zaborouij argumenta tria quibus ſibi adſtruere videtur Romanum Pontificem B. Petro nõ ſuccedere. 1. *Quid ex Apoſtolatu trãs mittatur ad poſteros.* 2.

Verùm Zaborouius Papam non poſſe dici ſucceſſorem Petri, tribus inſulſis rationibus probare contendit. Prima eſt: Quia ſtrictè loquendo ſucceſſor Petri ſumitur pro eo qui Petro in Apoſtolatu ſuccedit. at Apoſtolis quatenus Apoſtoli ſunt, ſuccedi non potuit, ergo nec Petro. SOLVITVR. In Apoſtolatu duo continentur, vocatio & miſſio immediatè à Deo, & authoritas in vniuerſam Eccleſiam. In primo ſuccedi non poteſt Apoſtolis cùm ſit perſonale : in ſecundo ſuccedi poteſt, cùm non minus nunc, quàm Apoſtolorum tempore, vno Paſtore vniuerſali Eccleſia egeat. Paſtoris enim officium in Eccleſia cùm ſit ordinarium, ad ſucceſſores tranſit; nec forma Monarchiæ Eccleſiæ, quam CHRISTVS in Petro inſtituerat, mutari deinceps debuit. Nam quod addit Zaborouius Papam nec Euangelium docere, nec Sacramenta purè adminiſtrare; calumniæ ſunt non argumenta; veriùsq; in Euangelicos regeri & retorqueri poſſunt.

Secunda ratio eſt. Papa Petro nec ſuccedit in loco, quia Petrum Romæ fuiſſe, probari non poteſt. nec in fide, quia Petrus aliter credidit quàm Papa. nec in moribus, quia Petrus vnicum Centurionem ad pedes ſibi procidere paſſus non eſt. *Act. 10* Papa verò Reges ad oſcula pedum non ſolùm inuitat, ſed etiam quodam modo cogit. nec in officio, quia in Apoſtolatu Petro ſuccedi non potuit.

Pontifex Romanus ſuccedit B. Petro in loco.

SOLVITVR. Papa ſuccedit Petro & in loco, quia Romæ fuit Epiſcopus; ibique mortuus eſt : quod negare, eſt pugnare cum toto orbe terrarum. Nullus enim ante iſtos Euangelicos qui de omnibus dubitant, de ea re dubitauit, non tantùm Catholicus, ſed ne Hæreticus quidem; cùm omnes Petrum Romæ martyrio affectum ſub Nerone ſcribant. Succedit & in fide,

in fide.

quia Papam à fide Petri receſsiſſe, putida calumnia eſt, & ante noſtra tempora in Eccleſia inaudita. Cùm enim 16. Concilia Generalia ex toto orbe collecta fuerint, Prouincialia verò innumera, in quibus hæreſes variæ tunc enaſcentes condemnatæ fuerunt; de Romani Pontificis Hæreſi vel condemnata, vel notata, nullo vnquam tempore auditum quid fuit. ita vt ij qui hoc per calumniam aſſerunt, frontem omnem tam impudenter mentiendo amiſiſſe videantur. Succedit & in moribus. Nam eam venerationem

in moribus.

quam Petrus Cornelio procidente ad pedes eius ex humilitate recuſauit, vt

homo

homo dicens: *Nam & ego homo sum:* recusat & Papa sciens & confitens se quoque hominem esse, neq; enim vult eum honorem sibi vt homini, sed vt vicario Christi deferri. Nihil verò contra eum honorem locutus est, qui sibi vt personam Christi gerenti offerebatur. Sciebat enim *cui honorem, honorem.* Et si Magistratibus secularibus honorem deferri tanquam Domino Apostoli docuerunt; quantò magis Magistratui spirituali, & ei præcipuè qui præ cæteris Christi personam in terris repræsentet? *Rom. 13. 7.*

Nam & CHRISTVS ipse, quo humilitate nemo fuit maior, passus est Magdalenam ex deuotione pœnitentiæ ad pedes suos procumbere, eosque exosculari, & lachrymis abluere, & capillis tergere; quod & inusitatum erat, & nunquam ante auditum deuotionis genus. Eandem quoq; reuerentiæ speciem cæteris quoq; Ecclesiæ Pastoribus in Ecclesia deferendam in *Apocalipsi* legimus *cap. 3. 9. Ecce faciam illos vt veniant & adorent ante pedes tuos, & sciant quia ego dilexi te.* Et sanè sicut ex humilitate potest hic honor à Papa recusari, ita cum eadem humilitate in Christi honorem admitti. Non enim deuotio & humilitas sunt virtutes inter se contrariæ. *Christus admisit oscula suorum pedũ Luc. 7. 38.*

Denique succedere Papam Petro posse in officio, iam probatũ est; quòd officium Pastoris in Ecclesia, sit officium ordinarium; & tale in quo succeditur. Cùm igitur Petrus declaratus fuerit à Christo Pastor & fundamentum vniuersæ Ecclesiæ, non pro se solùm, sed etiam pro successoribus declaratus est. Pastores enim Ecclesiæ pro perpetuis temporibus sunt instituti. Et licet Apostolatui quatenus vocationem peculiarem, & missionem à solo Deo continet, non succedatur: officio tamen Pastoris ordinarij, quale fuit in Petro, succeditur: nã cæteri Apostoli temporales tãtùm erant Pastores per modum legatorum, ad vniuersam Ecclesiam administrandam missi: legatorum autem munus personale est, & cùm persona extinguitur. Petrus verò ordinarius Pastor vniuersæ Ecclesiæ constitutus est, & fundamentum Ecclesiæ perpetuum (alioqui mortuo Petro corruisset ædificium Ecclesiæ) tam pro se, quàm pro successoribus suis. Vnde omnes Patres cõmuniter & Concilium generale Chalcedonense vocat sedem Romani Pontificis, *sedem Apostolicam* eiusq; dignitatem *Apostolatum. Act. 1. & 16.* *Petrus ordinarius Ecclesiæ pastor: cæteri Apostoli per modum legatorum.*

3. Tertia ratio est. vbi est succesor, ibi antecessor nihil iuris habet: Si ergo Papa esset successor Petri, Petrus nihil iuris in Ecclesiã haberet. Cur ergo illum in successoribus gubernare dicitis? sed leuis & nugatoria est hæc ratio. Quis enim nesciat nos dicere Petrum non sua persona, sed in persona successorum Ecclesiam gubernare. Hoc autem modo antecessorem in successore ius habere nullum est inconueniens. *Nugatur Zaborouius non argumentatur.*

Ex his igitur omnibus, quæ in huius loci explicatione pro Ecclesia in *Conficitur nouos Euange-*

licos ministros, veræ Ecclesiæ ministros non esse.

Petro fundata, à nobis dicta sunt; perspicuum est, Euangelicos veræ Ecclesiæ Ministros non esse: quòd non sint Ecclesiæ in Petro ædificatæ Ministri, quæ sola inter omnes vera est Christi Ecclesia: quam tamen Euangelici non solùm non agnoscunt, sed etiam oppugnant: & omnibus contumelijs lacessunt. Frustra vero ait Zaborouius, se & suos in ea Ecclesia esse, quæ est super Christum vnicum fundamentum & caput Ecclesiæ fundata. Vt enim ex hoc ipso loco *Matthæi* patet, *Ecclesia super Christum tanquam super primarium fundamentum fundata*, est quoque fundata super Petrum, tanquam super secundarium fundamentum. Suam enim, hoc est in se fundatam Ecclesiam promittit se ædificaturum super Petrum. Quocirca cùm Zaborouius cum suis ad hanc Ecclesiam non pertineat, non pertinebit etiam ad illam super Christum fundatam. vna enim & eadem Ecclesia est super vtroque fundamento (diuersa licet ratione) fundata. A sensu, inquit, & iudicio vnius hominis in Laterano residentis negotium salutis nostræ pendere nolumus: At pendere velitis nolitis debetis, si Christus pendere vos voluit, & in hac petra ædificari, si in Ecclesia Christi esse velitis.

Qui non est Petri, neque Christi est.

Zaborouius timet ne cœlum ruat.

Veremur, inquit, ne si ille, vt inquit Gregorius Magnus, qui dicitur vniuersalis corruerit (quod tamen sæpius in Ecclesia Romana accidit) vniuersa Ecclesia collabatur. Times Zaboroui, vbi non est timor. Timendum tibi potiùs est, ne sis in Christum iniurius, cuius verbis fidem non adhibes, Petro soliditatem petræ insuperabilem promittentis, aduersus quam portæ inferi non præualebunt. Non timendum igitur est, ne Ecclesia in Petro fundata ruat, sed vestræ ruinæ timendum, qui cùm in hac petra fundati non sitis, ab Ecclesia excidistis. Neque Gregorius cùm vniuersalem Episcopum posse corruere indicat, de Petro & Petri successore loquitur, sed de Constantinopolitano Patriarcha, qui falsò sibi nomen vniuersalis arrogabat.

Constantinopolitanus Episcopus falsò Oecumenicus.

Iusto vero Dei iudicio fit, vt vos Euangelici qui vnum fundamentum & caput Ecclesiæ à Christo constitutum contemnitis, tot capita admittatis quot sunt vestri Ministri, imò quotquot ex vobis sunt qui suo sensu Scripturas exponunt. Quid enim est suo sensu & iudicio Scripturam exponere, nisi seipsum caput fidei statuere? Nam quod aiunt se vnico capiti Christo, Spirituiq; S. in Scripturis loquenti esse subiectos; dicunt, non probant. Vnde enim probabunt Christum vel Spiritum S. illis Scripturas eo sensu quem vrgent exponere, nisi ex sua opinione? iste enim sensus Christi & Spiritus sancti illis videtur.

Hæreticis suum cuiq; caput, Deus.

At cùm quilibet Hæreticus hoc modo dicat sibi videri, cuilibet ergo Christus & Spiritus sanctus Scripturæ sensum aperit. Quare cum hæc visio seu persuasio, vel eo nomine sit suspecta, quod omnibus hæreticis sit communis

munis, & omnes hæreticos pariat; suspectum quoq; & valde incertum, imò falsum erit vobis propter vestram visionem Spiritum S. sensum Scripturarũ aperire. Calumnia verò putida est, cùm dicit Zaborouius in Ecclesia Catholicas sectas inter se dissidentes esse, & SS. Patres de ponte præcipitari à nobis. Nullum enim dissidium est inter nos, cùm de rebus ad fidem pertinentibus agitur: vna vox omnium, vnus sermo, vnum labium. In ijs verò rebus quæ ad fidem non pertinent licet cuiq; sentire quod iudicat maximè probabile. Vestrum id est propriè in rebus fidei inter vos digladiari, ita vt ex vno Lutero tot Sacramentariorum sectæ non minùs à Lutero quàm inter se inuicem dissentientes profluxerint, vt eas à Luteri temporibus ad annum 1596. computando ducentas & Septuaginta numerauerit Stanislaus Rescius, in suis Centurijs, earumq; singulares hæreses, & blasphemias singillatim descripserit.

270. sectæ ex Lutero ortæ ad An. 1596.

CAPVT XIII.

Euangelicos verbi Dei magnam partem reijcere, proinde verbi Dei non Ministros sed decoctores dici debere. vbi de Traditionibus agitur.

NOn est dubiũ eos Ministri verbi nomen non mereri, qui verbũ Dei reijciunt, truncant, & peruertunt. hostes enim verbi Dei sunt non Ministri, decoctores non conseruatores. Id verò facere Euangelicos duplici argumento demonstramus: alterum est, quia verbum Dei non scriptum, quod non minus est Dei verbum quàm scriptum prorsus reijciunt, & pro nihilo habendum putant: alterum quòd multas scripti verbi Dei partes detruncant, & temerè contra totius Ecclesiæ consensum pro Apocryphis habent.

Sectariorum Ministri verbum Dei non scriptum reijciunt, scriptũ pro libitu cõuellunt.

Quod ad primum attinet, certum est & indubitatum verbum Dei etiamsi non scribatur, verbum Dei esse; non enim à scriptione & membranis, sed à Deo à quo proficiscitur suam authoritatem habet, & antequam scriberetur erat verè verbum Dei, quia à Deo profectum. At, inquit, Zaborouius hoc ipsum nobis probandum esse, dari aliquod verbum Dei non scriptum, vbi enim Domino placuit illud scribi, non habemus post sacram Scripturam aliud verbum Dei non scriptum. In quo dupliciter errat: primum

Verbum Dei non scriptum asseritur.

mum quod probationem requirit in re omnium clarissima, cùm D. Ioannes apertè testetur, *tam multa alia fecisse Iesum, quæ si scriberentur per singula, nec ipsum mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros. Ioan.21.25.* Dicat Zaborouius ista omnia quæ scribenda essent, suntné verbum Dei an non? Si esse affirmet, concedat oportet non solùm dari verbum Dei non scriptum, sed etiam multò maius esse & plura continere quàm scriptum; siquidem mundus non caperet qui essent scribendi, libros. Quod si esse verbum Dei neget, ea igitur quæ Christus vel docuit, vel egit, non erunt verbũ Dei. Idem argumentum fieri potest de ijs rebus, quas per 40. post Resurrectionem dies, docuit Apostolos disputans de Regno Dei. *Act. 1.* & quas ipse ore suo Apostolos non docuit, sed in Spiritum S. qui eos docturus erat omnem veritatem retulit. *Ioan. 16. 12.* Alter error Zaborouij est, cùm ait postquam scriptum est verbum Dei non habere aliud non scriptum. vnde enim probare potest omne Dei verbum quod à Christo profectum est, & ab Apostolis prædicatum, esse conscriptum. quibus non dicam rationibus sed coniecturis rem tam incredibilem confirmare poterit? Sanè magna temeritas est rem tantam quæ ex sola diuina reuelatione cognosci potest, absq; Scripturæ testimonio asserere. Sed & Scriptura nonne satis luculenter docet multo plura scribenda superesse, quàm quæ scripta sunt, nec si scriberentur, mundum posse capere eos qui scribendi essent libros? quomodo igitur omnia in eos qui scripti sunt libros congesta esse asseri potest? Quodsi ea quæ à Christo acta sunt libris capi non possunt, quid ea quæ S. Spiritus Apostolos die Pentecostes docuit, qui eos omni scientia repleuit, & omnem veritatem iuxta Christi promissa docuit? Fusius, inquit, docuerunt Apostoli viua voce. at non plures articulos fidei quam quos scripserunt. At hoc ipsum cur tam temere asserit? cur non aliquo Scripturæ testimonio confirmat? cùm id nõ nisi ex Dei reuelatione ac testimonio certò sciri possit. Quis verò in animũ inducat, ex innumeris quæ in Scripturis prætermissa sunt, nihil esse ad fidem pertinens, nec doctrinam aliquam peculiarem, (quæ quia diuina est ad fidem pertinent) continere? Certè id D. Ioannes satis disertè indicat, cum ait, Esse & *alia multa quæ Iesus fecit*, id enim de alijs nouis rebus intellexit. dicit enim illa alia multa quæ fecit IESVS *non esse scripta* in libro Euangelij. res igitur distinctæ sunt ab ijs quæ in Euangelio scripta sunt: alioqui non esset verum, non esse scriptas in libro Euangelij, si eædem res essent alijs verbis expositæ. Denique cùm ait ad illa alia quæ non sunt in Euangelio scripta, conscribenda, mundi totius libros non sufficere, manifestè ostendit se non de ijsdem rebus fusius explicatis loqui, sed omnino de innumeris alijs diuersis rebus, ita vt non propter multitudinem verborum, sed propter multitudinem re-

testimonio scripti.

Zaborouius multa temerè auguratur.

contra disertum Euangelium.

nem rerũ scribendarum, mundũ non posse capere qui scribendi sunt libros, asseruerit. Cùm igitur falsum sit eas res quæ non sunt scriptæ in Euangelio, nõ esse distinctas res ab ijs quæ sunt in Euangelio scriptæ, falsum quoque erit quod asseruit Zaborouius non esse distinctos articulos fidei: distinctæ enim res credendæ distincti sunt articuli Fidei: quare cùm res non scriptæ sint distinctæ res à rebus scriptis, distinctos quoque articulos fidei continebunt. Et sic verbum non scriptum sed traditum æquè ad fidem pertinebit, sicut & scriptum.

Adhæc cùm Ecclesia Dei antequam Scripturæ essent, toto illo tempore verbo Dei non scripto se direxerit, quis non videt verbum Dei à Scripturis non pendere, & quamuis scriptum non sit, ad Ecclesiam dirigendam æquè valere? Nam Ecclesia vetus à mundi origine vsq; ad Moysen scripto Dei verbo caruit: à Moyse vero non totum verbum Dei literis consignatum fuit in Pentateucho, sed diuersis seculis, diuersi Scripturæ libri prodierunt: vt de libris Dauidis, Salomonis, alijsq; Prophetarum tam maiorum quàm minorum perspicuum est; ita vt multis seculis integro Scripturarum volumine Ecclesia illa caruerit. Nam quod ait Zaborouius, postquam scripta lex fuit, ab eodem verbo Scripturæ Deum voluisse omnes dependere; id ea solùm ratione verum est, quod in ijs quæ scripta erant de iudicijs & cerimonijs, & alijs mandatis diuinis, Deus voluerit Iudæos à lege scripta dependere, eamq; diligentissimè obseruare: alias tamen res quæ lege scripta non cõtinebantur, dummodo legi scriptæ non aduersarentur, non vetabat: ita vt nunquam hanc normam procedendi statuerit, vt ea quæ scripta non essent, non fierent. Exemplum clarissimum exstat in Rechabitis, *Hierem. 35. qui non ex lege aut præcepto diuino, sed ex præcepto Patris sui Ionadab, imposuerunt sibi ne vnquam biberent vinum, tam ipsi quàm filij eorum, nec vnquam in domibus habitarent, nunquam sererent agros, nunquam plantarent vineas*; quod illorum institutum etiamsi à lege præscriptum non esset, ita probauit Deus, vt & cæteris Iudæis illud in exemplum proponeret. Si enim Rechabitæ præcepta Patris sui seruârunt, multò magis Iudæi Dei præcepta seruare tenebantur, & peculiarem illis benedictionem eo nomine per Ierem. Prophetam impertijt. Alterum est, quod legimus *1. Mach. c. 4. 59. Statuit Iudas & fratres eius, & vniuersa Ecclesia Israël, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis, ab anno in annum per dies octo.* Id reuera non erat à Deo statutum, sed ab hominibus & Ecclesia Iudæorum. quod tamen & sanctè institutum fuit, & sanctè vsq; ad Christi tempora seruatum, vti colligitur ex *Ioanne 10. 22.*

Ecclesia nunquam fuit sine Dei verbo, at fuit sine scripto.

Etiã in lege scripta, multa sanctè seruata ex non scripto.

Denique constat Ecclesiam Iudæorum, etsi legem Dei haberet scriptam,

Veterum traditionibus Iudeorum Ecclesia vsa.

ptam, in plurimis tamen fuisse vsam traditione antiquorum, ad eandem traditionem inquirendam Deo ipso in Scripturis non semel adhortante *Deu: 32. Interroga Patrem tuum & annunciabit tibi, maiores tuos & dicent tibi. Psal. 77. Quanta mandauit Patribus nostris nota facere ea filijs suis, vt cognoscat generatio altera, filij qui nascentur & exurgēt, & narrabunt filiijs suis.* Nec mirū: non enim omnia in lege scripta fuerunt, sed ex traditione maiorū, tum verus legis sensus, tum responsio ad ea quæ ex lege oriebantur dubia, tum varia quæ ad legem rite seruandam pertinebant, habebantur; eamque ob causam Iudices à Domino instituti, qui legem Dei interpretarentur.

Zaborouius ex particulari concludit vniuersalem propositionem

Quocirca errat Zaborouius, cùm ex illis verbis *Isai. 8. 20.* [*Ad legem magis & ad testimonium; Quodsi non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.*] colligit generale Dei mandatum de recurrendo in omnibus ad legem, cùm ibi res solùm peculiaris mandetur, vt nimirum non consulāt Pithones, sed magis ad legem & testimonium recurrant, in lege enim expressè docetur, solus Deus per Prophetas consulendus. quodsi secundùm verbum hoc quod præcipio non responderint, nempe potiùs esse Deum Isràël consulendum quàm Pithones, non erit eis matutina lux seu felicitas. Cùm igitur hoc in loco de re particulari agatur, quàm clarè constat expressam esse in lege. quomodo ex particulari infertur à Zaborouio generalis regula recurrendi ad legem in omnibus? Etenim etsi in ijs quæ lex clarè continet, recurrendum sit ad legem, tamen in alijs quæ lex vel non continet, vel non clarè continet, recurrendum quoque est ad alia media, quorum vnum est traditio maiorum, & interpretatio seniorum. Falsum itaque est his verbis Deum mādasse, vt semper & in omnibus rebus Iudæi à lege dependerent. Quāquam non possum non notare malam fidem & dolum Zaborouij, qui detrūcatum hunc Scripturæ locum citauit prætermissa voce *Magis.* Cùm enim Deus dixerit, *Ad legem magis & ad testimonium*, hoc est ad legem magis quàm ad Pithones recurrendum esse, & legem potiùs seruandam, quàm Pithones consulendos, ille omisit vocem *Magis*, vt absolutum Dei mandatū inferret: cum Deus non absolutè, sed comparatiuè loquatur. non enim absolutè & vniersè in omnibus, nec semper ait recurrendum esse ad legem, sed comparatiuè potiùs ad legem, quàm ad Pithones in illa re particulari. cùm autem quis ostendit vnum medium, non licet inde inferre excusa esse alia media.

F

Mala fide Scripturam citat.

Post Christū caruit aliquandiu Ecclesia noui Testamenti scripturis.

Iam verò de noui Testamenti Ecclesia certum est, eam multo tempore sine verbo Dei scripto fuisse, nempe antequam libri noui Testamenti cóscripti essent, & verbo Dei seu Euangelio tradito solùm vixisse. Nam licet haberent Scripturas veteris Testamenti, Euangelium tamen scriptum non habebant,

habebant, & sic proprijs Scripturis noui Testamenti carebant. Neque verò Christus cùm mitteret Apostolos ad prædicandum Euangelium præcepit illis vt scriberent, sed vt docerent. ad docendum autem scriptionem non esse omnino necessariam res ipsa loquitur, & Apostoli hoc ipsum docendi munus voce non scriptis maiori ex parte impleuerunt. plures enim ex ijs nihil scripserunt. Hoc adeò ridiculum visum fuit Zaborouio, vt legendo risum tenere se non potuisse scripserit. forte liberaliori potu hilarior factus. In eo enim quod ipse in alijs ridet, ridendum se omnibus propinat. Hoc ipso, inquit, mandato iussit eos scribere, quia iussit docere. Quis hic tuum acumen non rideat? si enim quicunq; iubentur docere, iubentur scribere: ergo omnes prædicatores cùm iubeantur docere, iubentur scribere, nec mandato satisfacient, nisi scribant. Si hoc non admittes, ridere meritò debes tuã illã propositionem, ex qua id sequitur. At inquis esse quendam docendi modũ scriptionem. Quid tum? num igitur qui docere iubetur, iubetur eo ipso scribere? Minimè. Si enim munus docendi sine scriptione perfici non posset, idem esset mandatum docendi & scribendi: at cùm docendi munus absque scriptione fieri possit, quis tibi assentietur dicenti, mandatum de docendo esse mandatum de scribendo. Vt verò magis tuam ineptitudinem agnoscas, dic Zaborouí, mandatum docendi quod Apostolis dedit Christus, num Apostoli omnes impleuerunt nec ne? Si neges impleuisse, iniurius es in Apostolos, & eos grauissimi criminis reos facis: si verò concedas impleuisse, cõsequetur de scribendo mandatum in illis verbis nullum accepisse: alioqui qui nihil scripserunt, (quæ est maior Apostolorum pars) præceptum de docendo non impleuissent. Nam quod ex Augustino profers Deo docente Apostolos scripsisse, id non negamus: aliud enim est inspiratio peculiaris interna, aliud præceptum generale apertum. Deinde cùm inter nos quæstio sit, an illis verbis quibus docere sunt iussi, mandatum acceperint scribendi, id nec August. nec vllus mentis compos præter te asserit. Porrò inspirationes internæ nec ad omnes pertinent, nec ad omnia scribenda, sed prout Spiritus S. voluerit. Nam & *Ioan. in Apoc. c. 1. 11.* arcana solùm quædam quæ illi tũc ostendebantur, scribere iussus est. *Quod*, inquit, *vides scribe in libro.* Nec mirum. lex enim noua, non est lex quam in *tabulis carnalibus atramento scribi* necesse sit, *sed in tabulis cordis* à Spiritu S. conscribitur. vti Paulus ex Ieremia probat Hebræ *8. 10.* Ad veterem enim legem propriè & per se pertinet litera occidens, ad nouam Spiritus viuificans.

Ridiculo Zaborouio idem est docere quod scribere.

Maior Apostolorum pars nihil scribendo de mandatũ docẽdi munus impleuerunt.

Illud verò nostrum pro traditionibus & verbo non scripto argumentum, quo ipsum verbum scriptum nonnisi ex traditione profectum esse & ad nos peruenisse euidenter probamus. quàm ineptè eludit Zaborouius. Ait enim

Verbum scriptum nonnisi traditione habetur.

Ex tradi-

Ex traditione quidem profectum esse, sed non solius Ecclesiæ. Tradidit enim illud Deus per seruos suos Spiritu S. ad id officij afflatos. Ecclesia verò illud conseruauit tanquã vnicam legem Dei. Quid ais Zaboroui? itané tandé vi veritatis victus, traditiones contra quas tantopere pugnas agnoscis? vel enim traditio illa verbi scripti quam concedis, est scripta vel nõ scripta. Si scripta, non est traditio sed Scriptura: vnde & ipsa sicut & aliæ Scripturæ egerent traditione, per quam nobis constet veram non supposititiam Scripturam esse. Si verò dicas non esse scriptam, concedas oportet verbum Dei non scriptum. nam Scripturam quam habemus esse veram non supposititiam Scripturam, est verbum Dei ab Apostolis nobis reuelatum, & per Ecclesiam nobis traditum. Si igitur hæc traditio Ecclesiæ certissima est, ita vt & certitudo nostra quam de Scripturis habemus ab ea dependeat: cur non in alijs quoque traditio Ecclesiæ pro certissima habenda sit. Quare si hanc traditionem admittis Zaboroui, omnes alias admittas necesse est: quæ, Ecclesia teste, ab Apostolis acceptæ ad nos vsque deuenerunt. At dicis, istam non esse solius Ecclesiæ traditionem. quid ita? quia homines Spiritu sancto afflati (Apostolos vt puto intelligis) Ecclesiæ viua voce tradiderunt, & testificati sunt, hos qui extant libros, esse diuinos libros, & diuino Spiritu à se conscriptos. Rectè quidem. verùm hanc traditionem Apostolorum quis nobis conseruauit? quis testificatus est? quis tradidit? Ecclesia certè. Vester enim Luterus non aliud Euangelium habuit, quàm quod apud Ecclesiam Catholicã inuenit, & quod illius seculi Ecclesia à præcedentium seculorum Ecclesia per manus traditum accepit. Non igitur negari potest huius traditionis ab Apostolis acceptæ, solam Ecclesiam authorem esse. neque enim quisquam alius nobis testificatur Scripturam istam ab Apostolis acceptam esse, nisi Ecclesia. Neque verò nos negamus Apostolos id primùm tradidisse, sed de hac traditione Apostolica nobis non constat, nisi per Ecclesiam. Cùm verò dicis Ecclesiam non solùm verbum scriptum, sed etiam verbum traditum ab Apostolis conseruasse, quomodo dicere audes, solum verbum scriptum pro lege & regula fidei habuisse, cùm etiam verbum non scriptum ab Apostolis traditum, quod proculdubio regula quoque fidei est, conseruauerit?

Dilemma in Zaborouium.

Traditionis ab Apostolis acceptæ, sola Ecclesia autor.

Falsum verò esse ais, Scripturas quod sint verbum Dei sciri ex traditione Ecclesiæ. Nisi enim Deus intus persuaserit, Ecclesia nullo modo poterit. Heus vir bone, itane tibi debile & infirmum argumentum videtur, constans & perpetuum omnium seculorum testimonium, vti in traditione Ecclesiastica habetur? Si omnibus & nullo modo de veritate suspectis, hominibus asserentibus non credes, cui credes? Dic obsecro, persuasumne tibi est, quod tu ex hoc patre, & ex hac quam habuisti matre, non ex alia sis genitus? quis hoc tibi

Locuples Ecclesiæ testimonium sufficit ad persuadendum.

hoc tibi persuasit, nisi communis omnium de quorum fide dubitare non potes assertio? Quod si tibi paucorum assertio persuasit, te esse ex his & non alijs parentibus ortum, ita vt de ea re nihil dubites, & si quem dubitare scires vehementer excandesceres: quomodo tibi totius orbis, & omnium seculorum testimonium ad persuadendum non sufficit? maximè cùm non de alia re agatur, quàm quod id acciderit, & quod Apostoli testificati sint, hunc vel illum librum esse diuinæ Scripturæ librum, & à diuinis hominibus conscriptum. Quid ergo ais? Nisi Deus intus persuaserit, Ecclesia nullo modo poterit. Nunquid igitur Deus tibi persuasit, vt crederes dicentium testimonio, te esse ex his & non alijs parentibus natum? aut si ad assentiendum paucorum testimonio diuina persuasione tibi non fuit opus, quomodo ad assentiendum totius orbis testimonio diuina persuasione tibi erit opus? Nonne sentis Zaboroui, quàm absona & incredibilia loqueris? Ad assentiendum enim euidenti testimonio, lumine rationis non diuina persuasione est opus. Adducis pro te Gregorium de Valentia, quem neque intelligis, neque quid ipse dicas intelligis. Neque enim Gregor. diuinam persuasionem requirit ad credendum Ecclesiæ proponenti; sed postquam Ecclesia proposuit has vel illas res esse à Deo reuelatas, vt illis fide diuina assentiamur, non propter vlla argumenta humana, sed præcisè propter solam diuinam reuelationem, ad hoc diuina virtute & gratia opus esse ait Gregorius, cum cæteris Theologis; quod nihil ad rem Zaborouij facit.

Zaborouius seipsum non intelligit, quî Theologos intelligat?

At inquit. Cùm Ecclesia nonnisi per Scripturas cognoscitur, dici non poterit Scripturam per Ecclesiam esse cognitam. Respondeo: Absolutè loquendo prius Ecclesiam cognosci quàm Scripturas. Nam Ecclesia antequā vllæ Scripturæ noui Testamenti essent, erat & cognoscebatur per seipsam; est enim seipsa visibilis, propter visibilem fidei professionem & Sacramentorum. Porrò Ecclesia sic cognita dedit testimonium Scripturis quas habemus, quòd sint veræ & non suppositítiæ Scripturæ à diuinis viris conscriptæ: quod testimoniū est traditio Apostolica. vnde absolutè loquendo prius Scripturæ sunt cognitæ per Ecclesiam, quàm Ecclesia per Scripturas. Postquā verò sunt cognitæ per Ecclesiæ testimonium, rursus ex Scripturis cognosci noua ratione potest vera Ecclesia: siquidem in Scripturis continentur notæ & proprietates veræ Ecclesiæ, & sic sibi mutuo testimonium dant, sicut Ioannes Christo, Christus Ioanni non inutili circulo. Quocirca etsi absolutè non sit necesse Ecclesiam ex Scripturis cognosci: positis tamen & admissis semel Scripturis, inuictissimum argumentū in eis continetur ad cognoscendam Ecclesiam. Et sic author operis imperfecti ait *homil. 49. Qui vult cognoscere quæ sit vera Ecclesia, quomodo cognoscet nisi per Scripturas?* nam qui

Absolutè prius Ecclesia cognoscitur quam scripturæ.

Habet vicissim nihilominus Ecclesia testimonium à scripturis.

Ecclesiam ipsam per seipsam visibilem videre nolunt, debent eam saltem ex Scripturis, quas admittunt cognoscere; nec isti habent alium modum Ecclesiam cognoscendi. August: quoq; cùm *epistola 166.* ait, *Nos ex Scripturis & Christum & Ecclesiam didicisse*: non negat nos ab Ecclesia Scripturas accepisse, & ex Ecclesiæ testimonio eas esse veras, & non suppositicias cognouisse. *Euangelio enim*, inquit, *non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ authoritas commoueret. contra epist. fundamenti c. 5.* sed ait nos habere in Scripturis certissima ad Christum & Ecclesiam cognoscendã argumenta, & noua quadam ratione nos Ecclesiam ex Scripturis cognoscere. licet per seipsam sit visibilis. *Est enim* secundùm Augustinum *ciuitas super montem posita, quæ certum signũ hoc habet quod abscondi non potest li. 3. contra literas Petiliani c. 4.*

Porrò Zaborouius Augustinum cùm ait, Euangelio non crederem nisi me Catholicæ Ecclesiæ authoritas commoueret, ita interpretatur, quasi de seipso Manichæo & nondum conuerso loquatur. At ineptè. ostendit enim non quid Manichæus manens Manichæus crediderit, sed quid ex Manichæo factus Christianus crederet, nempe quod Euangelio non crederet, nisi propter Ecclesiæ authoritatem. quod ad rem nostram satis est. Deinde non de solo tempore suæ conuersionis, sed de præsenti etiam tempore loquebatur Augustinus; dans rationem, quare tum Manichæo Euangelium alleganti credere nollet, nempe propter Ecclesiæ authoritatem. *Si* enim *Euangelio non crederem nisi me Ecclesiæ Catholicæ auctoritas commoueret*, cur eidem Ecclesiæ non obtemperem dicenti mihi, noli credere Manichæo Scripturas interpretanti; idq; etiam indicant ipsa eius verba, non enim dixit, non credidissem nisi me commouisset, sed non crederem nisi me commoueret. Quod licet Zaborouius stylo Affricano dictum interpretetur, iniuriam tamen facit Augustino, qui vt optimus Latinitatis magister, leges linguæ latinæ seruauit semper: neque Zaborouius stylum Affricanum plus nouit, quàm Iaponicum aut Chinensem. Adhæc sicut initio conuersionis non credidit Euangelio nisi propter Ecclesiæ authoritatem, quia nullus alius tunc dabat testimonium Euangelio præter Ecclesiam: ita & ad eandem fidem habendam Euangelio, eadem Ecclesiæ authoritate commouebatur: quia nullus alius nisi Ecclesia dat testimonium Euangelio, quòd verum & non suppositium sit Euangelium.

S. Augustin. Zaborouio non bonus autor Latinitatis.

Tandem ait Zaborouius Ecclesiam non fuisse principium vltimum in quod suam fidem resolueret Augustinus, sed causam proponentem sine qua credere non potuit. Quis verò id negat? nam Euangelio quod sit verum & non suppositium Euangelium credimus propter Ecclesiæ authoritatem, ita proponentis & testificantis; admisso autem ex Ecclesiæ propositione E-

Primum principium fidei diuina autoritas.

uangelio

uangelio credimus illi propter diuinam solam authoritatam, quia quæ in eo sunt à Deo dicta & reuelata sunt. Quamuis igitur hoc verum sit, nostrum tamen argumentum de traditione Ecclesiæ manet inconcussum: nisi enim traditio & testificatio Ecclesiæ accederet, quòd Euangelium hoc sit verum & non suppositicium, non possemus ipsi Euangelio, tanquam à Deo reuelato credere. Torquet autem mentem Augustini Zaborouius, cùm ait, eum pluris veritatem, quàm Ecclesiæ authoritatem fecisse. Non enim Augustinus opponit Ecclesiam veritati, sed solùm ait demonstrari non posse aliam veritatem præter eam quæ est in Ecclesia: nam veritas ab Hæreticis promittitur tantùm non exhibetur: vnde, *Nemo*, inquit, *me mouebit ab ea fide quæ animum meum tot & tantis nexibus Christianæ religioni adstrinxit.* *Sed ad eam ducit testificatio Ecclesiæ.*

Illud verò quàm firmum pro traditionibus argumentum! Si enim scriptum Euangelium traditione ab Ecclesia accepimus; cur eadem traditione, alia quoque non scripta non accipiamus? Respondet Zaborouius. causam in promptu esse, quia traditio verbi non scripti nulla in Ecclesia fuit. Sed tã temerariæ negationis arguit te Augustinus 5. *de Baptismo contra Donatistas c. 23. Multa*, inquit, *sunt quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur: quanquam scripta non reperiantur.* Audin Zaboroui? Ecclesiam vniuersam multa credere non scripta, tanquam ab Apostolis præcepta. Quæ ergo temeritas tua est id negare, quod Augustinus cum vniuersa Ecclesia affirmat. voles fortasse quæ ea sint in particulari cognoscere. Audi eundem Augustinum. *Tu*, inquit, *vbi legisti Patrem Deum ingenitum vel innatum, & tamen verum est. 3. contra Maximinum Arrianum cap. 3.* Item *Integra fide*, inquit, *credendum est, Beatam Mariam Dei Christi matrem, & Virginem concepisse, & Virginem genuisse, & post partum Virginem permansisse: nec est blasphemiæ Heluidij acquiescendum, qui dixit, Fuit virgo ante partum, non virgo post partũ. de Ecclesiasticis dogmatibus c. 69.* quod tamen expressè in Scripturis non habetur. Idem docet Augustinus de Hæreticis non rebaptizandis. *Hanc*, inquit, *consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Concilijs posterorum: & tamen quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita & commendata creduntur; 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 7.* Idem *de Baptismo paruulorum docet 10. de Genesi ad literam cap. 23. Consuetudo*, inquit, *Matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis, nequaquam spernenda est, neq; vllo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Symbolum quoq; Apostolorum fide Catholica credi affirmat August. *de fide & Symbolo cap. 1.* quod tamen non scriptum sed traditum esse ab Apostolis constat. Iam alia quoq; quæ ad ritus Ecclesiæ spectant, com-

Si creditur Ecclesiæ per manus scripturas tradẽti, cur non & in cæteris traditionibus credatur?

vt Deum Patrem ingenitum.

Deiparam perpetuam virginem.

Non rebaptizandos hæreticos.

Baptizandos paruulos.

Symbolum Apostolorum.

Festa Christi anniuersaria.

Signum Crucis &c.

memorat Augustinus inter traditiones Apostolicas, vt quod Domini Passio, Resurrectio, Ascensio in cœlum, & Aduentus de cœlo Spiritus S. anniuersaria solennitate celebrantur *Epist. 118. ad Ianuarium.* item de signo crucis imprimendo, de cæremonijs Missæ, de ritu orandi versus Orientem, de benedicendo fonte Baptismatis, oleo vnctionis, de baptizatis ter oleo inungendis, & de abrenuntiatione sathanæ & angelis eius in Baptismo. hæc inquit & alia in hunc modum non pauca, nisi tacita ac mystica traditione à Patribus Ecclesiastico more ac reuerentiori diligentia sunt in ministerijs obseruata, magis silentio quàm publicata scripto. habetur *distinct. 11. cap. Ecclesiasticarum.* Similiter quod Eucharistia à ieiunis omnino sumenda sit, non scriptum, sed traditum esse probat Augustinus *Epist. 118. cap. 6.* Tandem concludit; *Si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare insolentissima insania est;* Ergo iudicio Augustini insolentissimæ insaniæ conuinceris esse Zaboroui, qui ab Ecclesia vniuersa receptas traditiones aut extare negas, aut seruandas non esse contendis. At non solùm Augustinus te cõdemnat Zaboroui, sed & Basilius *lib. de Spiritu S. c. 27. & 29.* dum probat, traditiones Apostolicas non scriptas retinendas esse. *Arbitror*, inquit, *Apostolicum esse etiam non scriptis traditionibus inhærere. Laudo*, inquit Apost: *1. Thess. 2. vos, quod omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis traditiones obtinetis quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam.* Deinde in *cap. 27.* enumerat pleraśq; traditiones Apostolicas non scriptas. vt, inquit, *Signo crucis eos qui spem collocârunt in Christum, signemus quis scripto docuit? vt ad Orientem versi precemur, quæ nos docuit Scriptura? Inuocationis verba cùm ostenditur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis quis Sanctorum nobis in scripto reliquit? Nec enim his contenti sumus quæ commemorat Apostolus aut Euangelium, verùm alia quoq; & ante & post dicimus, tanquam multum habentia momẽti ad mysterium quæ ex traditione citrà scriptum accepimus. Consecramus autem aquam baptismatis & oleum vnctionis, præterea ipsum qui baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne à tacita secretaq; traditione? Ipsam porrò olei inunctionem, quis sermo scripto proditus docuit? Iam ter immergi hominem vnde est traditum? Reliqua item quæ fiunt in baptismo veluti renuntiare Sathanæ & angelis eius, ex qua Scriptura habemus? nonne ex priuata & arcana hac traditione? Nonne ex doctrina quam Patres nostri in silentio, quod curiosos & otiosos submouet, seruârunt.*

Insolentissima insania est S. Augustino disputare contra traditiones.

S. Basilius probat ex Apostolo traditiones, earũque complures numerat.

S. Ignatius martyr.

S. Iustinus.

Extant quoque Apostolicarum traditionum exempla, *in Epistolis* sancti Ignatij Apostolorum discipuli, vt de ieiunio Quadragesimæ, de Ordinibus Minoribus, de die Dominico & alijs. Item apud Iustinum, qui proximus Apostolorum temporibus fuit in *fine 2. apologiæ pro Christianis.* vt quòd

Christiani conueniant singulis diebus Dominicis, quod post lectionem Scripturarum & Concionem offeratur & consecretur panis & vinum aqua temperatum, & quòd non liceat vllo modo participare de Eucharistia, nisi post Baptismum; eaque & alia dicit Christum tradidisse Apostolis ipso die Dominico Resurrectionis.

Citat quidem duos pro sua sententia Zaborouius, sed vtrumque falsè. Nam Cyrillo homilias in Leuiticum falsò adscribit. Sciunt enim docti non esse ipsius. & in Hom: 5. quam citat, solùm tertiam Scripturam, præter Scripturam noui Testamenti & veteris negat; non negat autem traditiones, quæ his, quæ in Scripturis continentur, inseruiunt & eas declarant. Theophilum etiam corrumpit. qui quod de libris Apocryphis scripsit, ipse de Traditionibus veris interpretatur. Diabolici, inquit, est Spiritus, extra diuinarũ Scripturarum authoritatem aliquid diuinum putare. hoc est, nullos esse diuinos libros præter Scripturas Canonicas vti ipsemet se declarat, contra eos qui libros quosdam apocryphos diuinos censebant. *Sublesta fides Zabor. in Patribus adducendis.* F.

Porrò cùm Traditiones damnari in Scriptura asserit, nec quid sit verbum Dei intelligit, nec inter traditiones à Deo vel hominibus profectas discrimen facit. Nam quæ à Deo profectæ sunt; siue sint libris consignatæ, siue viua voce traditæ, æquè sunt verbum Dei, & omnem vim & authoritatem verbi Dei obtinent. Talia sunt illa secundùm Augustinum, quæ vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs instituta, sed semper retenta: ea enim nonnisi authoritate Apostolica tradita rectissimè creduntur. *4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24.* Quæ verò ab Ecclesia instituta sunt ad meliorem ordinem vel ritum, ea quoque sancta sunt & seruanda, quia legitima potestate Ecclesiæ à Deo concessâ, constituta sunt: sicut autem potestati seculari, ita & spirituali obedire oportet. Quæ deniq; à priuatis hominibus instituta sunt si nihil contrarium mandatis Dei contineant obseruari possunt: vti euidentissimè exemplum Rechabitarum paulò antè recensitum docet. Si verò sint contraria legi Dei, sunt prorsus reijcienda. Et hæ sunt illæ traditiones quas *Matth. 15. 9.* Christus ipse condemnat. *Sine causa*, inquit, *me colunt docentes mandata & doctrinas hominum*, quæ vti *v. 6.* dicitur. *irritum faciunt Dei mandatum.* Porrò tales non sunt nostræ traditiones, quas ab Apostolis traditas, & ab vniuersa Ecclesia & Sanctissimis viris receptas ac retentas esse ostendimus. Quodsi Lutheranis contrariæ legi Dei videntur, ipsi errant, nec legem Dei intelligunt, Ecclesia Dei verò non errat. *Traditionum discrimen.* *Quæ Dei mãdato repugnant, abrogandæ.*

Verùm qua fronte Zaborouius audet absolutè dicere, traditiones in Scriptura damnari. cùm *2. Thess. 2. 16.* verbis disertis obseruari mandentur. *Tenete*, inquit Paulus, *traditiones quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam.* *Frons Zaborouij effrons.*

epistolam. Nam quod respondet, traditiones illas postea literis consignatas fuisse, an non temeraria fictio censeri debet? vnde enim hoc nisi fingendo ostendere potest? vti paulò ante deduximus. Certè *Ioan. in epist. sua 3.* cùm ait, *Multa habui tibi scribere, sed nolui per atramentum & calamum scribere tibi:* ostendit se noluisse illa literis tradere, *sed ore ad os loqui.* quare nunquam illa literis ab ipso commendata sunt.

CAPVT XIV.

Scripturam Sacram non continere omnia ad salutem necessaria: neq; solam per se sufficere ad salutem.

Scripturam omnia ad salutem necessaria continere, ipsa scriptura nusquam docet, & tamen sectarij credũt.

EX dictis constat solam Scripturam non continere omnia ad salutem necessaria: non enim continet omne Dei verbum, cùm multa sint Dei verbum quæ scripta non sunt. Nam & has quas habemus Scripturas esse Dei verbum credimus, quod tamen nonnisi ex traditione habemus. Et hãc propositionem, quod Scriptura contineat omnia ad salutem necessaria, Euangelici credunt, quæ tamen in tota Scriptura non reperitur. Nam plura quæ ad hanc rem probandam adducit Zabor. nihil planè momenti ad id cõcludendum habere manifestissimè demonstratur.

Zaborouius fraudem admittit in verbis scripturæ.

Primus locus est *Deuteron. 4. 2. Non addetis ad verbum, nec auferetis ab eo.* Hinc ita argumentatur. Doctrina cui nihil addi, nihil adimi debet, est in suo genere perfecta ac sufficiens: sacra Scriptura est talis doctrina: ergo in suo genere est perfecta & sufficiens. Hoc argumentum multis modis nihil concludit. Primùm quòd Zaborouius falsauit verba Scripturæ. Cùm enim Scriptura dicat, *Non addetis ad verbum quod vobis loquor:* ille per fraudem omisit [*Quod vobis loquor*] quia nimirum nisi ea fraude vsus fuisset, omnibus patuisset, hoc loco sermonem esse non de verbo Dei scripto, sed de verbo viua voce dicto. atque ita euanescere totum ipsius argumentum: quòd in hoc præcipuè fundat, quasi Deus de verbo scripto loqueretur. Secũdò quia hic sermo est non de omni verbo Dei, sed de illo particulari, quod tunc loquebatur; hoc autem erant præcepta tam cærimonialia de ritu colendi Deum, quàm iudicialia de ratione iudicandi & iustitiam administrandi. Quod si ita est, non potest ita exponi Scriptura, quasi nihil omnino ei addi possit: potest enim & debet addi aliud verbum Dei; tam quod antè

Moysen

Moysen locutus est Deus Patriarchis, quàm quod deinceps post Moysen locutus est per tot Prophetas & seruos suos; æquè enim sunt hæc verbum Dei ac illud *Deuteron.* 4. Imò cùm de quacunque verbi Dei parte in particulari dici possit, vt nihil ad eam addatur, nihil ex ea minuatur: non potest ideo sensu accipi, quasi nihil aliud pro Dei verbo habendum sit præter ipsam, cùm alia quoq; non minus sint verbum Dei. Quod si aliæ quoque verbi Dei partes possunt cum illa pro verbo Dei haberi, poterit ex consequenti addi aliquid ad aliquod verbum Dei, nempe aliud verbum Dei quod itidem Deus locutus est. Tandem cùm additio ad verbum Dei possit esse duplex: altera quæ immutat verbum Dei, altera quæ non immutat, sed alteram Dei verbi partem continet: non potest huius loci sensus is esse, vt vna pars verbi Dei non possit addi alteri parti verbi Dei; sed sensus erit: vt nihil tale addatur quod immutet aut contrarium sit. Hunc autem sensum docet ipsa Scriptura. Nam *Deuteron. 12. 32.* vbi eadem phrasi vtitur dicit: *Ne imiteris gentes nec requiras cærimonias earum*, ostendens additionem illam ad verbum Domini, quæ fit ex ritibus gentium esse prohibitam. Deinde quod hic dicit Scriptura, *Non addes, non minues*, hoc alibi alijs verbis significat; *Non declinabis ad dexteram vel ad sinistram. Deuter. 17. 20. Iosue 1. 7.* vt vel ex hoc appareat, additio non quæuis, sed quâ declinatur à verbo Domini siue ad dexteram siue ad sinistram, esse intelligenda. Porrò talis additio nihil officit traditionibus non scriptis; eæ enim, non ex ritibus gentium, sed ex verbo Christi & Apostolorum, ad nos per traditionem maiorum deducto, colliguntur: easq; scripto Dei verbo addere, est alteram verbi Dei partem addere: quod vti sanctissimum est, ita nullo modo prohibitum censeri debet. Quocirca euidentissimè apparet, nihil ex hoc loco contra verbum Dei non scriptum colligi posse: nisi dicamus vnam verbi Dei partem non licere addere alteri verbi Dei parti, quod est absurdissimum.

An aliquid ad verbum Dei addi possit.

Secundus locus *Gal. 1. 8. Sed licet aut nos aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquā quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Ex hoc loco argumentum tale conficit. Doctrina præter quam in Ecclesia sub anathemate, nihil est docendum; est perfecta & sufficiens. Sacra Scriptura est doctrina talis; perfecta igitur est & sufficiens. Hoc argumentum est non minus ineptum priore. Primùm, quòd in hoc loco non de Scriptura, sed de euangelizatione seu prædicatione agitur, non enim dicit quæ scripsimus, sed quæ euangelizauimus: Zaborou. autem ac si de Scriptura dictum esset, accipit. Secundò. Cùm constet Paulum multa alia posthac euangelizasse, Ioannemq; suam Apocalypsim & Euangelium conscripsisse: peto an Paulus idcirco sibi & Ioanni dixerit anathema, vel non? si dixit anathema,

Euangelizare Zaborouio significat scribere.

id & absurdum & blasphemum est. Si non dixit: consequens est non omnibus præter ea quæ tunc euangelizata erant à Paulo, euangelizantibus dici anathema. Qui enim aliam verbi Dei partem euangelizant, anathemati nequaquam subiacent. Tertiò, de quacunque verbi Dei parte dici potest, si quis euangelizet, præterquã quod in ea euangelizatum est, sit anathema: neq; tamen inde licebit concludere non esse euangelizandam aliam verbi Dei partem. Quartò, particula illa *præterquam*, significat aliter quàm eunagelizatum est; seu contrario modo. Ait enim Paulus contra eos qui conturbabant & volebant conuertere Euangelium Christi, vt ipse ait v. 3. non agit autem contra eos qui plura euangelizant, quàm ad illud tempus Galatis euangelizauerit Paulus. Hinc igitur ruit totum argumentum Zaborouij: nam neque Paulus de verbo scripto; sed absolutè de verbo hic loquitur: neque ea quæ præter verbum euangelizantur diuersa intelligit, sed contraria & pugnantia; quo etiam sensu Augustinus *3. contra literas Petiliani cap. 6.* loquitur. & quæ Paulus de verbo absolutè pronunciat, id ad verbum quoq; scriptum applicat Augustin. Quare maior argumenti Zaborouij hoc sensu est falsa, & conclusio nulla.

Euangelizatis pugnãtia & contraria solùm prohibet Paulus euangelizari non plura.

Tertius locus est *Ioan. 5. 39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in eis vitam æternam habere.* Si igitur Iudæi approbante Christo putabant se in Scripturis vitam æternam habere, id est doctrinam ad consequendam vitã æternam sufficientem. multò magis nos, postquam ad legales libros, Apostolici quoq; libri accesserunt. At nihil ait Zaborouius. Nam ex hoc loco nullo modo colligi potest, vel in solis Scripturis esse vitam æternam, seu doctrinam ducentem ad vitam æternam, vel quòd doctrina scripta, sit absque alia doctrina non scripta, sufficiens ad vitam æternam consequendam. Primùm ostendo, quia Christus postquam triplici alia via extra Scripturam ostendisset se esse verum Dei Filium, nempe ex testimonio Ioannis Baptistæ, ex testimonio Patris cœlestis, ex miraculis factis: tandem vt omnia experiretur, recurrit ad testimonium Scripturarum. Potius igitur ex hoc loco probatur non in solis Scripturis esse doctrinam salutarem, sed in alijs quoque testimonijs etiamsi solùm viua voce editis. Deinde inepta est consecutio. In Scripturis putabant Iudæi se vitam æternam habere, ergo in solis Scripturis. A Scripturis absolutè ad solas Scripturas ineptus est arguendi modus. Neque enim quicquid Scripturis conuenit, necesse est solis Scripturis conuenire: possunt enim multa Scripturis cum ijs quæ scripta non sunt esse communia; nã simili ratione male concluditur, qui credit in Filium Dei habet vitam æternam, ergo soli fidei in Filium Dei, non in Spiritum S. debetur vita æterna. aut si manducanti Corpus & Sanguinem Christi promittitur vita æterna, ergo soli

Malè scrutatus est hanc scripturam Zaborouius.

Non vidit antecedentia:

Ineptè deduxit consequẽtiam tam priorem de solis scripturis.

go soli Eucharistiæ promittitur vita æterna. Cùm igitur hoc in loco dicatur quod Iudæi putarent se in Scripturis vitam æternam habere: ineptè infertur à Zaborouio quod in solis Scripturis, maximè cùm Christus extra Scripturas tribus alijs rationibus hanc vitam æternam hoc est doctrinam de Messia salutarem ostenderit Iudæis. Adhæc si in Scripturis est vita æterna, quia continent verbum Dei, quod est verbum vitæ æternæ: sequitur etiam in traditionibus non scriptis esse vitam æternam; siquidem eæ continent verbum Dei non scriptum.

Secundum etiam ostendo. Neque enim ex eo quod Scripturæ tribuitur vita æterna, sequitur in Scriptura esse ea omnia, quæ ad vitam æternam cósequendam sunt necessaria, & Scripturas per se solas esse sufficientes ad salutem. Nam etiam Fidei tribuitur vita æterna: cùm tamen præter fidem multa alia ad vitam æternam consequendam sint necessaria; vt Baptismus, Sacramenta, Pœnitentia, & bona opera. Neque dum Baptismo tribuitur salus, excluduntur cætera omnia non minus ad salutem necessaria quàm Baptismus, vt pœnitentia. Neque ex eo concluditur solum baptismum esse sufficientem ad salutem. Pari ergo ratione ineptè infertur si in Scripturis est vita æterna, ergo solæ Scripturæ sunt sufficientes ad salutem. Miseret me tam rudium Theologorum. Quando igitur vel Scripturis, vel Fidei, vel Baptismo, vel Eucharistiæ tribuitur vita æterna, non est sensus quòd singula ista contineant omnia ad vitam æternam necessaria, sed quòd singula habent vim magnam ad vitam æternam consequendam, si cætera non desint. Vnde ruit argumentum Zaborouij. Licet enim Iudæi vitam æternam habere se in Scripturis putabant, non tamen sequitur, omnia ad vitam æternam necessaria in Scripturis habuisse.

quàm posteriorem de sufficientia earum ad salutem.

Quarto sic argumentatur Zaborouius: Si Scriptura est Testamentum prudentissimi testatoris, vltimam eius voluntatem continens, nihil ei addi nihil detrahi debet, proinde nec supplemento traditionum indiget. Malè arguit Zaborouius: primùm; quia testamentum quod Christus fecit, siue in vltima cœna, vti nos docemus, siue in cruce, vti Euangelici volunt, non est scripta sed viua voce celebratum. traditum fuit, non scriptum; licet postea à diuersis scriptoribus diuersa, ad hoc testamentum pertinentia fuerint scripta, alia viua voce tradita, quia alioqui, vti D. Ioannes ait, innumeri libri essent scribendi, si omnia ad hoc testamentum facientia conscribenda essent. Secundo: Esto quòd omnia aliquomodo scriptis essent comprehensa: adhuc tamen locus traditionibus esset. nam hæ ipsæ Scripturæ indicant, & tenere iubent traditiones Apostolicas viua voce traditas & non scriptas. ex quo apparet multa solùm in generali in Scriptura contineri, quæ in particulari ab

Coarctat Zaborouius vocabulum Testamenti vt splendidè fallat.

culari ab Apostolis viua voce sunt tradita. Tertio. Probandum prius Zaborouio erat, omnia ad testamentum & vltimam voluntatem Christi spectantia, scriptis esse comprehensa. Si enim præcipua tantùm & non omnia sunt scriptis consignata, non sequitur: Scripturis nil addi, nil detrahi posse, cùm multa alia sint ad testamentum spectantia quæ scripta non sunt, sed tradita duntaxat. At quia hoc Zaborouius in æternum probare non poterit, idcirco nihil suo argumento aliud concludit, nisi toti Testamento vt omnem Christi voluntatem vltimam comprehendit, siue illud sit scriptum, siue traditum, addi & detrahi nihil posse. Quod facile concedimus. Nihil enim pro verbo Dei à nobis habendum est, nisi quod sit vel scriptum vel traditum. Quanquam si de ea additione sermo sit, per quam adduntur ea quæ contraria sunt Scripturis, nec à Deo vel Apostolis tradita probantur, non diffitemur eas additiones esse prorsus reijciendas; quo sensu pleriq; Patrum, quos Zaborouius adducit, loquuntur: qui etiam aliquando dicunt omnia in Scripturis contineri, aut in particulari aut in generali, ita vt semper locus sit traditionibus ad res fidei in particulari explicandas: quando eæ in generali tantùm in Scripturis continentur, vel non expresse & sufficienter indicantur

Quis sensus Patrum de non addendo quicquam diuinis literis.

Inuictum Zaborouij argumetum multis modis succumbit. 1.

Quinto. Argumentum inuictum deduci ait, ex illis D. Ioannis verbis, *Ioan. 20. 31. Hæc scripta sunt vt credatis, & credentes vitam habeatis.* Si enim, inquit, Scriptura ea continet, quæ credendo habemus vitam æternã, sequitur Scripturam solam ad salutem sufficere. Inepta argumentatio. Primùm, quia hoc loco agitur non de omni verbo Dei scripto, sed tantùm de aliquibus *quæ fecit* IESVS, quæq; Ioannes descripsit; ita enim ait: *Multa quidem & alia signa fecit* IESVS &c. hæc autem *signa* scripta sunt: Si ergo vera est Zaborouij argumentatio, signa Christi descripta à Ioanne sufficient ad salutem, & continebunt omnia necessaria, siquidem ea credentes vitam
2. æternam consequuntur Ioanne teste. quod quia per se absurdum est, absurda quoque censeri debet Zaborouij argumentatio. Deinde paulò ante ostendimus ineptam esse similem illationem. Si enim quis credendo Symbolum Apostolorum rectè dicitur habere vitam æternam: an inde sequitur solùm symbolum sufficere ad salutem, & continere omnia ad salutem necessaria, & Scripturas credenti Symbolum non esse necessarias? Similiter credens Euangelium Ioannis *habet vitam æternam*: ergo alia Euangelia credẽda non sunt, & solùm Ioannis Euangelium est sufficiens ad salutem? Aut si credens Scripturis veteris Testamenti habet vitam æternam: ergo solùm vetus Testamentum credendum est, & sufficit ad salutem? Quis tam ineptas
3. argumentationes æquis auribus ferat? Tertio. Ioannes id pronunciauit de scriptis

scriptis in suo Euangelio, atqui multa non sunt scripta in Ioannis Euangelio ad salutem necessaria, vt de Natiuitate Christi, de Epiphania, de Circumcisione, de Cœna & institutione Eucharistię, quæ ab alijs Euangelistis conscripta sunt. Non igitur potest ita exponi, vt quæ ab ipso conscripta sunt, sola per se sufficiant ad salutem, & contineant omnia necessaria ad salutem. Nã quod respondet Zaborouius, secundùm nos in *cap. 6.* Ioannem egisse de Eucharistia; id nihil ad rem est, aliud enim est promissio panis qui sit caro Christi, quod habetur *Ioan. 6.* aliud est ipsa Eucharistiæ institutio & exhibitio, quam Ioannes non cõmemorat. Calicis etiã noui Testamenti nullam prorsus fecit mentionem Ioannes. Deinde locum dictum Ioannis, Zaborouius cum suis negat omnino de Eucharistia intelligendum esse: in sua igitur opinione negare non potest, cœnam Eucharisticam à Ioanne omissam.

At obijcit Augustinum *Tractatu 49. in Ioannem. Electa sunt quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur.* & Cyrillum *in 12. Ioannem cap: vltimo.* Non omnia, inquit, quæ fecit Dominus conscripta sunt, sed quæ scribimus tam ad mores, quàm ad dogmata putârunt sufficere. Verùm Zaborouius inprimis ex Scripturis id non potuit probare. Patrum verò testimonium apud illum est infirmum, ad libitum enim ab eo admittitur & reijcitur. Deinde Patres dicti non dicunt absolutè omnia ad salutem necessaria conscripta esse: plurima enim ijdem Patres non scripta agnoscunt esse ad salutem necessaria, sed quòd ex ijs quæ scribenda iudicârunt, hæc solùm elegerunt conscribenda, tanquam ad salutem necessaria: cætera verò non scribenda, sed viua voce tradenda iudicârunt. Ex quibus concluditur sensum Ioannis esse, non quod ea quæ scripsit sola sufficiant ad salutem, & omnia credenda complectantur: sed quòd ea quæ scripsit conferant credentibus ad salutem, si cætera non desint; ex se enim magnam vim habent ad conferendam salutem. Frustra verò obijcit Ioannem absolutè non de magna vi loqui, id enim non ex verbis, sed ex sensu verborum colligendũ est.

Mens Augustini & Cyrilli.

Sexto. Vrget locum *2. Tim. 3. 16. Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Quem locum omnium ineptissimè tractat Zaborouius. Nam inprimis contra communem omnium sensum interpretatur, omnis, id est tota; vtilis, id est sufficiens. Denique Scripturæ nomine noui Testamenti Scripturam intelligere videtur; quæ omnia falsa esse facilè ostenditur. Nam inprimis loquitur Paulus de omni Scriptura quæ est diuinitus inspirata: at non solùm tota simul, sed etiam singuli Scripturæ libri sunt diuinitus inspirati; ergo de omnibus & singulis Scripturæ libris loquitur, non de sola collectione omnium Scripturarum. Cùm igitur singuli Scripturæ libri per se accepti non sint

Hallucinatur Zaborou. vt si vnquam aliàs.

1. *Omnis, id est Zaborouio tota.*

sint sufficientes ad salutem ; singuli enim non continent omnia ad salutem necessaria : sequitur non docere Paulum omnem Scripturam diuinam esse sufficientem ad salutem, vti falsò putat Zaborouius. Secundo. Aliud est esse vtilem, aliud sufficientem : neque ex eo quod aliquid est vtile concludi potest quod sit sufficiens, vt innumeris exemplis manifestum est. multa enim sunt vtilia quæ tamen sola non sufficiunt. Vtilis est exercitatio corporis ad sanitatem, neque tamen sola sufficit, cùm & medicinis & victus ratione sæpe sit opus. Neque verò cùm addit Paulus, *vt perfectus sit homo Dei & ad omne opus bonum instructus*, inferri potest solam Scripturam, omnem eum perfectionem conferre, sed solùm ad eam assequendam prodesse & vtilem esse, alijs tamen non exclusis. Tertio. Paulus de Scriptura veteris Testamenti loquitur hoc loco: *Ab infantia*, inquit, *Sacras literas nosti*, (quo tempore non erat Scriptura noui Testamenti) *quæ te possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in* CHRISTO IESV. Huius autem rationem dat ex generali illo principio, quod omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum : ergo & Scriptura veteris Testamenti erit tibi vtilis ad te instruendum. Si igitur esse vtilem, est esse per seipsam sufficientem : sequeretur solam Scripturam veteris Testamenti ex sententia Pauli fuisse per seipsam sufficientem Timotheo ad omnia sine Scriptura noui Testamenti. Quod quia Zaborouius non admittet, suam expositionem ex qua id sequitur, damnare debet. Temerè igitur & absq; vllo fundamento asserit Zaborouius, omnia ad salutem necessaria scriptis consignata esse. Vnde enim hoc paradoxum probat? nam quæ affert, iam refutata sunt. Nonne, vt cætera taceam, ad salutem necessaria erant illa, de quibus *Ioan. 16. 12.* Christus ait : *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò : cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Vbi verò ista omnia, in quibus enarrandis 40 post suã Resurrectionem dies insumpsit Christus, loquens Apostolis de regno Dei. Vbi est illa omnis veritas, propter quam manifestãdam Apostolis Spiritus S. visibiliter est missus. Neque enim dubium est grauissima illa fuisse, ad quæ enarranda & Christus 40 diebus in terra mansit, & Spiritus S. tam mirabili & stupenda ratione de cœlo missus est. ex quibus tamen vix pauca aliquot in epist Apostolorũ insinuata potiùs quàm explicata videmus. Quis credat tam pauca, post tam magnifica promissa, Christum & Spiritum S. Apostolis reuelasse. Nam futile est quod ait Zaborou. Christum ea tantùm, quæ Apostolis mors eius excusserat, in memoriam reuocasse. Christus enim dixit se multa alia habere ad dicendum : non igitur ea tantùm quæ ante dixit, in memoriam reuocauit, sed noua & ante non dicta eos edocuit.

[Margin notes:]
2. *vtilis, id est sufficiens.*
3. *Ab infantia scripturam noui Testamenti didicit Timotheus, quæ nec dum in rerum natura fuit.*
En quibus angustijs sectarij circumscribunt mysteria regni Dei!

Huc facit-

Huc facit quòd non omnia diuina ſcripta tam ad vetus, quàm ad nouum Teſtamentum pertinentia habeamus: in quibus proculdubio multa ad ſalutem ſpectantia fuiſſe, minimè dubitandum eſt. Nam quod ad vetus Teſtamentum attinet, multa ſcripſit Salomon, & alij Prophetæ, quæ nunc nõ extant, Salomon quidem vti *3. Reg. 4.* habemus, locutus eſt tria millia parabolarum, & fuerunt carmina eius quinque millia, & hæc vbi ſunt? hæc enim omnia diuinitus ſibi conceſſa ſapientia conſcripſit, & minimè profana, ſed cœleſti & diuina ratione, vti & cætera. Ex Prophetis verò Nathan & Caiad Prophetæ ſcripſerunt geſta Dauid priora & nouiſſima, vt habetur *1. Paralip: vltimo.* Item opera Salomonis ſcripta ſunt in verbis Nathan Prophetæ, & in libris Achiæ Silonitis: in viſione quoque Addo Videntis, vt dicitur *2. Paralip. 9.* ad quæ cùm ſe Scriptura referat, eo ipſo ſacram eſſe hiſtoriam indicat, tanquam alijs quæ habentur in Scriptura hiſtorijs perſimilem.

Multa diuinarum literarum intercidère veteris Teſtamenti.

In nouo vero Teſtamento Epiſtola ad Laodicenſes ſcripta interijt, quã memorat Paulus *Coloſſ: 4. 16. Cùm lecta fuerit apud vos epiſtola hæc, facite vt & in Laodicenſium Eccleſia legatur, & eam quæ Laodicenſium eſt vos legatis.* Nam cùm Zaborou. negat vllam epiſtolam ad Laodicenſes ſcriptam quod in Græco dicatur ϗ τὴν ἐκ λαοδικείας ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε id minimè obſtat: nam ſicut ex Coloſſenſi Eccleſia voluit epiſtolã ad ipſos ſcriptã legi apud Laodicenſes: ita ex Laodicenſi viciſſim Eccleſia voluit epiſtolã ad ipſos ſcriptam legi apud Coloſſenſes, vt eſſet mutua epiſtolarũ ad ipſos ſcriptarũ communicatio. Alioqui non conſtabit quæ ſit illa epiſtola ex Laodicea; an quam Paulus ad Timotheum Laodiceæ ſcripſerat? At hæc epiſtola cùm fuerit pro priuata perſona ipſius Timothei, ipſum in officio ſuo inſtruens, non videbatur ad communem fidelium cætum ſpectaſſe, vt in Eccleſia omnibus publicè legeretur. Cur verò ex loco ex quo eſt data, & non potius ex perſona ad quam eſt data nominaretur? omnes enim ſuas epiſtolas Paulus ex perſonis ad quas ſcribebat nominare ſolitus ſemper fuit, ijſque titulum non à loco, ſed à perſona ad quam ſcribebatur præfixit. Quare & hic cùm epiſtolam ex Laodicea nominat, non quia Laodiceæ ſcripta ſit, ſed quia à Laodicenſibus quò ſcripta erat, erat accipienda. Adhæc cùm epiſtola ad Timoth: fuerit ante aliquot annos ſcripta Laodicea à Paulo; non eſt veriſimile, quod tam tarde illam communicari Coloſſenſibus voluerit. imò non à Laodicenſibus, ſed à Timotheo petendam potius ſcripſiſſet: apud illos enim epiſtolæ haberi ſolent, ad quos ſcribuntur, & ab ijs exigendæ ſunt. Deniq; mandaſſet potius Timotheo Paulus, vt ſuam Coloſſenſibus epiſtolam communicaret, ſicut hic mandat Coloſſenſibus vt ſuam communicent Laodicenſibus. An forte quis cum Chryſoſtomo dixerit, epiſtolam ex Laodicea non

Et noui epiſtola ad Laodicenſes.

Alia hæc fuit ab ea quæ ad Timotheum.

Neque ſcripta ab Laodicenſibus.

eam intelligendam esse quam Paulus Laodicea scripserit, sed quam Laodicenses ad Paulum dederint? at id non admodum probabile est. Cùm enim Laodicea à Laodicensibus multæ epistolæ scriptæ fuerint & ad multos, nihil constaret: nec quæ epistola, nec ad quem scripta legenda esset Colossensibus: sicut constat ex communicatione literarum Colossensium, literas quoque Laodicensium communicandas fuisse. Deinde quid tam magnum continere censenda est epistola illa Laodicensium, vt publicè in Ecclesia legenda præciperetur à Paulo. nam si ad Paulum Laodicenses scripserunt, ea vel dubia ac quæstiones de rebus fidei & morum continebant, vel statum illius Ecclesiæ siue bonum siue malum declarabant. At neutra ratio sufficiens videtur, vt legi publicè præciperetur. Nam quæstiones & dubia de fide vulgaribus fidelibus parùm prodesse poterant, imò & obesse. Statum verò illius Ecclesiæ multò melius explorare poterant per eum, quem cum suis literis iussu Pauli Laodiceam mittebant, vel cùm secum familiarius agerent, non deerant aliæ mutuæ de rei Christianæ statu communicationes. Neque verò mirum multis veterum hanc epistolam ignotam fuisse, vt ex Tertulliano contra Marcionem apparet. Primis enim ipsis post Apostolos temporibus, ob exemplarium defectum & paucitatem interire potuit; quod & multis alijs scriptis Apostolicis verisimile est accidisse. Quis enim in animum inducat Apostolos tam paucas epistolas scripsisse, alios verò ne scripsisse quidem? maximè cùm tot Ecclesiarum curam agerent, quas cùm per sermonem cōfirmare in fide non possent, nec ad eorum dubia & quæstiones satisfacere, per epistolas idipsum fecisse, vero quàm simillimum est. Friuolum verò est quod ait Zaborouius Apostolos fusius quidem docuisse viua voce, non tamen plures articulos proposuisse quàm scripserint. Nam si docendo viua voce non solùm plura verba, sed etiam plures res proposuerunt suis auditoribus, vt ex ante dictis patet: quomodo non plures articulos fidei docuerunt: plures enim res ostendunt plures articulos fidei: ex quo genere sunt illa, de quibus Paulus: *Cætera cùm venero disponam.* & *Tenete traditiones quas accepistis siue per sermonem, siue per epistolam.*

Cur veterum multis ignota.

Apostoli non pluribus verbis solùm, sed & plures res docuerunt, quàm scripserunt.

Quanquam & illud magnum argumentū est, Apostolos non omnia absolutè scriptis suis comprehendere voluisse, sed tantùm ea quæ attentis tunc circumstantijs rerū & necessitatibus ad scribendum necessaria iudicabunt: quod perspicuè patet tū in Euangeliorū tū in Epistolarū scriptione. Nam quod ad Euangelia attinet, nullus ita scripsit Euangelium, vt omnia quæ ad Euangelium spectant, complecteretur: sed multa omisit Matthæus quæ Lucas & Ioannes adnotârunt, hi rursus pleraq; neglexerunt, quæ alij conscripserunt Euangelistæ. ni ita esset, quorsum tot Euangelia? vnum enim sufficeret. Cùm ve-

Nulli Euangelistarū fuit propositum omnia Christi gesta comprehendere.

Cùm verò Lucas ait *c. 1. 3.* Visum est mihi assecuto omnia à principio, diligenter ex ordine tibi scribere, vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es veritatem, ad maiorem quidem confirmationem veritatis à se prędicatæ ait se scripsisse Euangelium, nullo tamen modo innuit se omnia nullo prætermisso scripsisse: multa enim sunt quæ apud ipsum non habentur, apud alios Euangelistas habentur, vt vel initium ipsum Euangelij Ioannis abundè docet. Neque verò id blasphemè à nobis asseritur, vti stolidè Zaborouius obijcit, & non probat. Solùm enim necessitate quæ tunc ex rerum statu & conditione se offerebat, dicimus impulsos Euangelistas ad scribendum, v. g. occasione hæresis Ebionis & Cherinti, Euangelium multis de diuinitate Christi testimonijs plenum scripsit S. Ioannes, teste Hieronymo *de Scriptoribus Ecclesiasticis:* alijs item necessitatibus alij quoque Euangelistæ se accommodabant, ad maiorem confirmationem prædicati Euangelij. nunquam verò hoc in animum induxerunt, vt omnia omnino nulla re prætermissa, suo Euangelio complecterentur. Vnde etiam plures Apostoli suum Euangelicæ prædicationis munus viua tantùm voce perfecerunt, nec vllum suis auditoribus Euangelij scriptum codicem reliquerunt: Neque tamen idcirco se officio suo defuisse vlla ex parte iudicârunt. Quod verò ad epistolas attinet, epistolæ ipsæ loquuntur, quod nonnisi ex oblatis occasionibus, & necessitatibus conscriptæ sunt: vel vt quæstiones & dubia à certis Ecclesijs proposita soluerentur, vel vt vitia quædam in nouellam Ecclesiam irrepentia castigarentur: vel vt labantibus animis robur aliquod & firmitas adderetur: alioqui cur ad aliquas tantùm Ecclesias & non ad omnes conscriptæ sunt? cur non vniuersè ad omnes fideles? Quocirca cùm infert Zaborouius Apostolos & Euangelistas necessitate propagandæ, defendendæ, retinendæ veritatis compulsos esse ad ea quæ nobis reliquerunt, scribenda: id infert quod nemo negat. Nos enim non negamus necessitatem, sed eam dicimus ex occasionibus varijs oblatam esse, nec vniuersalem toti Ecclesiæ fuisse, sed particularium tantùm nationum vel Ecclesiarum. Denique non tantam fuisse necessitatem vt omnia prorsus nullo omisso, conscribenda necessariò putarent.

Epistolæ quoque pro opportunitate vel necessitate scriptæ.

Malè verò habet Zaborouium quod Pædobaptismum cum August: & Basilio suprà citatis, & alijs quamplurimis Patribus inter traditiones non scriptas retulerim, cùm Catechismus Tridentinus eum ex Scripturis probare contendat. Verùm Zaborouio respondemus, quod olim Augustinus respondit Donatistis, dubio 2. de Baptismo contra Donat. c. 4. Postquam enim multis Scripturæ testimonijs probasset, hæreticos non esse rebaptizandos, addit: *Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi Ecclesiæ vniuersæ cõcordissima authoritate firmatum.* Nisi enim Scripturas Ecclesiæ perpetua traditione

Baptismus paruulorum ex solis scripturis, citra Ecclesiæ autoritatem sufficienter probari nequit.

ditione & authoritate firmatas & explicatas haberemus, nec nos ipsi ex puris Scripturis auderemus id asserere. Nam quod pueris ad Baptismum aliena fides sufficiat, nec propria vti Luterus requirit, requiratur; id clare in Scripturis non habetur: à nobis tamen ex Scripturis deducitur, quia Scripturis traditionem iungimus, quæ hoc modo Scripturas intelligendas docet. Deinde si nos ex illo loco *Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest videre regnum Dei*, infantium baptismum deducimus; certe Euangelici qui hunc locum de baptismo aquæ intelligendum negant, nec traditiones admittunt vllo modo id deducere, nisi coniecturis probabilibus possunt. Quin & ipsa Baptismi forma, an sit viua voce necessariò proferenda, vel an satis sit abluere aqua, non dicendo *Ego te baptizo*, sed re ipsa baptizando, sicut re ipsa damus Eleemosynam in Dei nomine, etiamsi non dicamus nos dare eleemosynam in nomine Dei: hæc inquam & similia quomodo ex solis Scripturis sine traditione Ecclesiæ probari possunt? vti benè vrget Maldonatus in *Matthæum. cap. 28.* quod solum argumentum satis esse posset ad traditiones conuincendas. Nugatur vero Zaborouius, cùm ait ritus circa Sacramenta Christum proprie exemplo docuisse, eosq; Apostolos monimentis literarum prodidisse: vbi enim hoc Apostoli scripserunt, viua voce pronunciari debere, Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus S. ita vt nisi hoc fiat, irritus esset Baptismus? Crepet licet Zaborouius nodum hunc dissoluet nunquam.

CAPVT XV.

Luteranos & Caluinistas verbum Dei detruncasse, & mutilum reddidisse.

Zaborouius non diffitetur sacrilegium.

NImis clarum est, Euangelicos non paucos tam veteris quàm noui Testamenti libros temere sustulisse. Nam ex veteri Testamento Additiones Danielis & Hester, item Iudith, Baruch, Tobiam, Sapientiam quæ dicitur Salomonis, Ecclesiasticum, Machabæorum libros reiecerunt, vti Zaborouius quoque hic non diffitetur. Ex nouo autem Luterus sustulit epistolam ad Hebræos, Iacobi. & secundam Petri, Apocalypsim, quos tamen omnes Ecclesia, Sacros & Canonicos semper fuisse declarauit per Innocentium Primum, qui omnium sacrorum librorum canonem primus confecit. Deinde in Concilio Carthaginensi, cui interfuit Augustin. & subscripsit, ita vt post nullum ea de re in Ecclesia fuerit dubium. Quocirca falsum est quod ait Zaborouius

borouius, hos libros à veteri Ecclesia pro apocryphis & non canonicis habitos fuisse. Nunquam enim Ecclesia definiuit hos libros apocryphos esse & ad canonem non admittendos. Quamuis enim antequam definitio Ecclesiæ accederet, plerique ex veteribus de eis dubitârint, aliqui etiam asseruerint apocryphos esse, tamen accedente declaratione & definitione Ecclesiæ, omnis illico dubitatio sublata est: omnesq; dicti libri ab Augustini temporibus certo & constanter pro sacris habiti sunt. Eundem enim Catalogum librorum sacrorum recensuit nostris temporibus Concilium Tridentinum, quem recenset Augustinus *2. de Doctrina Christiana, cap. 8.* vbi in particulari hos quos Zaborouius vocat Apocryphos, inter Canonicos ab Ecclesia vniuersa receptos connumerat: quod satis esse deberet ad impudentiam Zaborouij coërcendam. Si enim Augustinus cum vniuersa Ecclesia approbante & recipiente testantur esse Canonicos, quantulus est Zaborouius vt se tantæ authoritati opponat? Sed libet id verbis ipsius Augustini exponere. Sic enim ait, loco citato:

Frustra quærit complices in veteri Ecclesia.

Totus Canon Scripturarum his libris continetur, quinque Moyseos, id est, Genesi, Exodo, Leuitico, Numeri, Deuteronomio, & vno libro Iesu Naue, vno Iudicum, vno libello qui appellatur Ruth, qui magis ad Regnorum principia videtur pertinere. deinde quatuor Regnorum, & duobus Paralipomenon, non consequentibus, sed quasi à latere adiunctis simulq; pergentibus. Hæc est historia quæ sibimet annexa tempora continet atque ordinem rerum. Sunt aliæ tanquam ex diuerso ordine, quæ neque huic ordini, neque inter se connectuntur, sicut est Iob, & Tobias, & Hester, & Iudith, & Machabæorum libri 2. & Esdræ duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam, vsque ad Regnorum vel Paralipomenon terminatam. Deinde Prophetæ: in quibus Dauid vnus liber Psalmorum, & Salomonis tres, Prouerbiorum, Cantica Cāticorum, & Ecclesiastes. Nam illi duo libri, vnus qui Sapientia, & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Iesus filius Siracheos scripsisse constantissimè perhibetur. Qui tamen quoniam in authoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi sunt. Reliqui sunt eorum libri qui propriè Prophetæ appellati sunt, duodecim Prophetarum libri singuli; qui connexi sibimet, quoniam nunquam seiuncti sunt pro vno habentur: quorum Prophetarum nomina sunt hæc, Oseæ, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor Prophetæ sunt maiorum voluminum, Esaias, Ieremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris veteris Testamenti terminatur authoritas. Noui autem quatuor libris Euangelij, secundùm Matthæum, secundùm Marcum, secundùm Lucam, secundùm Ioannem: 14.

Idem Catalogus librorum diuinæ scripturæ ab Augustino recensitus & Concilio Tridentino.

Epistolis Pauli Apostoli, ad Romanos, ad Corinthios duabus, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Thessalonicenses duabus, ad Colossenses, ad Timotheum duabus, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri duabus, tribus Ioannis, vna Iudæ, & vna Iacobi, Actibus Apostolorum libro vno, & Apocalipsis Ioannis libro vno. In his omnibus libris timentes Deum, & pietate mansueti, quærunt voluntatem Dei. Hæc Augustinus.

Neque verò calumniari potest Ecclesiam, quod ex Apocryphis & non Canonicis effecerit Canonicos; hoc enim nos non asserimus, nec vllus sanæ mentis dicere potest. id verò quod dicimus est, Ecclesiam declarasse eos fuisse semper Canonicos, licet ab aliquibus pro dubijs sint habiti. Porro paucorum quorundam dubitatio, nihil auctoritatis his libris derogare debet: nam inprimis vix aliquis est Scripturæ liber de quo aliquando non fuerit dubitatum, cùm de ipsis quæ habemus Euangelijs dubitatum sit. Neque tamen hæc paucorum dubitatio, pòst quam vniuersæ Ecclesiæ testimonio tandem sublata est, nobis dubitationem iure debet ingerere. Etenim quamuis aliqui dubitauerint, alij tamen pro certo contrarium habuerunt; quibus accedente Ecclesiæ declaratione, quæ cùm à Spiritu sancto dirigatur, fallere non potest, omne prorsus dubium sublatum est. Neque verò quia aliqui in Ecclesia veteri dubitârunt, ideò Ecclesia ipsa de ijs dubitasse, vel etiam pro apocryphis habuisse censenda est. Nunquam enim Ecclesia decreto suo declarauit eos apocryphos; nunquam eos à Canone librorum Sacrorum excludendos censuit: neq; priuatorum aliquorum opinio toti Ecclesiæ tribuenda est. Quamdiu enim Ecclesia aliquid non declarat nec definit esse de fide, liberum est priuato cuiq; eam, quam verisimiliorem iudicauerit sententiam sequi, cum ea animi præparatione, vt Ecclesiæ definitioni acquiescere velit. Quod & Augustinus fecit, qui pòst declarationem Innocentij Primi & Concilij Carthaginensis ab vniuersa Ecclesia recepti, nullum dubium de Sacris libris habuit, etiamsi plerique in Canone Iudæorum non essent. *Machabæorum*, inquit, *libros non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habent.* similiter Hieronymus authoritate Concilij Nicæni permotus, recepit in numerum librorum Canonicorum, librum Iudith, etiamsi in Canonone Hebræorum non haberetur.

Paucorum dubitatio nõ præscribit Ecclesiæ autoritati.

Iure igitur asserimus Euangelicos magnam verbi Dei scripti partem detruncasse, & mutilam fecisse. Primùm quod eos libros apocryphos fecerint, quos Ecclesia vetus nunquam apocryphos esse decreuit: imò quos disquisitione facta in Canonem librorum Sacrorum retulit, & per totum mundum pro Sacris haberi voluit. Secundò, quòd in Canone librorum Sacrorum, neque cum Ecclesia, neq; cum vllo ex Patribus veteribus, neque secum ipsi consentiant,

Conuincũtur detruncatæ scripturæ nouatores.
1.
2.

consentiant. Non cum Ecclesia; quia hæc postquam Canonem Sacrorum librorum confecit, in eũ omnes dictos libros, quos Euangelici damnant, retulit, in eaq; traditione à mille trecentis annis constanter perseuerat. Non cũ veteribus Patribus ante tempora Augustini; nam ex ijs quos pro se adducunt cum nullo in omnibus consentiunt. Adducit enim Zaborouius pro se Melitonem apud Eusebium *l. 4. c. 25.* Origenem apud eundem *lib. 6. c. 25.* Cyprianum in *Symbolo.* Athanasium in *Sinopsi.* Hilarium *Præfatione in Psalmos.* Nazianzenum *in carmine de genuinis sacræ Scripturæ libris.* Hieronymum *in Prologo Galeato.* verum ex his multi admittunt librum Hester, vt Origen. Hilarius, Hieronymus; Athanasius etiam nihil certi determinat. Iudith etiam librum admittit ad canonem Hieronym. Hilarius verò quosdam scribit, librũ Tobiæ & Iudith admittere, quibus ipse non cõtradicit. De Sapientia & Ecclesiastico dubiè loquitur Epiphanius. Refert & Eusebius *lib. 3. c. 25.* à nonnullis dubitatum esse de Apocalypsi, de Epistola Iacobi & Iudæ. Petri quoq; secunda, & item Ioannis secunda & tertia, quos tamen libros alij admiserunt. Non igitur in Canone librorum cum veteribus Patribus conueniunt Euangelici, quos enim illi admittunt, isti reijciunt; & de quibus illi dubiè loquuntur, isti certò pronuntiant; & cùm illi in ijs in quibus dubitabant, Ecclesiæ definitioni se subijcerint, isti Ecclesiam nihil curant. At neque inter se conueniunt: nam quos Luterani ex noui Testamenti Canone eijciunt, eos Caluinistæ admittunt, nempe Epistolam ad Hebræos, Apocalipsim, Iacobi Epistolam. Quod quid aliud est, quàm proprio iudicio quodlibet admittere, quod non libet reijcere? Nullo igitur modo notam detruncantium pro suo arbitratu Scripturas euadere possunt. Quanquam & illud quantum est, quod pro vulgata & tot seculis recepta in Ecclesia versione Scripturæ suas longè diuersas nobis obtruserunt, ita vt nouam quandam Scripturam cum alijs sensibus induxisse videantur. nonne hoc est subruere verbum Dei? Aduertit id Luterus suo malo edoctus, cùm in Commentario de nouissimis Dauidis verbis in præfatione ita scribit: Omnino, inquit, melius esset omni studio Hebraicæ linguæ, simpliciter retinere illam hactenus receptam & vsitatam versionem Bibliorum: quàm tot nouas versiones cumulare, quibus nil proficitur, nisi quod dissimilitudo & discrepantia lectionum, memoriam legentium turbat, & studium remoratur, ac in multis locis incertiorem quàm fuerat dimittit. Ab hac nota immunes sunt Catholici nostri, qui sicut ab Ecclesia Scripturas traditione acceperunt, ita eiusdem iudicio Sacros à non Sacris discernunt. Nam quod ait Zaborouius, Ecclesiam antiquam & Apostolorum temporibus proximam pro apocryphis dictos libros habuisse, id falsissimum esse iam docuimus. nunquam enim tale decretum

In Canone Sacrorum librorum cum nemine, ac ne secum ipsi cõcordant.

Subruunt etiam easdẽ sacras scripturas nouis & inusitatis hactenus versionibus. quod Lutherus ipse non abnuit.

aut declarationem Ecclesia statuit; licet aliqui priuati de aliquibus, quòd in Canone Hebræo non essent, dubitarent.

CAPVT XVI.

Ministri Euangelici Scripturam proprijs interpretationibus cõtra Petri legem corrumpunt.

Malus scripturæ interpres, est corruptor.

NOn dubium est adulterina interpretatione verbum Dei corrumpi: neq; enim verbum Dei est mera vox aut litera, sed id quod voce illa significatur. Si quis ergo falsis interpretationibus in alium sensum verbum Dei transferat, corrumpit verbum Dei, & in aliud verbum, quod Dei non est, sed hominis commutat. De qua re extat clarissima lex Apostoli Petri cum ait: *2.Petr. 1.20. Hoc primùm intelligentes quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.* eiusq; rationem mox reddit: *Non enim voluntate hominum allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines.* Hanc legem cùm non sequantur Euangelici, sed propria interpretatione, vti cuiq; videtur, Scripturas exponant, meritò Scripturæ corruptores & subuersores non Ministri dici debent.

VIDE Falsificatorẽ scripturæ Zaborouium, vt probet scripturamper ipsam scripturam solum exponendam.

Ait Zaborouius se non proprium, sed Spiritus sancti in Scriptura loquentis iudicium publicum sequi, Scripturas per Scripturas interpretando. Qualem interpretationem approbat ipse Spiritus sanctus *Nehemiæ 8. 8. Legebant*, inquit, *legem Dei explanatè, & exponendo sensum dabant intelligẽtiam per Scripturam ipsam.* At inprimis falsificat Scripturam Zaborouius sacrilego suo more: nam verba Scripturæ sunt ista; *Et legerunt in libro legis Dei distinctè & apertè ad intelligendum.* Nihil hìc de interpretatione Scripturæ, sed tantùm de distincta & clara lectione ad intelligendum: nihil etiam de Scripturæ per Scripturam explanatione; vnde patet quàm multa hìc addiderit ad Scripturam. Deinde cùm ait se non suam, sed Spiritus sancti in Scriptura loquentis iudicium sequi: quæro, vnde illi constat hoc iudicium esse Spiritus sancti, an ex reuelatione aliqua singulari, an ex collatione Scripturarum? Si primùm, non credam, nisi res tanta testimonio aut documento sufficienti comprobetur. Fieri enim posset, vt non Spiritus sanctus, sed angelus satanæ transfigurans se in Angelum lucis, reuelationis author fuerit. Deinde cùm ait, Iudicium hoc esse Spiritus sancti in Scriptura loquentis, apparet

Vnde sibi Zaborouius spiritum interpretationis arrogat.

apparet non extra Scripturam reuelatione aliqua speciali haberi hoc iudiciũ, sed in Scriptura contineri. Si vero dicat secundum; cùm collatio Scripturarum nonnisi proprio conferentis iudicio & opinione fiat, iudicium quoq; Spiritus sancti ex tali collatione illatum, erit putatiuum duntaxat. Neque enim Spiritus sanctus suam profert sententiam, sed quod conferenti Scripturas, contineri in Scripturis videtur, hoc ipse reputat esse iudicium Spiritus sancti. Vnde prout variæ à varijs Scripturarum collationes fiunt, ita sunt varia de iudicio Spiritus S. iudicia & opiniones. Cùm igitur ait Zaborouius, se Spiritus S. iudicium ex Scripturarum collatione collectum sequi, non ipsum verum iudicium Spiritus sancti sequitur, sed id quod sua opinione reputat esse iudicium Spiritus sancti; hoc autem est formaliter suam opinionem sequi, quia est sequi id quod sua opinio illi dictat. Id verò est quod sanctus Petrus condemnat, cùm ait: *Propria interpretatione Scripturæ prophetiam non fieri.* Eam enim interpretationem propriam vocat, quà quis propriam opinionem secutus, existimat esse hunc vel illum sensum Spiritus S. ita vt quamuis Scripturas cum Scripturis conferat, quia tamen propria opinione illas intelligit & confert, propria interpretatione Scripturas exponere censendus est.

Proprium nõ Dei spiritum sequitur.

Quid S. Petrus vocet propriam interpretationem.

At, inquit, collationem Scripturarum in Scriptura exponenda Patres commendāt Iræneus *lib. 4. 63.* Chrysostom: *homil. 12. in Genesim.* Basilius in *Asceticis regula 267.* Rectè sanè. nam sicut collatio Scripturarum iacto in traditione Ecclesiastica, & communi Patrum interpretatione fundamento, est optima & tutissima: ita priuata cuiusuis opinione & Spiritu facta, & à Petro damnatur, & est ad omnes errores atque hæreses producendas amplissima via. Omnes enim hæretici facti sunt hæretici, priuato Spiritu & opinione Scripturas cum Scripturis conferendo atque interpretando. Spiritum sanctum, inquit, assistere ijs, qui pijs precibus Scripturas collaturi, Deum sollicitant, animumq; pium, syncerum, candidum, ad earum lectionem afferunt. Pater enim cœlestis dabit Spiritum bonum petentibus se *Luc. 11.13.* Verùm peto, an Luterus & Caluinus pijs precibus Deum sollicitauerint, in expositione illorum verborum, *Hoc est Corpus meum?* si vtrique sollicitārūt, vtrisque igitur Spiritus sanctus astitit, & contrarias vtrorumq; expositiones approbauit. nempe quòd panis realiter sit Corpus Christi, vt sentit Luterus, & quòd solùm significatiuè sit Corpus Christi, vt sentit Caluinus. Si verò dicat Luterum tantùm pijs precibus Deum sollicitasse, & animum candidũ ad lectionem Scripturæ attulisse, negabit hoc Caluinus, sed parem suam ac Luteri pietatem demonstrabit. Quamdiu igitur hoc dubium de pietate legentium Scripturas non dissoluatur (quod solus Deus inspector cordium dissoluere

Conferre scripturas cũm scripturis, si Ecclesiæ sensui innitaris, optimum: si tuo, patentissima ad Hæreses via.

Nec prodest Oratio, si desit Obedientia.

dissoluere potest) tam diu non constabit quis ex numero legentium Spiritus sancti sensum præcipue sit assecutus.

Qui declinat aures suas, ne audiat legem Decalogi 4. Oratio eius erit execrabilis Prou: 28.9.

Deinde ostendo nec Luterum, nec Caluinum, nec vllum Euangelicū pijs precibus sollicitare Deum, cùm Scripturas cum Scripturis conferunt, sed impijs potiùs precibus & inuisis Deo. Neque enim piæ preces sunt censendæ, quando contemptâ Ecclesiæ & Sanctorum Patrum authoritate, nouos sensus inuenire in Scripturis postulant. Hæc enim est & impietas summa Ecclesiam & Sanctos Patres contemnere, & non est aliud quàm tentare Deum, relictis medijs à Deo constitutis ad Scripturam intelligendam, noua media postulare. Quid? nonne Arriani pariter dicunt se pium animum ad Scripturas legendas adferre? nunquid illos Dei Spiritu plenos credent Luterani & Caluinistæ?

Par Arrianorum & cæterorum Nouatorum in hac causa ratio.

Respondet Zaborouius, Arrianos non rectè Scripturas cùm Scripturis cōferre, quia pręconceptas opiniones & odiū sacrosanctæ Trinitatis adserūt, nec eum Spiritum collaturi Scripturas, inuocare volunt aut possunt, cuius afflatu Scripturæ scriptæ sunt. Sed nunquid non dicent Arriani, se quoque precari Deum, vt in cognitione vera Trinitatis & Spiritus sancti illuminentur; cur igitur non illuminantur? cur non percipiunt spiritum à Christo promissum petentibus se? Sanè quem vos animum ad vestros præconceptos errores habetis, eum Arriani quoque ad suos habent. Par igitur erit vestra & Arrianorum in ea re conditio, quod neutri pias ad Deum preces fundatis, sed impias: quia media ad intelligendam Scripturam vobis à Deo data contemnitis, hoc est, Traditionem Apostolicam, & Ecclesiæ communem sensum.

Hinc inconstantia.

Hinc verò est, quòd Euangelici postquam collatione facta Scripturarum, aliquid tanquam oraculum Spiritus sancti pronunciant & affirmant: idem facta alia collatione Scripturarum, postea negant: quod argumento est, eos non verum ipsum Spiritus sancti sensum ex illa collatione Scripturarum elicere, sed sensum putatiuum, hoc est, quem opinione propria putāt esse Spiritus sancti. Respondet Zaborouius. In fundamentalibus id nunquā fuisse factum, sed vel in adiaphoris, vel fundamentum fidei minus concernentibus. O acutum responsum! Quasi verò Scripturæ per Scripturas ritè expositæ, aliquando dicant verum, aliquando falsum; in fundamentalibus verum, in non fundamentalibus falsum? & si aliquid fundamentale eliciatur ex Scripturis sit necessariò verum, si verò non sit fundamentale, possit esse falsum? Quid hoc aliud est, quàm Spiritui sancto qui solus in Scripturis loquitur, siue fundamentalia, siue non fundamentalia fidei, falsum adscribere? Estne hoc dignè de Spiritu sancto sentire, vt in rebus minoribus

Scriptura ne in minimis quidem rebus errat.

falsum

falsum dicere possit? Aut igitur facta Scripturarum cum Scripturis collatione non necessariò infertur iudicium Spiritus sancti; & sic ruet fundamentū Euangelicorum, qui in collatione dicta Spiritus sancti iudicium certò constitutum putant: Aut si necessario infertur, æquè inferetur, siue collatio fiat in rebus fundamentalibus, siue in non fundamentalibus: æquè enim Spiritus sanctus verax est, cùm fundamentalia, sicut cùm non fundamentalia loquitur. Frustra verò se torquet Zaborouius cùm ait, Dona Dei sensim & lentè distribui. nam si pro animo legentibus Scripturam, certum est assistere Deū, certum quoq; erit semper assistere, quàmdiu animum pium retinent, siue legant fundamentalia fidei, siue non. Deinde sicut incertum est, an pio animo legant Scripturas Euangelici, ita quoque incertum esse oportet, an & quando illis legentibus Scripturas, assistat Spiritus sanctus? Et sic omnis certitudo eorum in exponenda Scriptura in incertum abibit. Quin etiam si Deus sua dona sensim & lentè communicat, ergo & intelligentiam Scripturarum sensim communicat Euangelicis: non igitur certum est, an iam communicauerit: possuntq; dubitare Euangelici, ne nondum illis earum quas iactant Scripturarum intelligentiam communicauerit. Nam & Luterus prius Indulgentias non damnabat ex Scripturis, pòst damnare cœpit, vti de seipso scribit in Prœfatione primi Tomi. Purgatorium prius certissimò credebat in *Artic. Disp. Lips.* postea reprobauit. Missam prius ex Scripturis longo tempore suæ Apostasiæ tempore celebrabat; tum à Diabolo ex Scripturis persuasus eam abrogauit. Caluinus cùm in Schola Luteri esset, cùm Lutero ex Scripturis de Sacramento Eucharistiæ sentiebat, pòst aliâ Scripturarum collatione factâ, idem negauit.

Dum Zaborouius sensim ac lentè Dei Spiritu imbuitur; parū certi quid constituere de Scripturis potest.

Id quod magistris eius accidit.

Iam verò cùm vrgetur à me Zoborouius, quòd cùm omnes hæretici Scripturas cum Scripturis conferant, non tamen veritatem, sed hæreses ex Scripturis eliciunt. Respondet eos non ritè conferre: At si illi non ritè conferunt; neque igitur vos ritè confertis, quia eodem modo vti vos pio animo se conferre dicunt. Non inquit ex collatione Scripturarum, sed ex superbia & ignoratione Verbi diuini hæreses nascuntur. At si superba collatio scripturarum est, cùm quis proprio in ijs conferendis iudicio vtitur; id vitium præcipuè vos Euangelici habetis. contemnitis enim in Scripturis exponendis totius antiquitatis & Ecclesiæ iudicia, Conciliorum decreta, consensum Sanctorum Patrum, quâ superbia quæ maior esse potest? nisi enim omnia hæc contemneretis, hæretici non essetis, & nobiscum in vnum conspiraretis. Ex hac porrò superba collatione Scripturarum, sequitur ignorantia verbi diuini; Deus enim superbis resistit, & humilibus dat gratiam: neque suum lumen ad intelligendas Scripturas nisi humilibus communicat: superbos verò dat

Verus morbus Nouatorum, superbia.

rò dat in reprobum sensum, vt videntes non videant, & semper discentes, nunquam ad scientiam perueniant: quales sunt hæretici omnes.

Non semper nec omnibus necessaria Scripturarũ collatio.

Quanquam cognitio verbi Diuini dupliciter haberi potest; vel studio proprio, & sic præcipue à Scripturarum collatione & intelligentia dependet, quod studium tantoperè commendant Sancti Patres: vel ex auditu & prædicatione verbi diuini à legitimis Prædicatoribus, & sic collatione Scripturarum & studio opus non est, sed fide. Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Dei: quomodo simplices fideles cognoscunt omnia ad salutem ipsis necessaria, sine alio studio & collatione Scripturarum, dum suis legitimis Pastoribus credunt.

Quomodo Scriptura Hæreticorum liber.

Porro cùm assero Scripturam esse hæreticorum librum, ipsius quoque Luteri testimonio, id vocem blasphemam & stuporem animi appellare non dubitat Zaborouius, quasi non sit maior animi stupor, id non agnoscere. Quis enim liber est cui legendo hæretici omnes magis incumbant, & ex quo suos omnes errores ac hæreses stabiliant nisi Scriptura? Quid aliud crepant Arriani nisi Scripturam? quid Luterani & Caluinistæ, nisi purum putum verbum Dei in Scriptura contentum? nec vllus hæreticus extitit qui ex hoc libro perperam intellecto suas hæreses non hauserit. Neque verò id magis blasphemum est, quàm dicere Christum esse petram scandali, lapidem offensionis positum in ruinam & resurrectionem multorum. Sicut enim Christo ista epitheta non ex sua natura, sed ex hominum malitia competunt: ita & Scripturis competit esse librum hæreticorum, non ob natiuam suam virtutem, sed ob legentium cæcitatem. Simile illud est, cùm nos ait asserere Scripturam sacram esse Delphicum gladium, egenum elementum, nasum cereum. ijs enim epithetis non qualis sit Scriptura in seipsa, sed qualis sit eorum respectu, qui ipsam proprijs interpretationibus torquent, quocunque volunt, declaratur. Scriptura enim in seipsa si intelligatur, nihil cum his epithetis commune habet, sed vna & vniformis est, & semper sui similis. Postquam verò in varias interpretationum opiniones inciderit, fit varia & multiplex, & secum ipsa pugnans. quod opinionum vitium est non Scripturæ: sicut nec luminis vitium est, si quis eo excæcetur, cùm ipsum per seipsum videndi facultatem præbeat.

Dicere Christum esse Petram scandali, nulla est blasphemia.

Calumniæ crimen immerito Zabor: impingit Autori.

Ein Ketzer Buch.

Quia vero ausus est negare Zaborouius, Luterum vspiam vocasse scripturam, librum hæreticorum, mihiq; in eo calumniæ crimen impingit, libet ad imperitiam & temeritatem hominis ostendendam verba ipsa Luteri adscribere. qui in Postilla Euangelica Concione secunda in Dominicam 8. à Trinitate de falsis Prophetis sic scribit: *Verum est*, inquit, *sicut dicitur Scripturam sanctam esse librum hæreticorum*, *hoc est*, *eiusmodi librum*, *quo potissimum*

potiſſimum hæretici nitantur: neq; enim alius liber eſt, quo adeò hæretici abutantur atq; hic; neque vlla vnquam hæreſis tam mala aut rudis fuit, quæ ſe Scriptura vel iuuare, vel defendere noluerit: quemadmodum etiam dicitur Deus flagitioſorum Deus eſt, quòd bona mundi pars illum ſibi Deum vendicet, non quòd eius culpa ſit, verùm verberonum iſtorum qui nomine ſuo abutuntur; ſic Scripturam ſanctam hæreſeon librum eſſe oportet non ſui cauſa, ſed iſtorum nebulonum, qui adeò turpiter eam deprauant. Hæc Luterus. Obijciat ergo Zaborouius ſuo Lutero vocem blaſphemam & ſtuporem animi.

Putidior calumnia Catholicos contemnere Scripturarum theſaurum præ traditionibus

Illud verò grauiori cenſura in Zaborouio dignum, cùm ait, Theſaurũ Scripturarum nos contemnere, & contra Scripturam pro traditionibus (quas pari affectu pietatis ac ipſam ſacram Scripturam, ſacrum Concilium Tridentinum accipi ſub anathemate iubet) certare. Quid verò hoc nonniſi putida calumnia eſt? Scripturarum enim theſaurum non ſolùm non contemnimus, ſed etiam fideliſſimè hucuſque non pro nobis duntaxat, ſed pro vobis etiã hæreticis cõſeruauimus. Vnde enim Scripturas niſi ab Eccleſia accepiſtis? neque ſolùm contra Scripturas non certamus, quas certum nobis eſt pro vero verbo Dei habendas, ſed etiam contra hæreticos omnes, & præcipuè vos, qui Euangelici dici vultis, pro Scripturis decertamus: vos enim illas turpiſſimè veſtro iudicio detruncatis: vos nouis & impuris verſionibus, communi Eccleſiæ verſione reiectâ, partim addendo, partim detrahendo, partim in alium ſenſum immutando eas fœdatis: vos ex capite veſtro deprompti sinterpretationibus, communi omnium hæreticorum more, ipſas falſificatis. A quibus omnibus iniurijs Scripturam ſacram totis his mille ſexcentis annis vindicauimus. Traditiones verò non Scripturis opponimus, nec his Scripturã oppugnamus, vti tu falſus calumniator aſſeris, ſed æqualem Dei verbi honorem Scripturis ac Traditionibus deferimus. non minus enim Dei verbum eſt traditum, quàm ſcriptum: neque traditum opponitur ſcripto, ſed ea declarat, quæ in ſcripto expreſsè comprehenſa non ſunt. Neque nos Scripturam incertam ſtatuimus; habemus enim vnicam & certam regulam eam interpretandi, nempe traditionem, & Eccleſiæ ſenſum atque conſenſum; & ideò vnum ſemper ſentimus omnes in ijs quæ ad fidem pertinent. Nam cętera quæ nec ex traditione Apoſtolica, nec ex Eccleſiæ definitione habemus, opinioni non fidei ſubiacent. Vobis ea incertitudo propria eſt, qui ex capite proprio depromptis interpretationibus, & collationibus Scripturarum priuato iudicio factis Scripturas exponitis. Inde enim fit vt Scripturâ tot & tam pugnantibus interpretationibus (quot capita hæreticorum ſunt) diſtractâ, prorſus incertum ſit, quis inter tot interpretationum Labyrinthos verus Scripturæ ſit ſenſus, nec quiſquam certi aliquid aſſequi ſe vnquam ſciat, niſi ad vni-

Eccleſia Scripturæ cuſtos & propugnatrix omnium fideliſſima.

nec opponit traditiones Scripturis.

Apud nouatores, quot capita tot Scripturæ ſenſus.

ad vnicam fidei regulam, quæ in traditione Apostolica & Ecclesiæ definitione consistit, confugiat.

Pontifex Romanus non conculcat sed tuetur & illustrat Scripturarum maiestatem.

Cùm vero quæris Zaborovi, vnde Romanus Pontifex nos fidem docturus sit? inepte respondes, ex scrinio pectoris proprij conculcata Scripturarum maiestate. Quid enim hac calumnia atrocius? non enim ex scrinio pectoris sui, sed ex verbo Dei tam scripto, quàm tradito docet nos omnem quam Ecclesia requirit veritatem; idq; priuilegio à Christo concesso, & Spiritu sancto ei assistente, ne vnquam nisi veram doctrinam Ecclesiæ proponat. Non igitur conculcata sed declarata & illustrata Scripturarum maiestate docet nos, & subijcit seipsum ac nos Scripturis, nec eximit ab ipsarum potestate. Neque enim alium Scripturarum sensum sequitur, nisi ab Apostolis traditum, & ab Ecclesia receptum: nouos & antiquitati inauditos sensus reijcit, & eos vobis ac omnibus Hæreticis relinquit. Non igitur cææ sunt Catholicorum mentes, vt impudenter Zaborouius loquitur, cùm ab vnius ore Pontificis qui falli & fallere potest animarum suam salutem suspensam volunt: sed cæcum est Zaborouij iudicium, qui aduertere non vult Catholicos dum ab ore Romani Pontificis pendent, ab ore Christi ipsius pendere. Christus enim Pontificem Romanum petrã Ecclesiæ infallibilem ac inuiolabilem constituit, vt ei tota Ecclesia securè inniti & fidere possit. Multò maior cæcitas Euangelicorum est, qui in tam fragili proprij iudicij fundamento, quo nihil incertius, salutis suæ firmitatem ac certitudinem cõstituunt, more & successu omnium hæreticorum. qui ideo hæretici fuerunt, quòd proprio iudicio niterentur, seu vt Paulus ait, *Proprio iudicio condemnati.* Nam si in cæteris rebus ait Salomon, *Ne innitaris prudentiæ tuæ:* id multò magis in salutis negotio locum habet, quantò salutis periculum præ cæteris periculis maius æstimandum est.

Qui ab eius ore pendet; pendet ab ore Christi dicentis: Qui vos audit, me audit. Et ego rogaui pro te &c. confirma fratres tuos &c.

Nouatores proprio iudicio cõdemnati. Tit. 3. 11. Prouerb. 3. 5.

De Scripturis idem sentit cum veteri, præsentis temporis Ecclesia.

Longè diuersum, inquit, antiqui Patres de Scriptura iudicium ferunt. At fallitur. Nam quæcunque sancti Patres Scripturis tribuunt, vt sint norma & regula fidei nostræ, eadem quoque nos libenter tribuimus. Atqui sancti Patres Scripturam non secundùm proprium cuiusque sensum, sed secundùm traditionem Apostolicam & Ecclesiæ sensum exponendam esse docent. Multa etiam esse affirmant quæ Scripturis expresè non continentur, sed traditione Apostolica & sensu vniuersæ Ecclesiæ; quæ omnia tanquam Dei verbum ab Apostolis acceptum & fideliter conseruatum, non minùs quàm Scripturam obseruanda & pari honore habenda tradunt. Siquidem & Scriptura ipsa traditiones *per sermonem* pari ratione, sicut *per epistolam* recipi præcipit, in vtroq; autem horum sicut nos doctrinæ & præceptis Sanctorum Patrum insistimus; ita aduersarij minimè.

Pergit

Pergit Zaborouius, blasphemum me affirmãs cùm dico, omnes hæreticos ex Scripturis suas hæreses confirmare. Quasi verò nisi stolidus non videat, quoslibet hæreticos Scripturam ad suos sensus trahere. Nam etsi Scriptura secundùm se vox Dei est, & ipsissima veritas, tamen hæretica interpretatione exposita & intellecta, (vti hic de Scriptura loquimur) tot errorum opinionibus seruit, quot sunt hæreticorum capita. Nonne Zaborouii Arriani tibi sunt hæretici? qui tamen omnibus alijs argumentis posthabitis, solis te Scripturis proprio iudicio expositis perurgent, ac eodem modo Scripturas cum Scripturis conferunt, quo vos Euangelici conferre affirmatis. Quod si vos negabitis Arianos Scripturas æquè conferre ac vos, idem dicent Ariani de vobis Euangelicis. Dicis Arianos Spiritum sanctum, qui est interpres Scripturæ non inuocare: Respondebunt Arriani, te quoque Spiritum sanctum ritè non inuocare. *Zaborouius cum conuitio negat hæreticos Scripturis suas hæreses confirmare.*

Cùm verò sic argumentaris. Si propterea à Scripturis recedendum, quia illis hæretici abutuntur; recedendum erit à traditionibus, ab Ecclesiæ & Pontificis authoritate, quia his quoque hæretici abusi sunt. Inprimis, extrà propositum loqueris. Assumis enim quod falsum est. Nullus enim nostrum dicit recedendum à Scripturis, eò quòd illis hæretici abutantur: imò tantò magis illis insistendum, quantò maiorem vim illis inferunt hæretici: solùmque dicimus recedendum à priuata interpretatione Scripturarum, quæ sola sicut omnes hæreticos facit Scripturis abuti, ita & vos. Falsum etiam assumis hæreticos aut traditiones quas constaret esse Apostolicas, aut Ecclesiæ Catholicæ authoritatem, aut summi Pontificis decretum ad suos errores stabiliendos allegasse, cùm his omnibus vijs omnes hæreses quotquot fuerunt à Catholicis euersæ sint. Illæ igitur traditiones quas aliquando citârunt hæretici, non erant Apostolicæ, nec veræ, sed ab ipsis confictæ. *Non quia abutuntur ijs hæretici Scripturæ reijciendæ.* *Afferunt interdum traditiones hæretici sed falsas.*

F.

Iam verò quod ex Chrysostomo subiungis, quid in tanta varietate abutentium Scriptura faciendum sit? Ita Chrysostomum citas vt & prætereas quæ contra te faciunt, & mutando falsifices verba, & ad alium sensum omnia trahas. Ita enim Chrysostom: ait *homil. 33. in Acta Apost. Gentilis mihi dicit, vellem fieri Christianus, sed tot sunt inter vos pugnæ, cui adhæream nescio &c. Quilibet dicit, ego verum dico, cui credam nescio, cùm ego Scripturarum sim ignarus*, (quæ verba præterijt Zaborouius tanquam contrà se facientia) *Sanè hoc multùm pro nobis. Nam si quidem diceremus nos rationibus credere, meritò turbaberis: sed cùm Scripturas accipimus, & illæ simplices sint ac veræ*, (Zaborouius pro *veræ* supposuit *faciles*, quia id ad suas fraudes faciebat) *facilè tibi fuerit iudicare.* Modum autem iudicandi ex Scripturis Chrysostomus, non facilitatem ad intelligentiam Scripturarum indicat, hanc *Rursus falsarius Chrysostomi Zabor.*

cat. hanc enim non agnoscit Gentilis imperitus Scripturarum: sed quod Scripturæ sint simplices & veritatem simplicem continent, vnde facile poterit etiam Gentilis iudicare, quod qui Scripturæ consentit, est bonus Christianus, qui contra eam pugnat, non est ex hoc Canone. Quod hoc exemplo declarat: *Nos enim*, inquit, *dicimus ex Scripturis Christum esse* DEVM, *dicunt & Ariani, sed nos ita dicimus, vt digna Deo Christo tribuamus potestatem, & quod sit liber, & quod omnia à seipso faciat: illi autem contrarium dicunt. Nam voce tantùm Deum vocant, quæ verò Dei propria sunt ei negāt. Hinc igitur Gentilis potest iudicare nos Scripturis in simplicitate consentire, & esse veros Christianos, Arrianos verò Scripturas oppugnare, & non esse Christianos veros.* Quod etiam exemplum ad nos & Caluinistas accommodari potest. Nam nos illa Christi verba *Hoc est Corpus meum*, in simplicitate de vera & reali Corporrs Christi præsentia accipimus: Caluinistæ verò verborum sensum proprium negant, & improprium confingunt. Iudicio itaque Chrysostomi, quilibet etiam Scripturarum imperitus iudicare deberet, nos esse Christianos veros & secūdùm Scripturas credere; non item Caluinistas.

Exemplum Chrysostomi Caluinistas æquè ac Arianos à simplicitate veritatis abiudicat.

Addit & aliud indicium Chrysostomus. Etenim omnes, inquit, hæretici habent quosdā à quibus appellantur, hos verò hæresum suarum autores nominant, Arrium, Marcionem, Manichæum: nobis autem inquit, nullus vir nomen dedit, sed fides ipsa. *Quodsi & nos*, inquit, *agnominationem cuiusdam sortimur, sed non vt ab hæreseon principibus, sed vt ab his qui nobis præsunt & gubernant Ecclesiam*, vt Romani Christiani, qui à Romano Pontifice gubernantur. Constantinopolitani qui à Constantinopolitano. Falsò igitur Zaborouius Chrysostomum torquet ad facilitatem Scripturæ, & ex facilitate iudicium de Scripturarum sensu faciendum. Totum enim contrarium hoc loco Chrysostomus docet: sed solùm ostendit signa quædam, ex quibus gentilis & Scripturarum imperitus possit dignoscere, nosne an hæretici Scripturas sequamur, & illis consentiamus. quæ duo signa nos quoq; ab Euangelicis & Arianis egregiè discernunt.

Agnominationem sortiri ab ijs qui præsunt, Orthoxorum censet Chrysostomus esse iudicium vt cùm Papistæ Pontificij Romanenses appellamur.

Ridiculè verò defectionem Luteranorum ad Caluinistas excusat Zaborouius, cùm in articulis fundamentum concernentibus, vtrorumq; fidei parem esse rationem docet, nec hos ab illis deficere, sed maiorem aut minorem in rebus medijs illuminationem à Deo consequi. Quid ais Zaboroui? An à Luteranis vos Caluinistæ in re Sacramentaria, in fundamentalibus non dissidetis? num Christus in Sacramento fundamentale quiddam tibi non videtur? cùm ipse sit fidei fundementum. Cùm ergo Christum Caluiniani ex Sacramento exturbant, nonne fundamentum ipsum fidei subuertunt? Deinde nonne fundamentale censeri debet, cui annexa est vita æterna? at

Zaborouius idem iungat vulpes & mulgeat hircos.

1. Cor. 3. 11.

Christus

Christus in Sacramento dat nobis vitam æternam cùm sit panis vitæ æternæ. Qui igitur Christum è Sacramento tollunt, vitam æternam tollunt. quo nescio quid magis fundamentale cogitari potest. Addo si in fundamentalibus non dissidetis, cur ergo vobis inuicem estis hæretici? pleni diabolo? indiabolati, perdiabolati, supradiabolati, insatanizati, persatanizati, suprasatanizati. his enim vos tam nobilibus titulis mutuò exornatis. Nec vlli hæretici in mundo tantùm inter se dissident, & se horrendis conuitijs onerant, sicut Luterani Caluinistas, hi vicissim Luteranos. Nonne cùm vos inuicem orco & diabolo traditis; hoc ipso fundamentaliter in fide dissidere vos ostéditis?

Encomia quibus se Luterani & Caluinistæ ornant mutuo.

At dic obsecro Zaboroui, si quis Scripturæ in aliquo non credat, nonne is crimen lethale infidelitatis admittit? Etenim vti Deus æque verax est, siue magna siue parua loquatur: ita æqualem fidem in vtroque genere rerum à nobis meretur; & non minus scelus est Deo mendacij crimen inurere in paruis, atque in magnis. Si igitur vos ita dissidetis, vt permittatis in medijs rebus Deo in Scripturis loquenti non credere, nonne cum salutis certissima iactura dissidetis, ac proinde salutis vestræ fundamentum perditis? Nam cùm nobis per calumniam obijcis, etiamsi quis processionem Spiritus S. à Filio neget, modo Pontificem Romanũ pro capite visibilis Ecclesiæ habere velit, illum in gremium Ecclesiæ à nobis recipi, vti receptos esse Ruthenos asseris: mendacij te coarguent illi ipsi Rutheni, quos receptos ea ratione dicis. Proferent enim literas vnionis, quibus Spiritum sanctum per Filium (quod pro eodem semper habitum est, quod à Filio procedere) agnoscunt.

Deo in omnibus credendum.

Rutheni in gremium Ecclesiæ recepti non sine Orthodoxa de Spiritus sancti processione fide.

Deinde cùm negas hos ad illos deficere, sed illuminari magis: Dic obsecro, an Luterani illuminationem illam diuinam credant, qua Caluinistæ non esse verum & reale Corpus Christi in Sacramento affirmant? Si ita est, cur ergo hanc illuminationem respuunt, & non efficiuntur illico Caluinistę. Si verò tenebras Cimerias non illuminationem esse credant, non igitur ob illuminationem maiorem dici possunt, eorum quidam ad Caluinistas transire, sed ex tenebris potius in maiores tenebras præcipitari.

Quæ societas luci ad tenebras.
2. Cor. 6. 15.

Adhæc nonne Caluinistæ cùm in castris Luteranorum essent, iactabant se ex puro verbo Dei & Scripturarum collatione illuminatos certissima fide credere veritatem Corporis Christi in Eucharistia; qui tamen ijdem postquã ad castra Caluini transierunt, iterum contrarium lumen ex contraria collectione Scripturarum dicunt se à Deo obtinuisse. Quando igitur credendũ illis erat suum lumen iactantibus, an cùm essent Luterani, vel postquam facti sunt Caluiniani? Ab hac difficultate cum te expedire non possis, ais non quamuis collationem Scripturarum sufficere, sed quæ fiat Spiritu sancto in-

Varium & mutabile semper hæresis.

ipsa sibi fidẽ derogat.

vel cùm maximè sibi pia videtur. auxilium inuocato ab animo candido, syncero, pio, veritatis studioso. Ac non vides, idem omnes hæreticos de se testari; neque tamen omnes veræ illuminantur, aut Scripturas rectè conferunt. Idem etiam dicebant Caluiniani cùm in schola Luteri essent, & tamen nunc contrarium asserunt, nempe se tunc illuminatos non fuisse: & quæ hìc falsa credebant, nunc contraria illuminatione vera esse credere. Quis has vestras illuminationes tam secum pugnantes non rideat? quis eas esse proprias hæreticorum illusiones non manibus palpet? Vnum de duobus esse necesse est, aut omnes hæreticos rectè Scripturam interpretari, aut hanc regulam collationis Scripturarum precibus ad Spiritum sanctum factam, irritam esse: quippe quâ omnes quotquot fuerunt, hæreticos in errores impulsos conuincitur, etiamsi omnes inuocato Deo, & pio vti existimabant animo Scripturas conferrent.

CAPVT XVII.

Solam Scripturam iudicem omnium controuersiarum absurdè constituunt Euangelici.

Cùm Scripturam iudicem appellant nō cōtrouersiarū diiudicationem, sed opinationum suarum aduersarij latibulū quærunt. quas opinationes Spiritui S. in Scripturis lquenti affingunt.

ÆGerrimè fert Zaborouius, à me dici falsum esse illud Pronunciatum ipsorum, quo asserunt Scripturam esse iudicem omnium controuersiarum, esseq; ex se clarissimam & omnes dubitationes tollere; aitque probrum id in ipsum Spiritum sanctum in Scripturis loquentem à me torqueri, & illum summum iudicem controuersiarum negari. Non est id probrum in Spiritum sanctum Zaborouì, sed in vestras falsas visiones: vobis enim videtur Spiritus sanctus loqui quod non loquitur, sed à vobis loqui fingitur: & cùm sæpe pugnantia loqui illum faciatis, dicitis nihilominus Spiritum sanctum hæc omnia loquutum, vt exemplo Caluinistarum pauloante docui: qui cùm in schola Luteri essent, dicebant Spiritum sanctum loquutum id, cuius postea oppositum in schola Caluini aiunt eundem in Scripturis locutum. Si igitur certum sit aliquid in Scripturis Spiritum S. locutum esse, Spiritum S. in Scripturis loquentem libenter & reuerenter audimus: at vobis solùm asserentibus Spiritum S. hoc vel illud locutum, neque credimus nec credere possumus. cùm enim in Scripturis de earum & Spiritus S. sensu disputatur; si solùm opinione agatur interpretantiū hoc vel illo modo Scripturas, & pro suo arbitrio affirmantium vel negantium Spiritum S. hoc vel illud esse in Scripturis locutum; non potest tunc pro certo statui Spiritum S. loqui, aut hoc vel illud esse Spiritus sancti decretum. Nam neque vllius iudicis sen-

cis sententia, de cuius sensu in vtramque partem dubitatur, pro sententia & decreto habenda est, donec de ipsius sensu constet; neque momenti quidquam habet ad aliquid in vtramuis partem definiendum. ex incertis enim, certum quid concludi non potest. Quare cùm vos Euangelici ex vestro capite Spiritum sanctum loqui hoc vel illud in Scripturis asseratis, nos vestram sententiam negando, non Spiritui S. iniuriam facimus, sed vos falsi arguimus, quòd Spiritum sanctum vestra opinione fingitis loqui id quod ipse non loquitur. Alioqui si vobis non patiemini ab Arrianis id obijci, neq; vos Arrianis idem obijcere poteritis. Ita enim Arrianis videtur Spiritus sanctus loqui in Scripturis contra vos, sicut vobis videtur loqui contra ipsos. Falsum igitur est illud pronunciatum vestrum, solam Scripturam seu Spiritum S. vt solum in Scripturis loquitur, esse omnium controuersiarum iudicem. Nam neque Scriptura sola, nec Spiritus S. per solam Scripturam, omnes controuersias dissoluit; tum quia non semper quid Spiritus S. in Scripturis loquitur constat: tum quia hanc ipsam controuersiam, an videlicet hoc vel cōtrario sensu tam Scriptura quàm Spiritus sanctus in Scriptura loquens intelligi debeat, nec Scriptura, nec Spiritus sanctus per Scripturam dissoluit, cùm vtrumque sit incertum. & nisi aliunde ea controuersia componatur, solis Scripturis nunquam dubitationi finis imponetur. Ex Scripturis enim quas incertum est, eone vel contrario sensu accipiendæ sint, nihil certi deduci potest. Hoc igitur esto primarium pro nostra sententia, & cōtra aduersarios argumentum, ad rationem enim iudicis spectat, certam & indubitatam sententiam proferre, quam vtraque pars audiat, & non ambigat de ipsius sensu, alioqui ex incerto nihil certi stabiliri posset.

proinde non Spiritui S. fit iniuria, sed fraus illorum conuincitur.

Cùm iudex quæritur qui partem vtrāque audiat & minimè ambiguam proferat sententiam.

Atqui cùm Scripturarum sensus est dubius, & in vtramq; partem trahitur, non fert Scriptura certam & indubitatam sententiam: siquidem de sensu ipsius non constat. Non potest igitur Scriptura sola haberi in tali casu pro iudice controuersiarum. Quod argumentum ita euidens est, vt in ciuilibus nemo nisi stolidus & mentis inops, sententiam iudicis dubiam pro vera sententia habeat, cùm ex ea nulla certitudo haberi, nec finis controuersiæ imponi possit, quantò magis in rebus Theologicis & ad salutem spectantibus.

qualis Scriptura esse non potest.

id constat vel ex rebus ciuilibus.

Nam cùm ait Zaborouius Apostolos in Concilio Hierosolymitano illius grauissimæ controuersiæ de Circumcisione Spiritum S. iudicem agnouisse, adductis ex sacra Scriptura multis testimonijs. Primùm non aduertit Apostolos habuisse Spiritum S. non solùm per Scripturas loquentem, sed etiam speciali ratione sibi assistentem, & mentes ipsorum in intelligendis & exponendis Scripturis illuminantem ac dirigentem, ita vt tam in

Apostoli Circumcisionis cōtrouersiam in Conc. Hierosolymitano non ex Scri-

pturis, sed ex peculiari Spiritus S. assistentia desinierunt.

Scripturarum interpretatione, quàm in aliarum veritatum ex seipsis deductione errare non potuerint. Quid mirum igitur illos Spiritum S. pro suo iudice agnouisse: quem sibi assistentem & Scripturas exponentem habebant. At hoc priuilegium ad priuatas personas extendere, non licet. nullus enim priuatus illa speciali ratione habet assistentem Spiritum S. vt in exponendis vel intelligendis Scripturis errare non possit. Perperam igitur Apostolorum exemplũ vrget. Deinde & illud falsum est, Apostolos tunc multa Scripturarũ testimonia produxisse, solùm enim vnum produxit Iacobus ex Amos Propheta, in quo solùm de conuersione gentium ad Deum agitur nulla de Circumcisione & alijs ritibus abolendis, de quibus tunc agebatur, facta mentione. Tale etiam decretum, quale tunc Apostoli fecerunt, non inuenitur in Scripturis, nempe quod gentes conuersæ debebant abstinere ab immolatis, simulacrorum, à sanguine & suffocato: non igitur ex Scriptura præcisè, sed ex peculiari assistentia Spiritus sancti fecerunt hoc decretum. Porrò notandum est, Spiritum S. dupliciter nobis loqui. Primò, per Scripturam solam & tunc locutio Spiritus sancti sunt ipsæ Scripturæ per quas nobis loquitur. Secundò, per internam illustrationem & directionem; & hæc locutio Spiritus S. est distincta à Scripturis, per eam enim interpretatur nobis Scripturas, & docet quomodo intelligi à nobis debeant. Hoc verò modo Spiritum S. loquentem per illuminationem & directionem internam non omnes habent, sed quibus datum est. *Nunquid enim omnes interpretantur? nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Doctores? 1. Cor. 12. 29.* Promissus quidem est Spiritus sanctus docens omnem veritatem, sed Ecclesiæ: non singulis ac priuatis fidelibus; vnde per Ecclesiam nobis interpretatur Scripturas, & nos illuminat, neque quisquam qui Ecclesiam docentem & vnanimem consensum exponentem contempserit sperare iure potest, se illuminatum iri à Spiritu S. Deus enim per ordinaria media à se instituta nos gubernat, nec lumen suum in Scripturis intelligendis ordinariè concedit, nisi ijs, qui sensum & interpretationem Ecclesiæ sequuntur. Hoc igitur secundo modo Spiritus S. meritò dici debet iudex controuersiarum, quia exponit speciali illustratione vel directione Scripturas: sicut cùm iudex ciuilis sententiam quam tulit dubiam interpretatur. Primo verò modo non potest dici controuersiarum iudex, tunc enim nihil aliud nobis loquitur quàm Scriptura: at Scriptura non profert claram sententiam de suo sensu, de quo est dubium. Ergo nec Spiritus sanctus in sola Scriptura loquens. verba enim Spiritus sancti tũc non sunt alia, quàm verba Scripturæ. Et sanè si Scriptura de suo sensu clarè loqueretur Caluinistis & Luteranis dissidentibus: audiretur vtique hæc Scripturæ vox à partibus litigantibus, Atqui non auditur: nam vtraque pars dicit

Bifariam nobis Spiritus S. loquitur.

1. ipso munere Scripturæ.

2 dono interpretationis eiusdem Scripturæ.

posteriori hoc modo, vt Iudex loquitur in sententia: priori, vt legislator in lege.

dicit Scripturam pro se loqui, cùm tamen contraria simul loqui non possit. Non igitur Scriptura de suo sensu quidquam loquitur, neq; fert sententiam, sed permittit se trahi & exponi secundùm cuiusq; arbitrium. Et sane in Scriptura Spiritus S. ita loquitur sicut legislator in lege, at cùm lex est dubia in vtramque partem, legislator si verbis tantùm legis loquatur, non censetur interpretari legem. ergo nec Spiritus S. si verbis tantùm Scripturæ loquatur, censetur interpretari Scripturam.

Alterum pro nostra sententia argumentum ex obscuritate Scripturæ sumitur. Etenim iudex in eo in quo est iudex, claram, non obscuram sententiam profert, vt ab vtraque parte litigante intelligatur hoc, & non aliud decerni à Iudice. Atqui constat Scripturam in pluribus locis obscuram esse ita vt non constet hunc vel alium ipsius sensum esse. Non potest igitur in tali controuersia statui pro iudice. Ait Zaborouius, Scripturam clarissimam & facillimam esse; verum si ita est, vnde tantæ tenebræ, contentiones, interpretationes, errores circa sensum Scripturæ? Nam quod ait non ex Scriptura, sed ex ignoratione Scripturarum, & non legitima collatione earum: primùm in hac re contradicit Petro. 2. *Petri. 3.* vbi ait *multa in Epistolis Pauli esse difficilia intellectu.* igitur ex difficultate etiam ipsa Scripturarũ & obscuritate hæ tenebræ (saltem ex parte) oriuntur. Id enim quod est ex se difficile, obscuritatem parit, & tenebras, quatenus difficile est. Secundo. Ipsa ignorantia scripturarum, & collatio illegitima, ex obscuritate & difficultate scripturarum nascitur. Cur enim de clarissimis rebus in scriptura nullæ sunt controuersiæ, nullæ contentiones? nisi quia scripturæ illæ sunt claræ, de alijs autem quæ sunt difficiliores, tot sunt controuersiæ, non nisi ob earũ difficultatem & obscuritatem. Non igitur omnes Scripturæ per se clarissimæ sunt; ab omnibus enim viderentur, & intelligerentur, ijsdem oculis quibus aliæ per se claræ videntur. Nam quod ait Zaborouius aliquos præiudicatas opiniones afferre, nec Deum ardenter precari; hoc ipsum indicat potius Scripturas difficiles & obscuras esse. Nam quantumuis præiudicatam opinionem de niue atra habeam, si tamen in conspectum niuis venero ob rei claritatem, depono omnem illam præiudicatam opinionem. Hoc igitur modo quilibet accedens ad Scripturas cum præiudicatis opinionibus ob claritatem Scripturarum, illicò eas deponeret. Cùm igitur non deponat, signum est Scripturas eam claritatem non habere, quæ ad præiudicatas tenebras discutiendas satis sit. Similiter si ardenter Deus precandus est, vt Scripturæ intellligantur: non sunt igitur Scripturæ per se faciles & claræ; ad res enim per se claras & faciles intelligendas, non est opus tam ardenter Deum precari, sed ad eas tantùm in quibus est difficultas, diuinum auxilium inuocamus.

Scripturæ obscuritas facit vt iudex esse nequeat.

1. *ipsamet Scriptura testis.*

2. *Testes tot de sensu Scripturæ controuersiæ.*

3. *Si preces, si animus præiudicijs vacuus afferendus; non igitur clara Scriptura.*

 camus.

Cùm ait Zaborouius solis prædestinatis patere adyta Scripturæ, seipsum euertit & probat arduum esse ad eam accessũ.

camus. Cùm verò addit Deum nonnisi illis Scripturarum adyta patefacere, quos præordinauit ad vitam æternam, seipsum euertit. nos enim vti scire non possumus, Euãgelicos esse præordinatos ad vitam æternã: ita nec an scripturarum adyta illis patefacta sunt: nam quod credunt ipsi de seipsis, & temerè credunt, cùm nulla sit illis hac de re particularis facta reuelatio: & falsò credunt, nam quum ex Luteranis fiunt Caluinistæ, ex his Ariani vel Atheistæ, illa Scripturarum adyta, quæ prius sibi patefacta credebant, tanquã præordinatis ad vitam æternam, postea in Caluinismo vel Arianismo damnant. Quod verò Euangelici obijciunt Arianis, de illegitima collatione Scripturę de ardentibus precibus, de obstinatione, & excæcatione, eadem omnia obiiciunt Ariani Euangelicis, eodem iure, iisdem argumentis; æquè enim hi ac illi propria opinione & iudicio de Scripturis decernunt, & eam quam quisq; putat pietatem ad legendas Scripturas afferunt. Lumen quidem est Scriptura suæ menti applicata & cognita; at ante explicationem Scriptura difficilis est & obscura, post explicationem euadit clara & lucida. Nam Eunuchus *Act. 8. 31.* legens pio animo Scripturas sine interprete illas non videbat. *Quomodo*, inquit, *possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Et discipulis euntibus in Emaus Christus ipse *aperuit sensum vt intelligerent Scripturas Luc. 24. 27.* & Petrus ipse agnoscit in epistolis Pauli multa esse difficilia intellectu. Denique indicant id tot labores Sanctorum Patrum in explicandis difficillimis Scripturæ locis, quos pio animo & precibus accessisse ad interpretãdas Scripturas nemo dubitare potest. Non igitur dici potest Scripturas difficiles, esse lumen antequam exponantur, sed solùm postquam fuerint expositæ incipiunt nobis esse lumen. ineptáque est illa similitudo Zaborouij dum ait: vt Sol in se est Sol, licet ipsius lumen cæci non videant; ita Scriptura in se est lumen, quamuis ad ipsius claritatem oculis vestris vltro velum inijciatis; ineptè, inquam, id dicitur. Nam Sol ex se est clarus & lucidus, & ideo si non videatur, ob cæcitatem non videtur. at Scripturas ostendimus pluribus rebus ex se non esse claras sed difficiles & obscuras, vel ob rerum altitudinem, vt eæ quæ altissima mysteria Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, Prædestinationis, Iustificationis, carnis Resurrectionis continent: vel ob sensum multiplicem literalem, allegoricum, anagogicum, moralem; vel ob modum parabolicum, & similitudinarium, vti in Parabolis & vaticinijs Prophetarum, in quibus per obscuras similitudines arcana quædam mysteria significantur, quorum explicatio à solius ferè Dei reuelatione dependet; vt vel in vnico libro Apocalipsis, cuius sensus hactenus ferè incognitus est, apparet. Non igitur Scripturæ ex se sunt claræ & lucidæ, sed post explicationem fiunt nobis lumen, & lucerna pedibus nostris. Sic enim & Apostolis, & duobus

4. Scriptura indiget explicatione, ergo difficilis.

5. Quorsum tot in eam commentarij Patrum?

Cur difficiles Scripturæ ac proinde malè a Zaborouio Soli comparētur.

& duobus euntibus in Emaus, & Eunucho, factæ sunt lumen, explicatione interueniente. & sic *præceptum Domini*, dicitur *lucidum illuminans oculos Psal: 18.* quia postquam cognitum est, & illuminat oculos, ad ambulandum in via Dei, & *Psal. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine.* Quanquam quod de obscuritate & difficultate Scripturarum dicimus, non ad omnia omnino loca Scripturarum id referimus. Scimus enim multa quæ ad mores spectant esse clarissima in Scripturis, & hæc dicuntur lumen pedibus nostris. Porrò explicatio Scripturarum non à priuata collatione præcipuè petenda est, sed ab Ecclesia eiusque sensu, hoc enim iacto fundamento, vtilissima est collatio Scripturarum, alioqui periculi plena. Allegat Zaborouius Patrum testimonia de claritate Scripturarum, at non allegat eorundem testimonia de obscuritate & difficultate. in quibusdam enim volunt eas esse claras, in alijs verò obscuras & difficiles intellectu.

Tandem vi veritatis pressus, concedit aliquos locos obscuriores in Scriptura, sed ait ex Augustino *2. de Doctrina Christiana cap: 9. & 6.* in ijs quæ apertè in Scriptura posita sunt, inueniuntur omnia quæ continent fidem moresq; viuendi. Et ex illis obscuritatibus nihil ferè eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur. At Augustinus addit ferè, vt non vniuersè dictum ipsius accipiatur. Et ipsemet Augustinus *Epistola 119.* ait, multò plura se nescire in Scriptura, quàm scire; & quod vni clarum videtur in Scriptura, alteri obscurum. Dic obsecro Zaboroui ex multis vnum, in qua Scriptura clarè legis viua voce proferenda illa verba in Baptismo: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* & tamen non prolatis hisce verbis Baptismum esse inualidum omnes fatemur. Similia sunt illa quæ ex sola traditione Apostolica haberi supra docuimus. Neutrum igitur vniuersè verũ est, nec quod in ijs, quæ aperte in Scriptura posita sunt, omnia ad fidem & mores spectantia contineantur, nec quod quæcunq; in alio loco obscurè dicta sunt, in alio clarè exposita habeantur. Alioqui si est ista tanta claritas, cur Luterani & Caluinistæ controuertendi & contendendi finem non faciunt claritate Scripturarum conuicti? Fingitur ergo ista claritas, re autem vera est obscuritas maxima, quàm exempla ipsa passim loquuntur, quod enim vni videtur clarum, alij est obscurum.

Zaborouius dat manus veritati vel inuitus.

6.

Ingenuè verò fateri se ait Zaborouius, quòd Scripturæ claritatem ita agnoscat, vt donum interpretationis non aspernetur. Quæ ingenuitas iugulat planè causam Zaborouij. Nam si Scriptura per se clara esset, dono interpretationis non egeret, aut certè singuli donum interpretandi haberent. Quis enim interpretatione egeat in rebus per se claris & manifestis, aut si interpretatione opus sit, cuilibet & obuium est res per se claras interpretari. Quomodo igitur

Quorsum & interpretationis donum quod Zaborouius inge-

nuè se agnoscere ait. do igitur verum est quod Paulus ait, *1. Corinth. 12. Nunquid omnes interpretantur? Nunquid omnes Doctores?* Hoc vero esto tertium pro nostra sententia, & contra aduersarios argumentum. Quod autem asserui absurdum esse, & ab omni ratione alienum, mutum iudicem constituere, qui nihil loquens sententiam ferat, & qui partibus litigantibus potestatem ad libitum decernendi in vtramq; partem tribuat: in ea re me blasphemum esse, ait stolida satis in tanta re censura. Etenim si blasphemia est, non nostra est, sed ipsorum: non enim ex assertione nostra, sed ex opinione illorum sequitur. Ipsi enim Scripturam cùm in eo in quo nihil loquitur iudicem esse notant, iudicem mutum constituunt. Anne inquit verbum Dei & Spiritus S. in eodé verbo loquens tibi iudex mutus?

Stolidus Censor Zabor. sua se suosq; virgula verberat

Respondeo. Etenim quamuis Scriptura dum determinatè & clarè aliquid loquitur, non sit iudex mutus, tamen dum est difficilis & ambigua, nec in hanc, nec in illam partem determinatè quidquam pronunciat, quis non videt in tali casu, nec Scripturam, nec Spiritum S. per Scripturam quidquam loqui? si igitur in tali casu statuatur Scriptura pro iudice, vti statuitur ab aduersarijs, an non pro iudice muto statuitur? quo nihil absurdius, *viuus est*, inquit, *sermo Domini*, mutus non est, sed loquitur, non quidem vt homo, sed vt lex. *Est Moyses qui vos accusat. Ioan 5. 45. Num lex vestra condemnat quenquam. Ioannis 5. 57. Alia Scriptura dicit Ioannis. 19. 37. Lex ijs loquitur qui sunt in lege Roman: 3. 19.* verum ista omnia probant quidem impropriè & metaphoricè Scripturæ locutionem tribui, tanquam signo veræ vocis & locutionis: tamen id tunc solùm verum est, quando Scriptura certè & determinatè aliquid exprimit, tum enim certum aliquid pronuntiat, at cùm est difficilis & ambigua, nihil determinatè in vtramuis partem significat, nihil igitur tunc loquitur, ac proinde iudex non loquens, sed mutus statuitur ab aduersarijs, & permittit partibus litigantibus, hoc est omnibus hæreticis potestatem ad libitum loquendi, quia nihil ex se determinatè exprimit pro vtrauis parte. Neque tunc obstruit ora hæreticis, vt ait Zaboronius, sed aperit & laxat. Quamuis enim vni parti videtur ob collationem cum alijs Scripturis vnum loqui, tamen alteri parti ob aliam collationem non videtur id loqui; neque Scriptura in tali casu se interponit, & dicit hanc collationem esse bonam, illam non bonam, & hunc esse suum sensum non illum, sed id opinionibus relinquit. Quocirca in tali casu fingitur vel putatur Scriptura loqui secundùm opinionem cuiusq; partis, ipsa tamen secundùm se reuera non loquitur, sed tacet, cùm ex se sit ambigua & obscura.

Scriptura loquitur nō vt iudex, sed vt lex. ac proinde locutio ei μετωνυμικῶς tribuitur vt signo locutionis.

quare vbi claritate non conuincit, tacet.

Absurditatem verò huius rei, exemplo politico declaraui. Si enim in Rep: lex vel statutum poneretur pro tribunali absq; alio iudice, & partes litigantes ad

Quis vidit XII. tabulas

tes ad suā sententiā legem explicando pertraherent. quis tale iudicium non rideret? neque enim vnquam finis litium & contentionum esset; semper enim partes persisterent in suis rationibus & interpretationibus, & nunquā litigandi finem facerent. Nullaq; fuit vnquam Respublica, tam imprudenter constituta, vt legem solam scriptam, absque alia viua voce pro iudice controuersiarum haberet. Lex enim scripta nisi interponatur viuæ vocis oraculum, per seipsum litigantes componere nunquam potest: vti experientia ipsa continuo docet. Postquam enim partes legem ad suos sensus traxerint, non acquiescunt. sed expectant à iudice viuæ vocis decretum, quo decernatur hoc secundùm legem esse, illud minimè, & sic finis litibus imponitur. Soli Euangelici in mundo tam stultū tribunal constituunt, in quo solam scripturam sine viuæ vocis iudice determinante controuersias partium collocāt quod tantò absurdius est, quanto maius est rerum salutis quàm aliarum rerum detrimentum. Ad id cùm Zaborouius respondere directè nesciret, extra propositum respondet; in omni, inquit, Respublica bene constituta, non principis priuatum arbitrium, sed ipsa lex est supremus iudex, secundùm quam princeps iudicare tenetur. Quid hoc ad rem? anne nos talem iudicem requirimus, qui legem contemnat & euertat? & pro lege suo arbitrio priuato vtatur? Non hoc dicimus Zaboroui, sed viuum iudicem requirimus, qui legem defendat, & à prauis interpretationibus tueatur: qui secundùm legem iudicet, & lites quas sola lex dirimere non potest, sua interpretatione & sententia tandem diiudicet & dirimat; legem verò quæ sola absq; alio iudice omnium controuersiarum sit iudex, mutum & mortuum iudicem dicimus esse. Proferat igitur Zaborouius in aliqua rectè constituta Rep. solam legem scriptam absque vllo viuæ vocis iudice, esse pro summo iudice habitā & euincet. nam legem vnà cum iudice viua voce legem interpretante, & dubia circa illam orta declarante & definiente, facilè concedemus esse supremum iudicem, quia tunc non sola lex, sed & legis interpres est iudex.

ius dicere pro tribunali?

Lex supremus iudex sed mortuus.

Princeps lex animata.

At, inquit, si Præsides Ecclesiæ debent iudicare secundùm legem Dei & Scripturā, ipsa igitur Scriptura est supremus iudex. Ita enim Deus *Deut. 17. 10.* ait; *Et facies quodcunq; dixerint, qui præsunt loco, quem elegit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius.* Sed respondeo. id secundùm quod Præsides iudicare debent, est suprema norma iudicandi, non supremus iudex. Quia lex secundùm seipsam non est iudex propriè loquendo, sed norma iudicij, secundùm quam iudex iudicare debet. Quare & in rebus fidei norma suprema secundùm quam Præsides Ecclesiæ iudicare debent, est verbum Dei siue scriptum siue traditum, non autem sola Scriptura: ipsi verò Præsides sunt veri iudices, quia præstant id in iudicio, quod sola Scriptura præ-

Propriè ergo lex, non iudex sed norma iudicādi.

 ptura præ-

ptura præstare non potest. Nam duæ sunt partes iudicis, cognoscere controuersias partium, & per sententiam definitiuam eas dirimere. Neutrum præstat Scriptura præsertim tunc, cùm in varios sensus à varijs trahitur, ipsa pro se non agente nec respondente. Debet igitur dari distinctus à Scriptura iudex, qui Scripturam pro authoritate diuinitus sibi concessa interpretetur, & secundum eam interpretationem, sententiam ferat contra litigantes, ita vt eius iudicio vtraque pars stare & subijci debeat.

CAPVT XVIII.

Romanum Pontificem Petri successorem esse iure Diuino supremum in rebus fidei cōtrouersiarum iudicem, aduersus cauillationes Zabor: ostenditur.

CVm Scriptura per seipsam controuersiarum iudex esse non possit, sequitur necessarium esse viuum iudicem, qui & controuersias partium circa res fidei cognoscat, & eas sententia lata definiat ac dirimat. Hic porrò iudex non priuatus aliquis esse debet, quantumuis multa doctrina & eruditione polleat; non enim doctrinæ, sed Spiritus S. assistentis & dirigentis hoc opus est. Neque cuiuis præsidi Ecclesiæ id conuenit, sed soli supremo præsidi, qui toti etiam Ecclesiæ præest. Etenim vt negotia & lites, quæ particulares personas concernunt, ad particulares iudices spectant: quæ verò vniuersam Rempub: aut regnum concernunt, non ad inferius aliquod tribunal, sed ad supremum hoc est Regium spectant: ita in Ecclesia lites & controuersiæ circa fidem, cùm vniuersam Ecclesiam afficiant, ad supremum Ecclesiæ Præsidem qui est Romanus Pontifex, & Petri successor, pertinent. Id quod tam ex institutione Diuina, quam ex vsu & praxi perpetua Ecclesiæ, quæ est Diuinæ legis & institutionis optimus interpres, perspicuū est. Institutio Christi clarissima extat in illis verbis, quibus Petrum firmissimam & insuperabilem petram Ecclesiæ suæ perpetuis temporibus instituit, quod etiā ad successores ipsius pertinere suprà abundè ostensum est. Neque enim verendum est, ne summus Pontifex vt homo errare in tali iudicio possit, non enim humano solùm præsidio, sed præcipuè Diuino, tale iudicium exercet assistente sibi Spiritu veritatis Ecclesiæ à Christo promisso, propter quam assistentiam est vti petra firmissima, quæ ad errorem deflecti nullo modo possit. Nam

Tribunal Ecclesiæ non humanum, sed Spiritus S. opus.

Institutum à Christo.

non obnoxiū errori.

sit. Nam & Apostoli homines erant, at gratia Spiritus sancti confirmati errare non poterant. Hanc quoque institutionem Christi perpetuus quoq; vsus Ecclesiæ comprobauit. Totis enim his sexdecim seculis, nullæ hæreses ab Ecclesia condemnatæ sunt nisi per Romanum Pontificem, vti & historiæ omnes loquuntur, & deducit Bellarminus *libro 3. de verbo Dei. cap. 6.* Semper enim errores, qui in quacunq; mundi parte oriebantur ad iudicium Romani Pontificis deferebantur, qui Concilia in eum finem & indicebat, & postea confirmabat, vt vel ex Hieronymo *in epistola ad Damasum*, & Augustino *in Epist. ad Innocentium*, & Innocentio *in Epist. ad Patres Concilij Carthaginensis*, qui controuersias sui temporis iudicio Romani Pontificis definiri postulabant, manifestum est. Sane prima controuersia in Ecclesia de legalium obligatione non ad Scripturas amandata, sed iudicio Petri & Apostolorum decisa fuit. nullam enim Scripturam Petrus pro sua protulit sententia. Iacobus verò protulit quidem Scripturam de vocatione gentium ad fidem: sed in ea Scriptura decretum illud de abstinendo à sanguine & suffocato non continebatur. Vnde in suo decreto nec Spiritum sanctum in Scripturis loquentem protulerunt, sed absolutè dixerunt. Visum est Spiritui S. & nobis, quia Spiritus sanctus assistens illis in omnibus, per eos loquebatur, ita vt decretum eorum fuerit Spiritus S. decretum, neque solùm acquiescere se Spiritus S. in Scriptura decreto significabant, vt exponit Zaborouius, sed ipsi (conquisitione facta) decretum condiderunt, quot quia ex directione Spiritus sancti certò esse credebant, dixerunt: *visum est Spiritui sancto & nobis.*

Totis XVI seculis stetit.

Primus ex eo Petrus, primam diremit controuersiam.

Forma decreti.

Secundam controuersiam secundo seculo de celebrando Paschate die Dominico contra Quartadecimanos definiuit Victor Papa, ita vt & omnes Ecclesias Asiæ ob eum errorem excommunicauerit, & postea in Ecclesia Quartadecimani pro hæreticis fuerint habiti, de qua re Eusebius *5. hist. c. 23.* Augustinus *hæresi 29.* Errorem de rebaptizandis ijs qui apud hæreticos baptizati essent, damnauit Stephanus Papa. Cùmque Cyprianus cum suo Concilio plurimorum Episcoporum sententiæ Papæ resisteret, ab vniuersa Ecclesia in eo puncto reprobatus fuit, etiam ab Augustino, à quo in alijs omnibus miris laudibus celebratur. Sequuntur aliæ hæreses in sexdecim generalibus Concilijs damnatæ à summis Pontificibus, qui omnia illa Concilia cogi mandârunt, & eadem confirmârunt, quod vel ipsi Tomi Conciliorum testantur. Talpa igitur cæciorem esse oportet, eum qui non videt Ecclesiam vniuersã omnibus seculis vsu ipso declarasse, quis secundùm Christi institutionem sit esseq; debeat supremus iudex controuersiarũ in rebus fidei. Solius enim Romani Pontificis iudicio, omnes in Ecclesia controuersiæ diremptæ & compositæ sunt, hæreses condemnatæ, veritas stabilita. Cui iudicio tota Ecclesia

Secundam secundo seculo de die Paschatis. Victor P. & ita cæteri cæteras.

ta Ecclesia obsequens fuit, nec alium vnquam iudicem requisiuit; & si qui aliquando pertinaciter refragarentur, pro reprobis vel hæreticis sunt ab Ecclesia habiti.

Pontifices non Scripturarum, sed humanarum de Scripturis opinionum sunt iudices.

Quid verò contra hæc tam manifesta & totius orbis testimonijs confirmata Zaborouius? Ait nos hominem iudicem Scripturarum statuere. nos autem manifestam hanc calumniam repellimus dicendo: non Scripturarum sed controuersiarum ex Scriptura, vel circa Scripturarum sensum ortarum nos iudicem statuere, quod nihil aliud est, quàm humanarum de Scripturis opinionum esse iudicem. Nam eorum quæ Scriptura manifestè loquitur Pōtifex se iudicem non agnoscit, sed totum se earum authoritati subijcit. Neq; in dubium vnquam reuocat; an quòd Scripturis certo continetur sit verum, sed semper veneratur vt verum. Non igitur Scripturas secundùm se iudicat, quia veritatem Scripturarum in dubium non reuocat. Sed quæ homines de Scripturarum sensu suis priuatis opinionibus comminiscuntur, ea diiudicat, & sua sententia vel esse conformia Scripturis declarat, vel tanquam cum Scripturis pugnantia condemnat. Nullum igitur Scripturarum authoritati, suo iudicio præiudicium facit, sed potius prò Scripturis pugnat, ne falsis & commentitijs interpretationibus contaminentur. At, inquit, Papam cum in Concilio Tridentino apocryphos Scripturæ libros inter Canonicos retulit, Scripturarum iudicem se fecisse. Verùm duplex hic est lapsus Zaborouij.

Ante Concil. Tridentinum Canon Scripturarum conditus.

Alter. quòd putet in Concilio Tridentino, primùm libros quos ipse vocat apocryphos in Canonem relatos esse. idem enim Canon Scripturarum & in Concilio Florentino fuit, & Gelasij Papæ ac Innocentij temporibus, quem etiam Augustinus *lib: 2. de Doctrina Christiana cap: 6* recenset. Alter lapsus est vel potius calumnia, quod putet Concilium ex apocryphis Canonicos libros fecisse, cùm id falsissimum sit. Declarauit enim Concilium eos libros semper Canonicos fuisse: licet non semper fuerint pro Canonicis ab omnibus agniti. Non enim potest facere Ecclesia librum Canonicum qui non sit Canonicus, sed potest declarare esse Canonicum, qui non ab omnibus putatur esse Canonicus. Tunc verò non de Scripturis propriè iudicat, sed de opinionibus circa earum notitiam & certitudinem, hominumq; erroneas de aliquibus libris opiniones, qui cum verè Canonici sint, ab ijs tamen apocryphi censentur, condemnat; Scripturam verò veneratur.

Zaborouius sua probra alijs imponit.

Facitis, inquit, Papam Scripturæ iudicem, qui iudicia vestra pessima de Sacro Dei verbo approbat, nempe Scripturam esse gladium Delphicum, Nasum cereum &c. Verùm odio excæcatus, nec quid loquatur, nec quid eum loqui oporteat intelligit. Nam si hæc iudicia de Scriptura pessima sunt, non nostra, sed vestra sunt? quia non ex nostra, sed ex vestra assertione sequuntur.

quuntur. Dicam clarius. Dicunt Catholici, ex vestra secundùm cuiusque opinionem interpretandi Scripturam licentia sequi, Scripturam esse nasum cereum, gladium Delphicum, librum hæreticorum, quia quocunque vultis illam trahitis. Primùm igitur in hoc errat Zaborouius, quod sua absurda nobis imputat. Deinde quod omnia quæ in scriptis Catholicorum reperiuntur, censet approbari à Papa, cùm ea priuatorum autorum propria sint, nec ad Papæ iudicium vnquam delata. Sed licet Zaborouio quid pro quo loqui, cùm solidis rationibus destituitur. Similiter cùm producere in medium conatur aliquas ineptas & ridiculas, vt ait, Canonistarum Scripturæ interpretationes, seipsum ineptum omnibusq; ridendum propinat; similitudines enim ex Scripturis petitas vocat, Scripturarum interpretationes, vti cùm in capite *Solitæ de Maioritate*, ex similitudine duorum luminarium à Deo in cœlo conditorum, declarantur duæ primæ dignitates in Ecclesia, Spiritualis nimirum & temporalis, Papæ & Imperatoris: vbi non locus Geneseos exponitur, sed simile quid in Ecclesia à Deo factum docetur. Sed piget in talibus ineptijs persequendis tempus & operam ponere, quibus liber Zabor ouij sicut Augiæ stabulum plenus est.

Malitiosè Ecclesiasticos autores traducit.

Aggreditur tandem Zaborouius inanissimis rationibus ostendere Papam non posse supremum iudicem controuersiarum in Ecclesia statui. Supremi enim iudicis requisita hæc sunt: Primò, Ne possit errare. Secundò, vt ab eo prouocare non liceat. Tertio, Ne sit partialis. Quartò, vt ad assentiendum corda flectere possit. Horum requisitorum nullum in Papam cadere potest. Age expendamus singula. Primum illud si ad rationem iudicis omnino requiratur ne errare possit, efficiet nullum dari in terris supremum iudicem non solùm in Ecclesiasticis, sed etiam in politicis controuersijs. Quis enim est qui errare non possit, siue defectu scientiæ, siue defectu considerationis, siue affectu aliquo prauo? Neque tamen idcirco in Politicis iudices reijciendi, multò enim plures & maiores errores acciderent, si sublatis publicis iudicijs, priuatis quibusq; iudicium permitteretur. Publicum enim iudicem multa sunt quæ in officio continent, & errare non permittunt. Verùm vltro concedo in Ecclesia Dei iudicem supremum errare non posse, peculiari Christi priuilegio & assistentia Spiritus S. à Christo promissa. Nam quod ait Zaborouius Papam errare posse, id iam millies refutatum est. Etsi enim vt priuata persona errare possit, tamen in definiendis rebus fidei pro tota Ecclesia nec errauit, nec potest errare. Et tamen Zaborouius quasi doctrinæ huius & responsionis ignarus, vnum cum alio confudit, & autores qui Papam errare posse, vt priuata persona est, concedunt: non ad rem adducit, siquidem ijdem in definiendis rebus fidei pro Ecclesia errare non posse,

1. Argumenti membrum excutitur.

Fidei decreta nunquam abrogantur.

Morum decreta etiam ab ipsis Apostolis mutata, vt de sanguine & suffocato non edendo.

disertissimè fatentur. At inquit, Papas Paparum decreta abrogare. Id si de rebus fidei intelligatur, falsum est, & calumnia putida, quæ nullo exemplo probari potest. Si verò de ijs rebus, quæ pro rerum & temporum exigentiâ statuuntur, talia & mutari possunt: si res exigat, & de facto mutata sunt, non solùm quæ à Papis, sed quæ ab ipsis Apostolis decreta fuerunt. Primum enim decretum Apostolorum in Concilio Hierosolymitano de abstinentia à sanguine & suffocato, statim post tempora Apostolorum sublatum est. non quod Apostoli in decernendo errauerint, sed quod decretum illud tempore Apostolorū necessarium erat ad satisfaciendū Iudæis, postea verò nulla talis necessitas erat. Talia etiam decreta non solùm Papæ sequentes rescindere possunt, sed ipsi quoque qui ea condiderunt, cùm res ita fert, plerumq; rescindunt. Quòd non erroris signum est, sed immutationis rerum, quæ pro temporum & circumstantiarum varietate, varia & sæpe contraria requirūt. At inquit, vnus Papa alium pro hæretico agnoscit, vti Honorium Leo II. & Adrianus VI. agnouit. Verùm nullus vnquam, quòd hæresim ex Cathedra definiuerit, notatus vel ab aliquo insimulatus est. Si verò de priuata hæresi, hoc est iudicialiter non definita agatur, multi Catholici sunt in ea sententia, Papam vt priuata persona est, errare posse. Re tamen vera & de facto de nullo Papa id hactenus probari potuit, eum etiam priuatam hæresim vnquā habuisse. Nam quod de Honorio dicitur grauissimis summorum Pontificū testimonijs, & ipsius Honorij literis constat, eum ab hæresi immunem fuisse: licet literæ illius male intellectæ magnā occasionem dederint, vt hæreticus esse crederetur. De qua re etsi doctissimè & sufficientissimè à Bellarmino scriptum sit, *4. de Rom: Pont. cap. 11.* tamen Zaborouius eandem crambem semper reponit, & tanquam musca à lacte sæpius abacta, iterum assultat. At inquit, plerique qualis Paulus II. fuit, à literis fuerunt prorsus alieni, hos igitur sequitur in fide & interpretatione errare posse. Non est ita Zaboroui. Non enim in scientia literarum, & humana sapientia vim facimus, sed in Spiritus S. assistentia & directione, quæ nunquam fallere potest; sicut nec in rudibus Apostolis & piscatoribus fefellit. Quocirca cùm nos talia asserentes Gnathones Pontificum appellas, tua modestia facit: pro qua si paria tibi reddenda essent, putasne nobis te digna Epitheta fuisse defutura?

Zaborouius importuna musca.

2. membrum

Secundò. Probat Papā supremū iudicem esse nō posse. quia inquit à Papa ad alium iudicem appellari potest, quemadmodum, inquit Donatus à iudicio Melchiadis Papæ in causa sua cum Cæciliano ad Imperatorem appellauit, qui hanc causam post iudicium Melchiadis Arelatensi Episcopo iudicandam commisit, teste Augustino *Epist. 166.* Apparet satis quàm sit destitu-

tus à rationibus Zaborouius, dum sua tam insulse probat. Nunquid enim factum Donati schismatici est ius, & non potius iniuria? qui in rebus Ecclesiasticis ad Principem secularem appellare non fuit veritus. Vetus regula est: Errores allegandos non esse, nec abusus vllos pro legibus statuendos. At Augustinum citas historiæ autorem, sed infideliter more tuo. Quod enim Augustinus damnat in Donato schismatico, tu probas, & quasi probantem Augustinum inducis vt fallas. Ibi enim ait; Ne Constantinum quidem ausum fuisse de causa Episcopi iudicare, sed eam discutiendam & definiendam Episcopis delegasse. *Quod & factum est*, inquit, *in vrbe Roma, præsidente Melchiade Episcopo illius Ecclesiæ cum multis collegis suis. Qui cùm Cæcilianum innocentissimum pronunciassent, & Donatum qui schisma Carthagini fecerat sententia percussissent, iterum vestri ad Imperatorem venerunt, & de iudicio Episcoporum in quo victi fuerant murmurauerunt.* sicut & tu modo Zaborouí murmuras. *Factum schismatici, ius non est, sed iniuria.* F.

Tertiò probat non minùs insulsè. Quia Papa, inquit, est iudex partialis. Quid ita? quia, inquit, tantùm pro vobis, qui sedis ipsius fulcra estis iudicat; nos verò innocentissimos nullo iure, sed solùm iniuria, inauditos etiã condemnat. At quid hæc sunt nisi inanissima verba, quæ omnes malefactores & fures suis iudicibus obijcere possunt. Non fauoribus agunt Pontifices cum res fidei definiunt, sed Scripturas proferunt, traditiones Apostolicas, autoritatem Sanctorum Patrum, & ad hanc normam declarant atque definiunt aliquid esse de fide. Neque Catholici sunt tanti stipites, vt aliquid tanquam ad fidem spectans recipiant, quod non sit fidei fundamentis subnixum. Qui verò vos innocentissimos prædicare audetis, qui toti antiquitati & Ecclesiæ Dei bellum mouetis? qui tot animas Christi Sanguine redemptas in Orcum mittitis, cæci duces cæcos in baratrum æternæ damnationis præcipitatis? Nullo iure vos à Papa condemnari dicitis, nos contra eodem iure contra vos procedi ostendimus, quo contra omnes hæreticos Ecclesia Catholica semper processit. Eadem enim Ecclesia Catholica, quæ alios omnes Hæreticos, quotquot ante vos fuerunt condemnauit, vos quoq; condemnat, iure sibi à Christo concesso. *Qui enim Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Inauditos vos condemnari doletis; quid mirum? quia audiri nó vultis, etiamsi literæ assecurationis ad eum finem vobis offerantur. Mauultis etiam in vestris angulis confessores vestræ fidei haberi, quàm alibi martyres. At hæc errores vestri cum suis fundamentis in iudicia producuntur, qui cùm Scripturis & antiquæ fidei repugnare deprehensi fuerint, vnà cum suis autoribus meritissimo condemnantur. Denique falsò asserit Zaborouius tantùm pro nobis sententiam à Pontifice fieri, non solùm enim de ijs quæ ab hæreticis, sed

G. quale quiuis facinorosus cuiuis iudici obijcere posset

Innocentia Caluiniana.

Matth. 18. 17.

cis, sed & quæ à Catholicis in controuersiam deducuntur, decernit Pontifex.

4. Quarta denique probatio omnium est ineptissima; quia, inquit, Papa corda ad assentiendum flectere nequit. Corpora quidem cogere potest, sed non conscientias. Quid ineptius? anne iudex ad suam sententiam recipiendam corda flectere & conscientias cogere debet? Id sanè nec Deus ipse facit, quem esse supremum iudicem nemo dubitat: permittit enim sua decreta in Scripturis expressa liberè recipi, nulla vi facta libero arbitrio. Quodsi ad iudicis officium, satis est præcepto & sententia ad officium homines impellere, adiunctis etiam pœnis, quidni Papa ea quoq; ratione corda hominum flectere possit, cùm hæc flexio nihil aliud sit, quàm præceptum? Cùm verò ait fidem per vim impositam, fidem non esse, siquidem suaderi fides debeat non imponi, hic quoq; non leuiter hallucinatur. Nam si de impositione quæ fit per præceptum & pœnæ constitutionem loquatur, ea impositio libertati fidei non repugnat, siquidem & Deus ipse hoc modo imponit præceptum fidei apposita pœna. *qui non crediderit condemnabitur.* neq; tamen eo ipso vim fidei facere censetur. Adhæc alia ratio est de ijs, qui nunquam fidem receperunt, quales sunt Gentiles & Iudæi: hi enim cùm Ecclesiæ potestati nunquam se subiecerint, compelli ab Ecclesia nequaquam possunt ad fidem recipiendam, cùm & Christus ipse Apostolos ad prædicandum gentibus miserit, sibi pœna æterna in non credentes reseruata: *Qui non crediderit condemnabitur. Marci 16. 16.* At qui semel Christi fidem acceperunt, & se Ecclesiæ potestati per Sacramenta subiecerunt, ij cùm fidem deserunt, tanquam fidei violatores puniri possunt & debent ab Ecclesia: nam & verè subditi Ecclesiæ sunt, & sicut pro alijs criminibus homines admissis puniri possunt, ita & multò magis pro criminibus in Deum & contra fidem commissis. Nam & Domini temporales neminem ad sibi seruiendum cogere possunt; postquam tamen suis obsequijs mancipatum habent, iure possunt illum de admissis criminibus & fide violata punire.

Neq; Deus conscientias cogere solet.

Præcipit nihilominus credenda & agenda non sine comminatione pœnæ.

Ex tam insulsis probationibus non minus insulsam conclusionem Zaborouius infert: aliquot mendacijs auctam. Vnum est, Ecclesiam sine hoc capite sexcentos & amplius annos fuisse, quod impudens mendacium satis refellunt ipsa generalia Concilia, primis sexcentis annis habita, eadem & à Romanis Pontificibus indicta, & legatis Romanorum Pontificum præsidentibus celebrata, & à Romanis Pontificib. cõfirmata & approbata fuerunt, recognoscentibus eam Romanorum Pontificum autoritatem ipsis Concilijs generalibus in literis suis ad ipsos datis, vti supra satis ostendimus. Alterum est in Concilio Chalcedonensi *Act: 16.* Constantinopolitanum Patriarcham Romano Pontifici in primatu honoris exæquatum esse; quod mendacium illa ipsa

Epilogus Zaboruij scatens mendacijs.

F.

la ipsa actio 16. conuincit, quia in ea citatur Canon Concilij Nicæni de primatu Pontificis Romani his verbis: *Ecclesia Romana semper habuit primatũ, mos autem antiquus perduret. Saluo igitur Romani Pontificis primatu, confirmatur consuetudo antiqua cæteris Patriarchis, idq; propterea quòd talis est Episcopo Romano consuetudo, scilicet permittendi tales consuetudines cæteris Patriarchis in suis Ecclesiis gubernandis.* Demum lecto hoc Canone ex Concilio Nicæno iudices dixerunt: *Perpendimus omnem primatum & honorem præcipuum, secundùm Canones antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari.* Demum Concilium Chalcedonense *actione 1. 2. 3.* passim vocat Leonem *vniuersalis Ecclesiæ Pontificem, cui vineæ hoc est vniuersæ Ecclesiæ custodia à Saluatore commissa sit.* Quorsum igitur Zaboroui, tam impudentia mendacia nobis obijcis? de quibus tam manifestè conuinci & confundi potes? Sed istud est ingenium Ministrorum vestrorum, mendacio viuere. Si enim ex scriptis vestris mendacia, falsificationes, & calumniæ tollerentur, vix aliquid quod cum veritate consistat, remaneret.

At absurditatem sententiæ nostræ verbis Erasmi comprobari ait. Sic enim ille scribit: *Quid opus est Concilijs? quorsum tot Theologi accersuntur? quorsum attinet tot Academias in tractandis fidei negotijs distorqueri, cùm ex vno Pontifice quid verum sit audire liceat?* Respondemus Erasmo & tibi. Quid opus erat in Concilio Hierosolymitano disquisitionem magnam fieri de cessatione legalium, cùm adessent Apostoli, à quibus quid verum esset audire licebat? Quemadmodum igitur Apostoli, etsi assistentem Spiritum S. haberent, disquisitionem nihilominus magnam de proposita quæstione fecerunt: ita & Papa, etsi Spiritum S. assistentem habet, disquisitionem tamen in Concilijs & in Academijs non omittit, vt & Scripturarum veritas, & traditionis Apostolicæ certitudo appareat, vt secundùm eam quæstio controuersa, assistente Spiritu sancto, declarari & definiri possit. Neque enim Spiritus S. reuelationes nouas facit Pontifici, sed dum in rerum reuelatarum veritate inuestiganda ponit operam, assistit illi ne definiendo erret. Quocirca Apostoli meritò dixerunt *visum est Spiritui sancto & nobis.* Nam ad eã definitionem & Apostoli cum reliquo Concilio concurrerunt disquirendo veritatem, & Spiritus S. assistendo Apostolis, ne in disquirendo errarent.

Pontifex exẽplo Apostolorum disquisitionem de rebus desiniendis non omittit.

Tandem suam de iudice controuersiarum sententiam exponit. Primò Spiritum sanctum in Scripturis loquentem, esse supremum iudicem omniũ controuersiarum. Verùm hoc iam refutatum est. Nam licet in ijs quæ clarè in Scripturis continentur, Spiritus S. sit iudex, quia tamen non omnia in Scripturis loquitur, quædam etiam ita obscurè loquitur, vt mens Spiritus S. ex solis Scripturis certa colligi non possit, necessarium est alium assignare iudicem,

Sententia Zaborouij de Iudice controuersiarum refutata.

dicem, qui de ijs controuersijs quæ ex Scriptura sola definiri non possunt, iudicium ferat.

Errat in statuendis publicis Ecclesiæ iudicibus.

Ait secundò. Publicos in Ecclesia iudices si sint immediatè à Deo vocati, vt Prophetæ & Apostoli, errare non posse, quia à Spiritu sancto aguntur. Si verò sint mediatè vocati, vt cæteri Episcopi & Doctores, si secundùm legem Dei scriptam iudicent, non errant: si minus, errare possunt. Hic in duobus deficit Zaborouius. Primùm, quod insufficientem diuisionem facit. Nam ij qui mediatè vocantur à Deo, sunt in duplici differentia; aliqui enim habent peculiarem assistentiam Spiritus sancti promissam à Christo, vt sunt Romani Pontifices Petri successores; alij non habent. illi errare non possunt: hi possunt, si à Romano Pontifice dissentiant. Deinde errat quòd iudicij normam solam Dei legem scriptam temerè statuit, cùm lex Dei non solùm scripta sit, sed & tradita, vti supra ostensum est. Adhæc cùm Scriptura multa quæ in controuersiam veniunt non contineat, vel cùm de sensu ipso Scripturæ controuersia est, tunc Episcopi si solas Scripturas scrutentur, iudices esse non possunt: ex re enim dubia, certum concludi non potest. Idq; docent suo exemplo Luterani & Caluinistæ, qui etsi omnia secundùm opinionem ipsorum media adhibeant ad verborum illorum, *Hoc est Corpus meum*, sensum eliciendum; nunquam tamen controuertendi finem faciunt. Aut igitur Ecclesia erit sine iudice, aut præter Scripturam alius erit iudex admittendus.

& in priuatis.

Tertiò ait. Priuatum iudicem controuersiarum esse vnumquemq; fidelium. Quod, si de iudice controuersiarum propriè dicto intelligat, falsum est. Nam nec vnusquisq; fidelium Scripturas, imò nec literas nouit, quomodo verò illiteratus & imperitus esse bonus Scripturarum iudex potest? neque etiam ex solis Scripturis omnes controuersiæ definiri ab Episcopis, multò minùs à priuatis possunt. Nam cùm Paulus ait *1. Cor: 10. 15. vt prudentibus loquor, vos ipsi iudicate quod dico.* Non tribuit Corinthijs iudicium de vniuersis controuersijs fidei, sed de illo mysterio Panis & Calicis Domini, quod quia iam crediderant & intellexerant, facti per fidem prudentes poterant iudicare, iudicio approbatiuo, credendo vera esse quæ dicebantur à Paulo. Sed, inquit, tenentur fideles sequi vocem Christi, alienam verò fugere, necesse est vt eam exacto iudicio cognitam habeant. *Oues enim meæ, vocem meam audiunt, & alienam non sequuntur. Ioan. 10. 5. 27.* Sed nec hinc quidquam concluditur. Neq; enim fideles tenentur vocem Christi sequi, nisi eam esse Christi certò cognouerint. Cùm autem ex solis Scripturis in rebus dubijs & controuersijs vocem Christi agnoscere non posint, consequens est ex solis Scripturis iudices controuersiarum esse non posse. Cùm vero Paulus *1. Tess: 5. 20.* ait; *Omnia probate, quod bonum est tenete*, non præscribit eum quem

Quomodo oues Christi vocem eius audiunt.

Zaborouius

Zaborouius vult probationis modum ex solis Scripturis, neque de dogmatibus fidei loquitur, sed de probandis Prophetijs, si nimirum cum rebus fide creditis consentiant, vel secus. Quia enim dixerat, Prophetias nolite contemnere, ne omnes sine discrimine Prophetias, etiã fallas & confictas approbasse videretur, adiungit *omnia autem probate.* Denique frustra Beroënsium exemplum pro se adducit, de quibus legitur *Act: 17. quòd scrutarentur quotidie in Scripturis, an hæc (quæ audierant à Paulo) ita se haberent.* Nam ibidem legitur eos prius suscepisse verbum cum omni auiditate, ac proinde ante omnem scrutationem Scripturarum credidisse, quia tamen audierant Paulum citantem quædam testimonia Scripturæ veteris Testamenti, de Christi morte & Resurrectione, non ex aliqua dubitatione, sed ad maiorem suã consolationem, & experientiam eorum quæ crediderant, ea in Scripturis scrutabantur. Quod non est ex Scripturis iudicare de rebus fidei, sed experiri res fidei iam creditas: nec est Scripturas proprio sensu interpretari, sed expositas ab Apostolo penetrare magis, ac intelligere. Ex quibus concluditur, si sola Scriptura statuatur norma rerum fidei, nullum apud Euangelicos dari posse controuersiarum in rebus fidei iudicem, neque vllum contentionibus & disputationibus finem imponi posse, in eosque illud Apostoli optimè conuenire, *semper discentes & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.* hoc enim ex ista quam sibi constituunt fidei norma assequuntur, vt nullam certã fidei & veritatis normam habeant, secundùm quam sint de sua fide securi, quod vel ij, qui à Lutero ad Caluinum transeunt, vel à Caluino ad Arianos, luculenter testatum faciunt.

Beroenses quomodo scrutati Scripturas.

2. Tim. 3. 7.

At, inquit, Euangelicos suis Ministris legitimè ab Ecclesia ordinatis credere, non propter solam externam ordinationem, aut aliquas animi dotes; sed quod ea quæ dicunt Scripturis apertis muniant: verbum autem Dei fallere neminem potest, quin illud solum est in quod resoluitur Fides nostra. *Fides enim ex auditu, auditus per verbum Dei.* Nos verò ait contra facere, quod Scripturas Romani Pontificis sensu ac iudicio interpretamur. Verùm futilis ista excusatio est. nam neque Ministros legitimè ab Ecclesia ordinatos Euangelici habent, vt supra demonstratum est; neque illis propter Scripturas veras, sed solùm secundùm opinionem ipsorum intellectas credunt. Vnde illorum Fides non in Dei verbum verum, sed in verbum putatum ab ipsis, & existimatum resoluitur. Ministris enim non est promissa assistentia peculiaris Spiritus S. vt in interpretandis scripturis non errent. Nos porrò cùm ex sensu & iudicio Romani Pontificis Scripturas interpretamur, non hominis sed Spiritus S. sensum sequimur, qui sua assistentia Pontifici in Petro à Christo promissa, nos ab omni prorsus errore immunes ac securos facit. Nam-

Roman. 10.

ἀνάλυσις fidei sectariorum in verbum putatitium.

Ecclesia non Catholica sed Luterana errare potest & re ipsa errat.

cit. Nam quod Zaborouius ait, & Episcopos, & Concilia, & Papam, denique Ecclesiam errare, & à verbo Dei recedere posse, ita & Scripturis, & rationi aduersum est, vt alia refutatione nó egeat, satisq; id à nobis supra refutatū est. Quanquam si hoc de sua Ecclesia, quæ nullam habet regulam certam & infallibilem, sed solùm opinionem cuiusq; circa Scripturarum sensum intelligat; concedi potest & debet, ipsorum Ecclesiam errare posse, & errare ipsis Euangelicis testibus, qui cùm à Lutheranis ad Caluinianos transeunt, fatentur se turpiter in Luteranismo errasse. Testatur & Confess: August: toties recocta & repurgata. Nam quod ait non esse nouum in Ecclesia librū aliquem in vno vel altero verbo corrigi, vt ex Retractationibus Augustini patet: si id de iis rebus quæ ad fidem non pertinent, sed sub opinionem cadunt intelligat, verum dicit: in rebus verò ad Fidem pertinentibus soli Hæretici libri corriguntur. Porrò Augustana confessio, cùm fidei doctrinam & Confessionem contineret, in rebus Fidei correcta est: quocirca non à Spiritu S. sed Cacodæmone authore confecta fuit. Nunquam enim auditum est librum Spiritu S. assistente conscriptum errores continuisse, vt repurgatione indigeret. Denique testis est Lutherus ipse, qui in Præfatione 1. Tomi deprecatur suæ doctrinæ inconstantiam, quod omnes statim errores deponere non potuerit, quippe qui longo tempore Monachus, & in castris Antichristi fuerit; & tamen cùm errores suos prædicabat, eadem asseueratione qua cætera, à Spiritu S. profecta non verebatur asserere. Inuidet verò Catholicis nostris perpetuam, quæ est inter ipsos in rebus Fidei concordiam, cùm certissimam in rebus fidei regulam sequantur, nempe Spiritum S. per Romanum Pontificem & Ecclesiam, docentem eos omnem iuxta Christi promissa veritatem. Secundùm quam regulam, non solùm in vllum errorem Ecclesia prolapsa non est: sed etiam quotquot in Ecclesia ab Apostolis hucusq; errores & hæreses exortæ fuerant, condemnauit. Scimus, inquit, vos non virtute Spiritus, sed externa vi & metu pænarum, in exteriori concordia retineri. Scitis sanè, sed mendaciter, quippe qui conscientiarum nostrarum recessus penetrare non potestis. Vetus illud est: Malum esse custodem diuturnitatis metum. Qui igitur fieri posset vt omnibus antegressis sæculis & toto terrarum orbe, tanta in fide Catholica concordia esset, solius metus externi causa, nisi alter accederet longè grauior Diuini iudicij metus, qui solus sufficiens est ad homines omnes in officio continendos? Quis verò credat potentissimos Reges & Monarchas & liberas Respub: vi externa à Pontifice Romano in Religione contineri? Quis credat innumera Catholicorum millia toto terrarum orbe in summo salutis negotio vim externam Romani Pontificis reformidare? Nugæ sunt istæ, vestris synagogis, non prudentum auribus dignæ. Liberam..., inquit,

Augustana Confessio recocta.

Luteri inconstantia.

Quid in Ecclesia Catholica conseruet concordiam.

Falsum est vim ac metū conseruare,

inquit, vocem si vt in Rep: libera decet haberetis, non deessent monachi qui ob ereptum sibi à vobis bolum, præreptamq; gloriam vobis Iezuitis minimè parcerent. Næ, Zaboroui vir propheta tu es, & extra te factus vaticinari incipis. At stulte. Cùm enim hic de concordia in rebus fidei agamus; tu Iezuitas ob nescio quos bolos ipsis præreptos committere vis cum monachis? quod etiamsi efficeres, ad fidem & eius vnitatem quid hoc spectat? Nonne vos Luterani & Caluinistæ caninis vos dentibus inuicem laceratis; & tamen vnitatem nescio quam fidei retinere vos iactatis? Norûnt, Zaboroui, Iezuitæ Monachos omnes tanquã veteranos in Ecclesia Dei milites agnoscere, ijsque debitã venerationem & honorem deferre; cùm verò se socios ijsdem in militia Christi adiungunt, nihil illis præripere cupiunt: sed communi manu & copijs, bellum omnium dæmonum & hæresum monstris inferunt, nec de sua, sed de communi Domini gloria decertant; ad quam promouendam vnà cum ipsis, quidquid in ipsis est virium collaborant. Bellum, inquis, inter Dominicanos qui tacere coguntur, & Franciscanos de Conceptione B. Virginis denuo recrudesceret. At neque bellum hoc in re ad fidem spectante est, neque reuera bellum est, cum salua charitatis vnitate, in rebus ab Ecclesia nondum definitis, opinionibus certatur. Neque omnino Dominicani tacere coguntur, cùm & docere suam opinionem in scholis, & publicè scriptis edere permittantur; id solùm tacendum præcipitur, quòd vel charitatem ledere posset, vel immoderatam alterius opinionis censuram secum ferat. Quo quid æquius? Verùm ex Nazianzeno affers: Melius est dissidium pietatis causa ortum, quàm vitiosa concordia; contra te ipsum & tuam confœderationem sententiam pronunciãs. Quid enim magis vestram Confœderationem, quam tantopere vrgetis, iugulat, quàm quod impietatis concordiã vultis, quã secundùm Nazianzenum longè melius est pietatis causa dissidiũ?

Zabor. vellet Iesuitas committere cum monachis.

Et alios religiosos inter se

Melius dissidium confæderatione sectaria.

Risum verò mouet Zaborouij illa deuotio cum ait, tot nationes diuersas, quæ reformatam religionem amplexæ sunt, in ijs quæ circa principium, subiectum, obiectum, adiunctum fidei versantur, vnius esse labij, quod Harmonia Confessionum abundè testatur. Quis enim tam stolidus & rerũ ignarus est, qui Zborouio tam incredibilia dicenti fidem habeat, cum nulla in mundo sint maiora dissidia, quàm inter istos qui fidem reformatã profitentur, hoc est Luteranos & Caluinistas? quicquid Harmonia Confessionum mentiatur: solum enim in charta apud vos est concordia, in re autem est summa discordia. Nulla enim secta est ita dissecta in plurimas sectas ac Luterana, ita vt quot capita tot fere sint sectæ: neq; dici potest quod Zaborouius asserit, esse quoad ritus diuersas non quoad capita fidei. non enim de ritibus digladiantur sed de fide, de veritate, de vbiquitate Corporis Christi.

Luporum è fibris fides & harmonia.

Tt nunquid

nunquid hæc ad ritum pertinent? Hæc ita esse quilibet facile agnoscet, qui vel vnius Stanislai Rescij Ministromachiam & Euangelicarum sectarum centurias perlegerit. Cùm igitur Zaboroui constet vos verbi Dei magnam partem reijcere, libros Canonicos detruncare, & pro apocryphis immeritò habere, prauis interpretationibus Scripturam peruertere, nullam regulam certam, & infallibilem verbi Dei intelligendi habere; consequens est vos non esse verbi Dei ministros, sed corruptores, deprauatores, falsatores.

CAPVT XIX.

Ex nouorum Euangelicorum doctrina nullum vnquam euasisse insigniter Sanctum, aut euadere potuisse.

Non hic locus accersendi scelerum Ministros,

VEnio ad nonam demonstrationem, qua Ministri Euangelici probantur non esse veri Euangelij Ministri, quòd non afferant fructum Euangelio dignum, nempe vitæ sanctimoniam. vbi non scelera Ministris obijcio, vti falsò calumniatur Zaborouius, sed doctrinæ & prædicationis vitium ostendo, quod nullus ex eorum Euangelio & doctrina sanctitate conspicuus vnquam prodierit. Ita infelix, sterile, infœcundum est istud quintum Euangelium. Non omnes, inquit, verbi Dei Ministros necesse est afferre fructũ Euangelio dignum, cùm tot sint in Ecclesia deprauati Christianorum mores. Nec ego Zaboroui hoc assero, omnes veri verbi Dei Ministros in suorum auditorum animos singularem sanctitatem inducere: sed hoc solùm arguo, quod cùm in Ecclesia Catholica verbum Dei ita fructificet, fructificaueritq; semper, vt plurimos ad excellentem quendam sanctitatis gradum prouexerit: ex vestro Dei verbo nullus talis fructus visus est vnquam prodijsse, quòd meritò suspectum vestrum Dei verbum, hoc est vt à vobis prædicatur, facere potest. Si enim verè à vobis prædicaretur, vim proculdubio suam quæ est maxima exereret; si non in omnes, saltem in aliquos. Hac enim de causa Dominus falsos prophetas ex fructibus eorum cognoscẽdos esse pronunciat, fructibus, inquam, doctrinæ, inter quos vnus est pietas & sanctimonia.

sed fructus quæritur ex doctrina sanctitatis.

Nam cùm ex Chrysostomo adducit omnes species iustitiæ, quas habent serui Dei in veritate, seruos quoq; diaboli habere in similitudine: id etsi verum est, tamen simul etiam verum est, quòd ea secta, quæ nunquam in suos sectatores vllam veram, & non simulatam sanctitatem induxit, aut

inducere

inducere potuit, meritò debet esse de falsitate suspecta. Verum enim Dei verbum, eam virtutem habet, vt in hominibus aliquibus saltem, admirabiles fructus sanctitatis proferat: in qua igitur secta eam virtutem non habet, signum certissimum est, in ea non vere prædicari. Quamuis autem ex sola specie sanctitatis, quæ à dæmone etiam simulari potest, non liceat absolutè inferre doctrinæ veritatem; transfigurat enim se plerumque angelus satanæ in angelum lucis: tamen si ea sanctitas indubitata sit, & diuino testimonio ac miraculis comprobetur, indubitatum est veræ doctrinæ argumentum. Talis porrò sanctitas, vti in Ecclesia Catholica semper viguit, & viget etiam nunc, vti per singula secula discurendo Bosius *libro 7. de Notis Ecclesiæ, Signo 25.* demonstrat: ita in synagogis Euangeliorum prorsus est inaudita. Quis enim apud Euangelicos ea sanctitate fuit, vt duos mortuos, (quod vt alios taceam) de Francisco Xauerio Indiarum Apostolo nostro, hoc seculò proditum est, in vitam reuocârit? Non igitur ex Doctorum sanctitate, de doctrinæ veritate faciendum iudicium dico, vt mihi falsò imponit Zaborouius; possunt enim etiam mali vera dicere, de quibus Christus *Matth. 23. 2. Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite, secundùm opera verò eorum nolite facere:* sed ex doctrinæ vestræ sterilitate demonstro, eam verbi Dei propriam virtutem, quæ in sanctitate inducenda posita est, non habere. *Viuus enim est sermo Dei, & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoq; ac medullarũ. Hebr. 4. 12.* In quo testimonio Pauli, Zaborouius ait quidem se summam virtutem Dei, quod in corda electorum agit adorare: illud tamen minimè concedere, quod homines in carne supra carnem Angelicam vitam viuant. Quid ita? quoad enim, inquit, carnem mortalem & affectibus obnoxiam gestamus, semper *caro concupiscit aduersus spiritum*, qua lucta manente, necesse est in membris nostris sentiamus legem captiuantem nos legi peccati, vt exemplo Pauli *Rom: 7. 18.* & Hieronymi *in Epistola ad Eustochium* patere ait. Verùm Zaborouius & Paulo contradicit, & quid sit in carne supra carnem viuere non intelligit. Etenim Paulus *Rom: 8. 9.* exprefse hac phrasi vtitur: *Vos*, inquit, *in carne non estis, sed in spiritu.* etsi enim in carne essent quoad carnis naturam; non tamen in carne erant, quoad subiectionem: sed in spiritu, quia non carnis desiderijs seruiebant, sed spiritu facta carnis mortificabant, & ea ratione superiores carne euadebant. Non igitur supra carnem esse, est concupiscentias carnis non sentire, sed est esse illis superiorem, sicut & esse supra hostem, non est hostem nõ habere, sed hoste superiorẽ esse. quanquã & illud plerisque seruis suis ex peculiari priuilegio doni Castitatis DEVS legitur con-

Qualis in Christi Ecclesia viguit semper vigetque.

Zaborouius non intelligit quid sit in carne supra carnem viuere.

tur con-

tur cōcessisse. Quæ verò hic Zaborouius cōtra sanctitatem fori Confessionis & Sacerdotum in eo puritatem deblaterat, non refutanda sed reiicienda sunt, tanquam ab homine animali profecta, qui non sapit nisi carnem, & quæ Spiritus Dei sunt, non diiudicat. Difficile enim est meretricem de castitate disputare.

Zaborouius falsificat Chrysost.

Vnum non omittam falsificasse Zaborouium Chrysostomi & Basilij testimonium. Ita enim de peccatis Sacerdotum citat Chrysostomum, *homil: 3. in Acta, & homil: vltima ad Hebræos.* Non temerè, inquit, dico, sed vt affectus sum & sentio. Non arbitror inter Sacerdotes multos esse qui salui fiant, imò miror si aliquis saluari possit. Cùm Chrysostomus *homil: 3. in Acta* aliter loquatur: *Non arbitror*, inquit, *inter Sacerdotes multos esse, qui salui fiant, sed multò plures qui pereant*, quòd is status summam quandam perfectionem requirat. Non igitur Chrysostomus ait vniuersè de Sacerdotibus, miror si aliquis saluari possit, vti falsò citauit Zaborouius. In homilia verò *vltima ad Hebræos* de rectoribus solùm Ecclesiarum, qui eo tempore per ambitionem dignitates Ecclesiasticas consequebantur, non vniuersè de Sacerdotibus dixit Chrysostomus. Miror si aliquis saluari possit rectorū, idque propter summam eorum in officio pastorali negligentiam. Zaborouius vero citauit ac si Chrysostomus nō de rectoribus, sed de Sacerdotibus loqueretur. Basilium vero *cap: vltimo de Spiritu S.* his verbis statum Ecclesiæ sui temporis exponentem citat: Euanuit, inquit, omnis Sacerdotalis honestas. Quæ verba prorsus non habet eo loco Basilius, & statum Ecclesiæ non ob Sacerdotum impuritatem, vti vult Zaborouius: sed ob hæreticorum Ecclesiam deuastantium scelera deplorat.

Falsificat & Basil.

F.

Sectarij resecant ab Euāgelio consilia. Paupertatis à Christo suasa.

Iam verò Euangelicos non inducere suo Euangelio sanctitatem, primum ex eo demonstramus, quod ab Euangelio resecant omnia consilia perfectionis, quibus ad magnam perfectionem sanctitatis peruenitur. Quale inprimis est illud *Matth: 19. 21. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Quod Christi consilium non solùm Euangelici non sequuntur, sed etiam esse Christi cōsilium negant. Ita enim cum suo Caluino Zaborouius hic respondet: Consilium, inquit, Christus nullum tale dedit, sed adolescentem qui se ab adolescentia omnia fecisse superbè gloriabatur, illis verbis propriæ imbecillitatis admonuit. At stipes est, qui hic consilium à Christo adolescenti seriò datum non videat, vti omnes Sancti Patres & interpretes hucusque viderunt. Id enim quod vltra præcepta faciendum proponitur, solo studio maioris perfectionis; consilium proculdubio censeri debet. Hic porrò ita res habet. Nam adolescens à Christo interrogatus de mandatorum obseruatione, con-

ne, confessus est se *omnia seruasse ab adolescentia sua.* insuper adiecit: *Quid adhuc mihi deest?* Hoc igitur quod respondit Christus est vltra mandata, ac proinde consilium non ex præcepto, sed ob studium maioris perfectionis suscipiendum. Quod verò non superbè adolescens hic gloriatus sit de obseruatione mandatorum, sed in veritate dixerit quod erat, patet ex eo quod Christus id responsum non solùm non reprobauit, sed approbauit. vt enim est apud Marcum *10. 21. Intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei, vnum tibi deest.* Quomodo enim eũ propter superbam & hypocriticam gloriationem dilexisset, aut ex ea hypocrisi occasionem exhibendæ illi peculiaris beneuolentiæ accepisset. Cùm verò ait, *vnum tibi deest*, cætera quæ ad mandatorum obseruationem pertinebant non deesse, tacitè approbauit. Quocirca & Apostolis rursum de eadem re interrogantibus, idem quod adolescenti respondit: *Ecce*, inquit, *nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Omnis qui reliquerit domum &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Super quem locum S. Bernardus: *Hæc*, inquit, *sunt verba, quæ contemptum mundi in vniuerso mundo & voluntariam persuasêre paupertatem, hæc sunt quæ Monachis claustra replent, deserta Anachoretis.* *S. Bernardus.*

Nam insulsum est quod ait Zaborouius, Apostolos quamuis se omnia Christi causa reliquisse dicant, cum mantica mendicaturos ostiatim non ambulâsse. Nam & cùm Christum relictis omnibus sequebantur, facultatibus & eleemosynis piarum mulierum vnà cum Christo sustentabãtur, & postea per totum mundum peregrinati sunt, meris piorum eleemosynis de Euangelio viuentes, idque ex ordinatione Domini, vti testatur *S. Paulus 1. Cor: 9.* nisi quòd Paulus ibidem ob perfectionem maiorem, & maiorem apud Deum gloriam, ne hac quidem Christi concessione vti voluerit, sed sine vllo sumptu fidelium, prædicare voluit Euangelium operando manibus suis, & victum sibi quærendo. Non igitur in mantica Zaboroui paupertas Euangelica est posita, sed in vera propriarum possessionum Dei causa abdicatione: neque in sola præparatione animi ad relinquenda omnia, cùm necessitas postulauerit, sed etiam extra casum necessitatis in actuali abdicatione, omni earum vsu se liberè tota vita priuando, & pauperum more vitam degendo. Cuius paupertatis exemplo Christus inprimis ipse præluxit nobis, qui *cùm diues esset, propter nos egenus factus est.* ita vt non haberet *vbi reclinaret caput suum.* Præluxerunt & Apostoli qui actu relictis omnibus, & Christũ per triennium in paupertate magna, & rerũ omniũ inopia comitati sunt, & postea per totum mundum nullis suarum rerum præsidijs peregrinati sunt. Præluxerunt & innumera Monachorum millia, qui ab ipsis Apostolorum

Luc: 8.3.

Paupertas est in abdicatione facultatum.

2. Cor: 8. 9.
Mat: 8. 20.
Exemplo Christi Domini & innumerabilium Sanct.

sorum temporibus ad hæc vsque tempora commendatam à Christo paupertatem sanctè coluerunt: & propter regnum cœlorum terrena omnia reliquerunt. quod non solùm admirabile est in vulgaribus hominibus, sed etiam in Ducibus, Regibus, Imperatoribus, qui relictis amplissimis regnis, paupertatem Christi non erubuerunt, quorum catalogum recenset Bosius *de Signis Ecclesiæ cap: 10.* & Hieronymus Platus *2. de bono status Religiosi. cap: 26. & 27.* Quis nisi Deus rem tam arduam & difficilem persuadere tantis viris potuisset? cùm nec regia dignitate quidquam in terris nobilius, nec paupertate & mendicitate quidquam vilius habeatur, nec illis omnia relinquendi vlla alia necessitas incumbebat, præter Dei amorem & Regnum cœlorum.

Apostoli non affectu tantū sed re & effectu, voluntate non necessitate pauperes.

Euangelici, inquit Zaborouius, Apostolos imitati, affectu sunt parati relinquere omnia, quando id causa Christi postulauerit. Verùm Apostoli non solùm affectu, sed & re ipsa reliquerunt omnia: neque in casu necessitatis aut præcepti, nulla enim eos præcepti diuini necessitas, sed libera voluntas & consiliū Christi ad id faciendum compulit. Sicut & Paulus sumptus omnes pro sua sustentatione libere repudiauit, & suis manibus victum sibi quærere elegit. Quodsi magnæ charitatis erga Deum est indicium, paratum esse in casu necessitatis & præcepti diuini omnia relinquere; quanto maioris charitatis & perfectionis indicium est, non in casu tantùm necessitatis, sed etiam extra necessitatem libere Dei & Regni cœlorum causa, re ipsa omnia repudiare? Nam quod ex D. Thoma *2. 2. q. 184. art: 7.* adducit in externa rerum abrenunciatione non consistere perfectionem, sed in animi interno affectu & præparatione: id quidem verum est. nam perfectio Christiana in charitate non in vlla re externa posita est, docente Paulo *1. Cor: 13.* sine charitate neque distributionem facultatum in vsum pauperum quidquam prodesse: at nos non de ea abrenunciatione loquimur quæ est sine charitate, sed de ea quæ ex charitate proficiscitur: dicimusq; maiorem perfectionem esse velle ex charitate omnia absolutè Dei causa relinquere, quàm velle tantùm in casu necessitatis, cùm illud sit longè difficilius & admirabilius, ac proinde maioris charitatis signum.

Societas Iesu non nisi abdicatione bonorum præmissa ad Professionem admittit.

Nec vos, inquit, Iesuitæ pauperibus vestra distribuitis. At hoc & extra propositum est, & falsum. Paupertas enim Euangelica non pendet à Iesuitis, qui etiamsi non essent, non deessent in Ecclesia Catholica innumeri alij religiosi, qui paupertatem Euangelicam sanctissimè profitentur. Iesuitas verò sua pauperibus non distribuere; si de facultatibus quas in seculo habebāt intelligas, ita impudens mendacium est, vt sobriusne & vigilans id scripseris, meritò dubitari possit. nisi enim sua vel pauperibus, vel alijs indigentibus di-

bus distribuant, ad Professionem secundum suas Constitutiones admitti nō possunt. Si verò de ijs facultatibus quas Fundatores Collegiorum attribuerunt loquaris, eæ cùm sint non ad pauperes mendicos, sed ad pauperes religiosos sustentandos institutæ, non possunt in alios vsus contra mentem Fundatorum conuerti. harum tamen fundationum fructibus Iesuitæ nonnisi pauperum more vtuntur, ea ratione qua pauperes in hospitali vtuntur reditibus hospitalis. Nihil enim quisq; vt proprium possidet, sed quod à superiore pro vsu necessario concessum illi fuerit, eo vtitur. Non igitur reditus Iesuitas Dominos & diuites, sed pauperes efficiunt; cùm illis nec vt proprijs, nec ex proprio arbitrio vtantur, sed ex maiorum suorum voluntate, plusque cuilibet pauperrimo iuris est in rem quam vt suam possidet, quàm Iesuitæ in omnia quibus ex concessione superioris vtitur. Sed de his tu fortè non magis iudicas Zaboroui, quàm capra de pipere; difficilè enim est de rebus ignotis iudicare.

Fundationibus quomodo vtatur.

Magna quoque laus sanctimoniæ in castitate posita est, qua se homines in perpetuum Deo obstringunt & consecrant, carnem suam crucifigentes cum vitijs & concupiscentijs. Quod tantò admirabilius est, quanto difficilius & rarius. Quantò enim difficilior pugna, tantò gloriosior victoria. Et quia fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit mœnia; nobilissimum victoriæ genus est seipsum, hoc est carnem suam cum affectionibus suis, quarum in homine summa est potestas vincere. Hoc enim est in carne supra carnem & supra naturam viuere, naturaque ipsa superiorem esse, & vitam Angelicam quodam modo æmulari. Nam licet in Angelis maior sit fælicitas, quod carnis affectionibus non tangatur; tamen maior castimoniæ virtus in hominibus, qui in carne à carne non inquinantur. Quocirca D. Ambrosius *1. de virginitate libro*, Virginitatem martyrio comparare non dubitat. *Non ideo*, inquit. *laudabilis est Virginitas, quod in Martyribus inuenitur: sed quòd ipsa martyres facit.* Hanc igitur tantam sanctimoniæ laudem inuident suis sectatoribus Euangelici Ministri. Primò, cùm castitatem seruatu impossibilem asserunt. Secundò, cùm Matrimonij fidem violari concupiscētia inualescente permittunt. Tertiò, cùm vota castitatis Deo facta rescindunt, & ad incæstas nuptias transitum concedunt. Quartò, cùm omnem vitæ asperitatem, qua caro in officio continetur vituperant, & hypocriticam censent. Quid igitur mirum eos sua doctrina Sanctos efficere non posse, cùm media singularissima Sanctitatis excludunt?

Castitatis laus.

Eā quatuor arietibus sectarij verberant.

Probemus singula. Et quidem primum illud, nempe castitatem esse seruatu impossibilem, non diffitetur Zaborouius, idque duplici ratione. Altera est: Quia sine dono Dei impossibile est castitatem seruare. *Non possum enim*

1. aiunt impossibilem.

enim aliter esse continens, nisi Deus det. Sapientiæ 8. 21. Quæ ratio si quid concluderet, efficeret quoq; fidem impossibilem. Nam & fides donum Dei est, sicut & castitas: & sine gratia Dei haberi non potest. Sicut igitur fides, etsi sine gratia Dei haberi non possit, non censetur absolute impossibilis, quia gratia Dei ad credendum est possibilis, & omnibus datur: ita nec castitas, etsi absque gratia Dei haberi nó posit, non debet censeri impossibilis; quia gratia ad eam habendam necessaria est possibilis, & omnibus datur. Huic, inquit, impossibile est, cui hoc donum a Deo denegatum est. Nos contra: cùm hoc donum a Deo nemini humiliter illud poscenti denegetur, nemini quoque castitas erit impossibilis. Notum enim est quod

1. Cor: 10. 13. Paulus ait: *Non patietur vos tentari supra quam potestis, sed dabit cum tentatione prouentum vt possitis sustinere.* Quocirca Paulus cùm stimulo carnis

2. Cor: 12. 9. premeretur, ter Dominum rogauit vt auferetur ab eo, & licet vt auferetur non impetrauerit; impetrauit tamen virtutem & gratiam, qua tentatione superior existeret. *Sufficit*, inquit, *tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur:* quantū enim infirmus tentatione reddebatur, tantùm gratia Dei corroborabatur, & virtutem in infirmitate non amittebat, sed perfectionem reddebat.

Altera ratio Zaborouij est. Quia castitas mentis seruari non potest, carne libidinis incendio æstuante. Quam rationem si ita intelligat, vt necesse sit mentem concupiscentijs carnis consentire, & peccati impuritatem contrahere; impius est & blaspemus, homines brutis exæquans, & gratiæ diuinæ virtutem abnegans. Hoc enim homines a brutis maxime distant, quòd hæc quidem affectibus & concupiscentijs regantur, nec illis obsistere possint: homines verò ratione & timore Dei concupiscentijs obsistunt, & ab ijs se superari non patiuntur. Gratia etiam Dei nouas nobis vires subministrat, & victores nos mundi, carnis, diaboli efficit. Ita enim dicebat Paulus: *Quis me liberabit à corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum Dominū nostrum.* Si verò rationem hanc ita intelligat, vt vellit ipsos concupiscentiæ motus esse peccata, etiamsi mens illas reijciat, & non admittat, Euangelio & rationi ipsi contradicit. Christus enim in Euangelio docet, ea solum quæ ex corde exeunt coinquinare hominem, cordis nomine liberam hominis voluntatem intelligendo: si igitur cor quascunque irruentes concupiscentias non admittat sed respuat, nullo modo illis contaminari, & impuritatem peccati contrahere censendum est. Ratio quoque ipsa suadet, peccatum nonnisi voluntate contrahi; nec quisquam tam mentis inops est, qui alteri pro culpa & peccato imputet, quod contra omnem ipsius voluntatem euenisse nouit. Quemadmodum igitur voluntate omnis culpa & peccati impuritas:

Brutum affectibus regitur homo ratione & gratia.

Rom: 7. 25.

Motus concupiscentiæ non sunt peccata.

Matt: 15. 18.

impuritas contrahitur: ita eadem voluntate resistente, eadem impuritas nõ admittitur, sed reijcitur. Quomodo enim impuritatem quam quis non admittit, sed respuit, contrahere dici potest? Stultum igitur & temerarium est illud Zaborouij de Catholicis Sacerdotibus iudicium, cùm eos in confessionibus audiendis castam mentem non seruare asserit, ex se alios metiendo, pro quo Deo in extremo eius iudicio pœnas temeritatis & calumniæ pendet iustissimas.

Secundum quoque probatur ex doctrina Luteri, qui in *lib: de vita cõiugali Tom: 6.* tradere non erubuit: Quam parum, inquit, in mea potestate est vt vir non sim, tam parum etiam in mea potestate situm est, vt absque muliere sim. Ac rursum: quàm parum in tua potestate est, vt mulier non sis, tam parum etiam in tua potestate est, vt absque viro sis. Quia hæc res non est arbitraria seu consilij, sed res necessaria ac naturalis, vt omnis vir mulierem habeat, & omnis mulier virum. Atq; hoc esse plusquam præceptum, magisq; necessarium quàm comedere & bibere, purgare & expuere, dormire & vigilare, solumq; excipit casum impotentiæ & miraculum. Ex hac autem doctrina, quòd impossibile sit virum sine muliere viuere, & mulierem sine viro, infert: si recuset vxor reddere debitum, licere ad ancillã transire, quia nimirum virum sine muliere esse est impossibile. Verba eius hæc sunt: Si ex coniugibus alter alteri se subtrahat, nolitque coniugale debitum præstare, ac præsentiam coniugalem exhibere, quemadmodum subinde adeò pertinaces mulieres inueniuntur, vt nil moueantur etiamsi mariti interim decies in fornicationem incidant, hic tempus est, resq; ipsa exigit, vt vir dicat, Si tu non vis, volet alia. Si non vult vxor, veniat ancilla: ita tamen vt hoc vir illi prius bis terué dicat, eamque admoneat, atq; in aliorum etiam notitiam deducat, vt publicè de illius contumacia constet, & coram communitate corripiatur: tunc si non velit, dimitte illam & aliquam tibi Esteram adiunge, repudiata Vasti sicut Rex Assuerus fecit. Lector diiudicet an vera sit excusatio Zaborouij, Luterum id ad terrendas vxores, & in officio coniugali continendas dixisse. Malus iste terror est Zaboroui, qui ad terrendam vxorem viro adulterium permittit. Etenim si vxor post priuatam & publicam admonitionem recuset officium coniugale, permittit Luterus non terrendo solùm, sed seriò vxorem deserere ac repudiare, ac aliam admittere contra ius Diuinum; *Quod Deus coniunxit homo non separet:* & alteram mulierem surrogare exemplo Assueri Regis in locum Vasti surrogantis Ester. Deinde clarissimè constat ex verbis & ratione Luteri, doctrinam istam seriò docuisse; siquidem illam ex eo principio deduxit, quòd impossibile sit esse virum sine muliere: si igitur vxor nolit, alia omnino mulier inducenda

2. Lutherus fidem matrimonij violari posse docet.

Mat: 19. 6.

est, non ad terrendam vxorem, sed quia impossibile est virum esse sine muliere. Talem scilicet porcum pro Apostolo Euangelici habent, dignum sane tali Euangelio Euangelistam.

En seriam impuritatis pertinaciam.

At non solùm adulterium in Matrimonio permittit Luterus, sed etiam indignius quiddam. Ita enim *Tomo 2. in lib: ad Dominos Ordinis Teutonici* scribit: Si contingeret, vt vnum, centum, mille, vel plura etiam concilia statuerent, posse Ecclesiasticos seu Sacerdotes Matrimonium contrahere, seu aliud quidpiam iam antè à Dei verbo faciendum vel omittendum præscriptum: tum equidem mallem conniuere gratiamq; adpromittere illi, qui tota vita sua vnam, duas, vel tres meretrices haberet, quàm illi qui legitimam vxorem duceret, secundùm talium Conciliorum decretum, non ausurus alioquin vxorem ducere sine tali decreto: vellemque insuper omnibus Dei iure præcipere & consulere, ne vllus ex vi talis decreti legitimam vxorem duceret, sub amissione æternæ salutis; sed vt imprimum omnes castè viuerent, vel si id alicui impossibile esset, in sua fragilitate & peccato saltem non desperaret, sed Dei opem imploraret. Hæc Luterus. Quid igitur mirum, si ex tam petulanti doctrina, nullus sanctitatis & sanctimoniæ laude insignis, euadat aut euadere vnquam possit? Non talis erat prædicatio Christi & Apostolorum. Christus enim dicentibus Apostolis non expedit nubere, respondit: *Non omnes capiunt verbum hoc.* ac si diceret: verum est quidem non expedire, sed non omnes hoc intelligere & capere *Matth: 19. 12. Sunt enim Eunuchi qui se castrauerunt propter regnum cœlorum.* Paulus verò *1. Cor: 7.* pluribus modis exhortatur ad virginitatem: *Bonum est mulierem non tangere. Noli quærere vxorem. De virginibus præceptum Dei non habeo consiliũ autem do: Beatior erit si sic permanserit secundùm meum consilium. Puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam.* Quantò interuallo ab hoc Spiritu Pauli, distat spiritus Luteri?

Zaborouius impudens calumniator,

At ne nihil Zaborouius dixisse videatur, retorquet telum in nos, sed irrito conatu: dicit enim eam doctrinam videri Luterum in nostra schola didicisse. Quis tam incredibilia credet? aut quis apud Catholicos prædicari audiuit vnquam tale Euangelium? more tamen suo quo falsò & sinistrè intellecta ac detorta testimonia solitus est producere, duo producit. Primum verba ab hæreticis inserta *in Epist: 5.* Clementis Romani Sanctissimi viri, vbi probat sententiam Græcorum sapientissimi qui dixit: *Amicorum omnia debere esse communia, in omnibus autem sine dubio etiam coniuges contineri.* Quæ vltima verba cùm nec in Autentico vaticano habeantur, nec in antiquis manu scriptis: regerenda sunt tãquam falsa in os falsi citatoris. Alterum est,

& falsificator

quod in iure Canonico legatur: Qui non habet vxorem, loco illius habeat concu-

concubinam, *dist: 34. Can: Is qui.* Iterum falsarius est Zaborouius: nõ enim dicitur, habeat concubinam: sed si habet concubinam, à communione nõ repellatur. Nomine autem concubinæ non intelligitur meretrix, vti imperite & malitiosè putat Zaborouius: sed ea quæ ad procreandos liberos perpetua lege admittitur, sine tamen dotalium tabularum solennitate. sic enim tales tunc vocabantur, vt patet *in Iustiniana nouella 18. cap: 5.* de quo etiam Augustinus *in lib: de bono Coniugali.*

Iam tertium quoque de Votis castitatis rescindendis, & post votum nuptijs celebrandis ipsissima Luteri doctrina est, exemplo eiusdem turpissimo confirmata. In libro enim *de votis Monasticis*: Quid igitur, inquit, de voto castitatis amplius dicam? Institutum meum est, non dicere qua ratione seruari debeat, sed qua ratione seruari nec possit, nec debeat. *Et mox:* Ponamus, inquit, quod aliquis voueat condere nouas stellas, montesque transferre, an non iure vocares amentiam? sed enim votum castitatis à tali voto nihil differt. *Et in Epist: ad Volffgangum*: Castè & integrè viuere, inquit, tam non est in manu nostra, sicut omnia reliqua Dei miracula. Zaborouius in eadem est sententia cum Lutero, ait enim se suis, mole conscientiæ pressis, id consilij dare, vt in turpi voto, stultè videlicet & supra vires suscepto, rescindant fidem, quòd incautè vouerunt, ne faciant. Ita Zarorouio turpis & stulta res videtur castitas, cuius consilium Scriptura tantopere commendat: turpe quoq; & stultum votum quod qui violat *damnationem habet* Paulo teste *1. Tim: 5. 12. quia primam fidem irritam fecit.* At longè stultius & magis impius Zaborouij consilium censeri debet. Quis enim ei hanc potestatem dedit, vt Deo datam fidem rescindat, & vota quæ Deus sanctè obseruari præcipit, violari permittat? Supra vires, inquit, eiusmodi votum est. Nunquid verò est supra vires gratiæ Diuinæ, quæ non patitur nos tentari supra quam possumus? Quod autem ex gratia Diuina nobis possibile est, simpliciter possibile, non supra vires, censeri debet. Vt autem quàm turpe & stultum consilium hoc tuum sit, magis perspicias: dic obsecro, si maritus abducta in captiuitatem coniuge, vel alia ex causa absente, vel morbo graui impedita, stimulos & tentationes concupiscentiæ patiatur, quod obsecro consilium huic misero dabis? nunquid consuetum vestrum pro sedandis concupiscentijs remedium, mulierem videlicet aliam surrogare? Quod si tam impius non eris, vt id suadere audeas, proculdubio recursum ad Deum per orationem suadebis, castigationem item corporis Pauli exemplo, & in seruitutem reductionem, timorem etiam iudicij Diuini, & gehennæ ardores ob oculos propones. Cur igitur similia media ei qui post votum castitatis in tentationes similes incidit, non suadebis? cur ad vxorem

5. Castitatis Deo dicatæ vota sectarij rescindunt.

Zaborouius Lutherißat turpiter ac impiè.

Modus stimulos concupiscẽtiæ domandi salutaris.

nouam tam citò gradum facitis? Quodsi in alijs quoq; grauissimis contra diuina præcepta tentationibus, peculiarem ad Deu recursum cum magna spe auxilij diuini nobis in necessitate promissi consulimus, nec fallimur: nunquam enim à Deo deserimur, nisi nos prius Deum deseramus, cur eodem medio concupiscentijs nostris consultum non volumus? Non igitur turpe est vouere Deo castitatem; sed turpe est castitatem promissam non seruare, concupiscentijs more brutorum cedere, diuinæ gratiæ non fidere, ad eamq; obtinendam non adlaborare; pulcherrimum verò carnem domare, concupiscentias diuina gratia superare, florem illibatum puritatis perpetuò conseruare. Similiter stultum non est, Dei consilia sequi, eique id vouere, cuius vouendi Christus ipse in Euangelio autor est, quodq; Paulus consulit, & bonum beatumq; prædicat. Stultum potius est, Diuinis consilijs contemptis, Euangelicorum carnalia consilia sequi, qui tanquam homines animales, nihil nisi carnem sapiunt, nec quæ sunt spiritus capiunt.

Improba, inquit Zaborouius, est promissio, quæ scelere adimpletur. Non promissio Zaboroui improba est, sed improbus eorum animus est, qui post votum in tentationes coniecti, ad Deum, vti par est, non recurrunt, & à Deo iuuari in superandis tentationibus nolunt. Improbi sunt consultores Euangelici, qui improba consilia relictis sanis & salutaribus subministrant. Neque verum est, promissionem hanc scelere impleri per se loquendo, sed vitio eorum qui cùm gratia Dei iuuari non satagant, pessimos consultores Ministros Euangelicos ad res conscientiæ adhibent: alioquin gratia Dei precibus implorata adiuuante, non scelere, sed laudabili & Deo gratissimo opere, hoc est, carnis & concupiscentiarum victoriâ adimpletur. Quomodo illud intelligendum est, quod tu ex Pio II. citas: Multos Clericos & Monachos in Matrimonio saluari potuisse, qui in sterili cœlibatu damnabuntur. id enim non statui eorum perfectissimo, qui ad salutem institutus est, adscribi debet; sed vitio eorum, qui ad suam vocationem dignè sustinendam, segnes sunt in gratia Dei quærenda: *Nemo enim mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Lucæ 9. 62.*

Os improbum Zaborouij.

Tandem Zaborouius cum veritate suam sententiam tueri non posset, calumnijs & mendacijs rem aggreditur, ex Historia Iesuitica ab Helia Hansmyllero, homine mendacissimo, Apostata, & iurato Iesuitarum hoste, depromptis. Falsò etiam & impudenter affirmat Acostam de Iesuitarum vitæ licentia in India scripsisse. quod ille de quorundam aliorum licentia scripsit *4. libro de procuranda Indorum salute c.15.* Itaq; Zaboroui posuisti spem tuam mendacium, & frons meretricis facta est tibi, vt ea scribere contra Iesuitas non erubesceres, de quibus mendacij ab omnibus, qui Iesuitas familiariter

Veterem Camerinam mouet Zabor.

liariter norunt, conuinci potes. Non est nouum vestris tales fabulas de Iesuitis confingere, quippe quos veritate expugnare non potestis. Tales fabulæ à vestris confictæ plurimæ extant. Qualis est illa de sex Iesuitis Cracouiæ flagitiorum causa a Stephano Rege ad mortem damnatis: de turpi flagitio in Ecclesia Monachij ab ijsdem patrato, quarum falsitatem Principes ipsi literis datis refutârunt. Nuperrima verò, quæ de Illustrissimo Cardinali Bellarmino confinxistis, & in vulgus sparsistis, quid aliud effecerunt, nisi vt & Iesuitarum integritas, & vestrorum mendacia paterent magis. Alia porrò est ratio de Lutero, cuius flagitium in incestis cum Moniali nuptijs, & toti mundo patet, & negari à nemine potest. denique eiusmodi est, quod eum non esse Apostolum à Deo missum luculenter testatur. inauditum enim est, aliquem hominem tam impurum, à Deo immediatè electum & missum fuisse. Nam licet, qui ab hominibus mittuntur improbi, esse possint, eorumq; dictis nos obedire, vitam non imitari, Christus ipse voluit: tamen ex ijs qui à Deo immediatè missi vnquam fuère, ne vnus quidem repertus est impurus Apostata, & in sua impuritate ad mortem vsque perseuerans, qualis fuit Luterus, qui in incestis illis post votum solenne, & Monasticam professionem cum moniali nuptijs Anno 1525. initis, ad finem vsque vitæ permansit, tresq; filios Ioannem, Martinum, Paulum, teste Sleidano reliquit: maximè si verum est quod ipse de se refert, se ad Matrimonium non carnali ardore, sed mera complacentia matrimonij impulsum esse. Ita enim scribit in Epistola ad Nicolaum Amsdorffium, ipsum ad suas nuptias inuitans: Nam ego, inquit, nec carnalem amorem, nec ardorem sentio, sed vltro complacentiam habeo de Matrimonio, tanquam de creatura & ordinatione Dei. Si enim nullum carnis ardorem & impetum sentiebat, nullam proculdubio causam habuit violandi voti, cùm ea solùm ab eo asignatur, quòd tale votum sit supra vires humanas, ob ardorem concupiscentiæ.

Sola hæresis causa nuptiarum Lutero si ipsi de se credendum est affirmanti.

CAPVT XX.

Pœnitentia & austeritate vitæ nullum Euangelicorum admirabilem extitisse.

MVltos Sanctorum fecit admirabiles pœnitentia & asperitas vitæ, ita vt ferrei potius quàm carnei crederentur. At ex doctrina Euangelicorum, quis vnquam admirabilem illam pœnitentiam, & vitæ austeritatem imitatus est? Quis exemplo Ioannis Baptistæ in eremum abijt, vt ibi di-

ibi diuinarum rerum contemplationi, pœnitentijs, ieiunijs, & omnigenis carnis afflictionibus perpetuò vacaret? Quis Euangelicorum produci potest, qui pœnitentiam Pauli primi Eremitæ, Antonij, Hilarionis, (de quibus Hieronymus) æmulatus est? Quis Simeonis illius Stilitæ qui ad finem vsque vitæ, in vna columna stans, pœnitentiam agebat, Quadragesimam sine vllo cibo & potu, per annos plures quam 28. transigebat, idque Domino cooperante, & virtutem eius comprobante innumeris signis, ex toto fere terrarum orbe, ad illum ob sanctitatem confluentibus hominibus, & gratias referentibus, vti scribit Theodoretus?

4. *Expugnandæ castitatis aries dignos pœnitentiæ fructus abolere.*

Quid ad hæc Zaborouius? correctum inprimis vult illud dictum: Multos Sanctorum ob pœnitentiam & asperitatem vitæ fuisse admirabiles, dicendumq; potiùs putat ob gratuitam Dei misericordiam. *Beatus enim*, inquit, *cui Deus non imputauit peccatum*, *Psal: 31. 1.* Vtrumque, Zaboroui, fuit in Sanctis, & gratuita Dei misericordia, qua illis non imputauit peccatum; & post remissionem peccati fructus digni pœnitentiæ. Gratia enim Diuina nobis communicata non facit nos ociosos & segnes; sed excitat ad admiranda pœnitentiæ opera, ob Dei & perfectionis maioris amorem suscepta: angusta enim est porta, quæ ducit ad vitam.

Deinde ait, nullum ex Loiolæ discipulis in eremum se conferre, nullũ cilicio indui, nullum oleribus vesci. Quid hoc ad rem Zaboroui? Non id quæritur an Loiolæ discipuli sint Eremitæ, sed ex vestranè, an ex nostra doctrina prodierint viri pœnitentia & austeritate vitæ admirandi? Tu cùm nihil de tuis quod in medium proferre haberes, Iesuitas carpere aggrederis, quòd nec ipsi sint Eremitæ: etsi enim ipsi Eremitæ non sint, eam tamen doctrinam ex Euangelio prædicant, quæ homines ad omnem vitæ austeritatem & pœnitentiam impellit, ex qua etiam Eremitæ prodierunt, quod vestrũ molle & delicatum Euangelium non facit. Deinde duæ sunt vitæ Eremiticæ partes; altera solitudo ad liberius contemplationi rerum Diuinarum vacandum: altera vitæ austeritas & pœnitentia. Licet igitur Iesuitæ priorem illam Eremiticæ vitæ partem non sequantur, quod ipsorum instituto, quo ad proximorum salutem & perfectionem promouendam tenentur, minimè sit conueniens. Alterã tamen quæ in austeritate vitæ & pœnitentia consistit, peculiari studio more communi religiosorum colunt. Licet enim communem vitam teneant; victum tamen tenuem & vulgarem habent, nihil proprium, nihil tanquam suum possident, non librum, non vestem, non habitationem, non lectum, deniq; nec quidquam eorum quæ ad vitæ commoda conferunt; sed his omnibus ex maiorum suorum, non suo arbitrio, pro necessitate vtuntur, omnesq; (vno verbo) ex superiorum voluntate suas rationes

Duæ vitæ Eremiticæ partes. I Solitudo quæ nonnisi per interualla Societatis instituto congruit

II. *Asperitas quam non re-*

ctiones suspensas habent. Quod ad carnis afflictiones attinet, eas illi omnes nullo excepto pro virium, & deuotionis suæ ratione concessas, à superiore suscipiunt, & in eis se ita sedulo exercent, vt freno potius, quàm calcaribus egeant: non ciliciorum asperitates horrent, non disciplinarum dolores pertimescunt, non duras cubationes, non spontè suscepta ieiunia fugiunt, sed hæc omnia pro delitijs habent, eius vnius amore propter quem mundo & carni nuncium remiserunt: denique in maiorem sui abnegationem & continuam in rebus omnibus, quoad eius fieri potest, mortificationem, ex regula sollicitè inuigilant. Hæc tu de ipsis non credis, quia eos familiarius non nosti: si nosses, & te vnà cum illis ad aliquod tempus meditationis rerum Diuinarum causa (quod permulti faciunt) includeres, mutares profectò sententiam, & quos modo vt hostes persequeris, amares & venerareris vt Dei seruos.

Fugit Societas.

Ædificia Iesuitarum non respice: hæc enim ex Fundatorum voluntate, vt in perpetuum manerent, solidè extrui debuerunt. Quid potius intra ædificia in laudem Dei ab ijs agatur introspice: neque enim aliud videbis, quàm virtutum omnium & pietatis scholam, & religiosæ vitæ ac mortificationis exercitium. Quod in Iesuitis admiratus sapientissimus ille Stephanus Rex, dixit: Ni Rex essem, Iesuita essem. quod tu, non vt bonum decet, in malũ sensum torques, quasi eo dicto luxum & diuitias Iesuitarum carpserit, quem tamen constat tot Iesuitis Collegia non ad ipsorum luxum, sed ad Dei gloriam amplificandam extruxisse.

Zaborouius ludit in Stephani Regis de Societate apophtegmate.

Verùm quod contra Iesuitas ex ignorantia profers, minus est; illud maius, quod contra vitam Eremiticam, vel potius contra ipsum Spiritum sanctum blasphemè pronuncias, eam videlicet legi Diuinæ repugnare. Sic enim ais: Ego verò dico nos per legem Christi id facere non posse. Quid ita? Non enim, inquis, in Eremo preculas demurmurantibus, aut cum satana colludentibus, sed officia charitatis exercentibus vitam æternam Christus pollicetur. *Matth: 25. 35. Esuriui & dedistis mihi manducare.* Quid verò Zaboroui ais? quid loqueris? Ergone tibi Paulus ille primus Eremita (vt alios taceam) quem Deus sexaginta annis in eremo pauit, mittens ei per coruum singulis diebus dimidium panis, cuius animam sanctus Antonius ad cœlum cum gloria deferri conspexit, cui leones sepulchrum effoderunt, tibi preculas in Eremo demurmuràsse, & cum sathana lusisse videtur? Cur Sanctorum orationes demurmurationes, eorumq; cum satana pugnas collusiones per irrisionem appellas? Hoccine te Euangelium & lex Dei docet? Num quod serui Dei Christi exemplo, qui ad orationem, solitudinem & montes quærere solitus erat, faciunt, tu vitio duces? Num Ioannem Bapti-

Ridet Sanctorum cum Sathana decertationes in Eremo.

stam totam

stam totam vitam in eremo degentem, & diuinæ contemplationi, & pœnitentiæ vacantem, tanquam demurmurantem preculas, & cum satana ludentem deridebis? Quare dissimilis es sanctis illis Patribus, qui vitam ereniticam in cœlum vsque sustulerunt, eremum Paradysum, Eremitas Angelos terrenos vocitârunt. Sic enim Chrysostomus *homil: 8. in Matth:* ait: *Si quis nunc ad Ægipti veniant solitudinem, paradyso prorsus omnem illam eremum videbit digniorem, & innumeros Angelorum choros in corporibus fulgere mortalibus.* Hieronymus verò *in Epistola 1. ad Helíodorum: O desertum,* inquit, *Christi floribus vernans: O solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas magni Regis extruitur. O eremus familiarius Deo gaudens.* Verùm quia lucem hanc sanctitatis, lippis oculis ferre non potes, ad probra & blasphemias confugis. Christus quidem officia charitatis erga proximum exercentibus pollicitus est vitam æternam: at non minùs ijs, qui ipsius amore incensi, diuinæ ipsius contemplationi & amori vacant, *optimam* in hoc mundo, Christi testimonio, *partem eligentes*: quiq; consilio Christi *arctam viam, quæ ducit ad vitam secuti*, omnem rerum humanarum cupiditatem à se auferunt, & animam suam in hoc mundo oderunt, vt eam in vitam æternam custodiant: qui deniq; ex doctrina & exemplo Pauli carnem suam castigant, & in seruitutem redigunt, & cum vitijs & concupiscentijs suis crucifigunt, scientes si vnà cum Christo patiantur, gloriæ quoq; & regni cum Christo participes se futuros.

Luc: 10. 42. Mat: 7. 14. 1. Cor: 9. 27. Gal: 5. 24.

Pergis Zaboroui: Christus quidem & Ioannes Baptista certas ob causas aliquantisper in deserto vixerunt, sed nullum discipulorum ad id genus vitæ præcepto obligârunt. Nulli enim dixit Christus, confer te in eremum; sed omnibus: *Ite prædicate omnibus Gentibus.* At hallucinaris Zaboroui. Nam illæ certæ causæ, ob quas Christus & Ioannes in eremum secesserunt, quamuis eas tu prudens taceas, in Euangelio tamen non tacentur. Christus quidem vt ieiunandi, & pugnandi contra omnes tentationes exemplum nobis daret, atque adeò rerum diuinarum contemplationi vacandi: Ioannes verò, vt exemplo pœnitentiæ, & omnium rerum mundanarum contemptu ijs præiret, quos ad baptismum pœnitentiæ, & ad Christum per pœnitentiam recipiendum adhortatus erat: id quod & vestitus eius asper ex pilis camelorum, & cibus vilis ac exiguus, nempe locustæ, & mel syluestre, testatur, propter quam causam Christus Ioannem non manducasse, neque bibisse, *Lucæ 7.* asseruit, quia tam tenui cibo & potu vtebatur, vt nullo vti videretur. Eundem etiam mollibus indutum non fuisse protestatus est *Matth: 11.* illis verbis: *Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum?* Quod igitur Christus & Ioannes suo exemplo docuerunt, hoc postea multi

Eremiticam vitam Christus & præcursor eius exemplo consuluerunt.

Dei serui imitati sunt. Neque enim præceptum vitæ Eremiticæ asserimus, sed exemplum duntaxat & consilium. Apostolis non Eremum, sed profectionem in vniuersum mundum commendauit, quod necessitas illorum temporum & conuersio mundi id tunc exposceret. Postea verò fide propagata, & multiplicatis per totum mundum prædicatoribus, liberior eremi vsus esse cœpit; non solùm persecutionum fugiendarum causa, quod per accidens est, sed etiam per se, contemplationis & pœnitentiæ studio, quod cùm tu præposterum zelum appellas, an non toti Euangelio repugnas? quid enim magis Euangelio conueniens est, quàm contemplationis rerum diuinarum & pœnitentiæ studium, ad quod eremi solitudo mirum est quantum conferat?

Cùm verò inquiris: Quid boni aut sibi, aut Ecclesiæ Eremitæ præstiterint? prorsus quid loquaris non intelligis. Non enim vnum bonum tantùm est, quod ab hominibus præstari potest, sed plurima & innumera. An non præcipuum hominis bonum est eiusdem cum Deo per charitatem vnio? vt enim nulli plusquam Deo homo debet, ita cum se Deo per charitatem coniũgit, bonum id omnibus alijs bonis præferendũ est, ad quod solitudo illa eremi plurimum facit, attollens mentem ad altissimam rerum diuinarum contemplationem, & consequenter ad amorem. Nonne suiipsius hoc est carnis & concupiscentiarum eius victoria, & omnium quæ carnem afficiunt, voluptatum & commoditatum abdicatio, magnum & singulare hominis Christiani bonum est? Eius vero boni facilius consequendi causa secedunt serui Dei in eremum, in quo præter Deum nihil est quod libeat, sed est omnium ad carnis commoda spectantium inopia. Hoc igitur boni sibi conferunt Eremitæ, quod se Deo per contemplationem & amorem liberius vniant, & carnem suam cùm vitijs & concupiscentijs crucifigant, ad id enim oportunitatem magnam eremus subministrat. *Quid præstet Ecclesiæ Eremitæ.*

Ecclesiæ verò quantum prosunt, suis quas ad Deum continuò fundunt orationibus? quantũ exemplo? *Multum enim valet*, Iacobo teste, *c. 5. 15. deprecatio iusti assidua.* Docet id vel vnicum Simeonis Stilitæ exemplum, qui Theodoreto teste, partim precibus suis innumera hominibus beneficia obtinuit, ad ipsum ex toto ferè terrarum orbe confluentibus: partim concionibus quas ad se venientibus tanta vi spiritus faciebat, vt & multa ethnicorum millia ad Baptismum adduxerit, & peccatis implicitos ad vitam Christiano dignam conuerterit.

Stultè verò ridet Zaborouius, quòd dicimus Eremitas vota pro alijs fudisse: ad vota enim, officia quoq; humanitatis & charitatis requiri ait: *Iac. 2. 16. Si frater*, inquit, *aut soror nudi sint & indigeant victu quotidiano, dicat*

 autem

autem aliquis: Ite in pace calefacimini & saturamini, non dederit autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Quis enim non videt ista à Iacobo de ijs dici, qui cùm facultatibus abundent, eas indigentibus non impertiunt; tales enim charitatis officia non sine peccato deserunt. At ij qui nullas prorsus facultates, quas alijs largiantur, habent: nullo modo tali officio charitatis obligantur. Quis enim obliget pauperem ad eleemosynas dandas quibus ipse magis indiget? Quum verò multa Eremitarum facta quæ venerari debuerat videns eleuat, viderit quas pœnas olim in Dei iudicio sit luiturus. Qui enim tangit seruos Dei, pupillam oculi Dei tangit: quæ pars cùm sit omnium maxime sensitiua, & doloris impatiens, indicio est quam seuerum in se iudicem & vltorem Deum experientur ij, qui linguas in seruos Dei quorum ipse protectio est, petulanter stringunt.

Qui ad officia eleemosynæ obligentur.

Non est, inquit, quod ab Euangelicis exigas, vt in eremo talparum more viuant: præstat enim illos Christianam societatem colere *Hebr: 10. 24. Non deserentes collectionem nostram sicut consuetudinis est quibusdam.* At Eremitæ non talparum, sed Christi & Ioannis Baptistæ more in eremo viuunt, neq; eos quos ad id vitæ institutum Deus vocauit, præstat societatem hominũ colere, sed Deo potius, quàm hominibus vacare. *Vnusquisq; in quo vocatus est, in hoc permaneat apud Deum. 1. Cor: 7. 24.* Paulus verò cùm monet nõ deserere collectionem, contra eos loquitur, qui vel ex odio, vel ex æmulatione dedignabantur conuenire in Ecclesiam cum alijs, quod non haberent locum quem optabant, & cum paucis conuentus faciebant; non autem contra eos qui exemplo Christi & Ioannis deserunt collectiones.

Quanquam fateor id quod Sancti quoq; Patres adnotârunt, vitam ereniticam, etsi per se sancta est & laudabilis, non tamen omnibus esse accõmodatam. Nam qui ex officio tenetur alijs prospicere, is prius officio suo satisfacere debet. Præcepta enim prius implenda sunt, quàm consilia. Qui etiam ita fragilis est, vt nisi ab alio iuuetur, tentationibus facilè cessurus sit, is nequaquam se ab alijs segregare debet: *væ enim soli, quia si ceciderit non habet subleuantem. Eccles: 4.*

Quibus eremus non expediat.

Verùm si vita eremitica tantopere displicuit Zaborouio, debuit saltem extra eremum demonstrasse aliquos ex schola Euangelicorum, qui vel diuinarum rerum altissima contemplatione extasim passi à corporis sensu abalienati fuerint: vel ieiunijs, cilicijs, flagellationibus, & cæteris corporis asperitatibus in seipsos sæuiendo, magnam sui admirationem commouerint. At non habuit quod responderet: sed Loiolæ extasim exagitat & subsannat, quòd is postquam à sensibus abstractus esset, cuperet quantum ex se erat omnibus esse ludibrio, & despicatus ac insanus haberi: cùm oppositum

Extases Beati Ign. Loiol.

Paulus exemplo suo docuerit. obijcienti enim sibi: *Insanis Paule, Act: 26.* respondet; *non sum insanus nobilissime* Feste. Verùm quod ad extases Loiolæ attinet, eæ sunt iam plusquam satis toti mundo probatæ, eisq; solum is non credit, qui eas factas nollet. Inter cæteras est illa singularis, quæ illũ septem integros dies alienatum à sensibus tenuit, à qua tandem velut à dulci somno nomen IESV suauiter ingeminans, solutus est. Nec ille mentis in Deum raptus dissimilis, cùm in oratione quatuor ferme cubitis elatus à terra, collucente mirum in modum facie identidem crebra inter suspiria inclamaret. *O Domine, si te homines nossent!* Quod verò post extasim se ab omnibus Dei causa despici & contemptui haberi, & quasi insanum reputari optauerit; id tanquam singularem diuini amoris effectum admirari & venerari debuerat Zaborouius illi similem quo *Apostoli ibant gaudentes à conspectu Concilij, quòd digni habiti sunt pro nomine* IESV *contumeliam pati, Act: 5. 41.* Quæ enim maior est contumelia quàm insanum dici? Quanto enim quis ardentius Christum amat, tanto plura eius causa pati desiderat, non in corpore solùm verbera, cruces, sed etiam in honore contumelias & ignominias quascunque, cùm similia nostra causa Christus ipse pertulerit. Nam inter cætera velut insanus habitus fuit, ita vt eum tenere sui voluerint. *Marci 3. 21. Sui exierunt tenere eum, dicebant enim, quoniam in furorem versus est.* Neque verò Loiola insanus reuera esse voluit, sed quantum est ex se haberi, quòd nil aliud, quàm paratum esse animo, si ita res ferrent, ad omnem sui contemptum pro Dei gloria sustinendum, ad Christi Domini imitationem, nulla tamen per ipsum ad id data occasione, quod etiam in Constitutionibus suis filijs cauit. Paulus insanus haberi noluit, cùm de Euangelij veritate ageretur; talis enim insania in detrimentũ Euãgelij vergebat: at cùm nulla stultitiæ occasione data, stultus nihilominus dicebatur, honoris loco id habebat & gloriabatur. *Nos*, inquit, *stulti propter Christum, 1. Cor: 4. 10.* Cùm verò ait extasim esse peculiarem afflatum Sanctorũ, & rarũ quid in Ecclesia Dei: si de sua Ecclesia id intelligat, non rarum quid, sed inauditum est. si de Ecclesia Catholica, rarum quidem, at non inusitatum. Sufficit, inquit, ad beatitatem Euangelicis, quòd in lege Domini meditentur die ac nocte, id affirmante Dauide *Psalmo 1. 3.* Sufficeret sanè si esset. at non esse, illud argumento est, quòd nullus apud vos insignis huius meditationis fructus apparet, quem ex Catholicorum meditatione oriri docuimus.

Eius Apostolicum contumelias pro Deo ferendi desiderium.

CAPVT XXI.

Nouos Euangelicos doctrina sua non ad sanctitatem, sed ad omnem licentiam viam patefacere.

NOn dico hic quid Euangelici faciant, sed quid doceant; & docendo quantam licentiã ad omnia inducant. Inter Catholicos multa quidem licenciose fiunt, at ea nec docentur à Catholicis, nec ex doctrina Catholica consequuntur. Plurima verò ex ijs quæ docent Euangelici, eò tendunt, vt homines ad omnem vitæ licentiam impellant. Ex eorum numero sunt quæ sequuntur. Bona opera nullam vim habere ad iustificationem & salutem. Solam fidem sine operibus iustificare. Pœnitentiam quæ in discussione & detestatione peccatorum consistit, facere hominem coram Deo hypocritam. Omnia opera quantumuis optimè facta, peccata esse. Præcepta diuina esse ad implendum impossibilia, & in particulari præceptum de diligendo Deo super omnia, & præceptum *Non concupisces* impleri non posse. Peccatorum authorem Deum esse. Nullum esse in homine liberum arbitrium, & alia sexcenta, quæ tum à bonis & sanctis operibus homines reuocant, tum ad omnia peccata viam demonstrant.

Capita doctrinæ Nouorum Euangelicorum sanctitati aduersa.

I. Primum illum articulum: Bona opera nil valere ad salutem, approbat quoq; Zaborouius, cùm de operibus loquens ait: Hac via nullus ingredi in cœlum potest, teste Paulo, *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Rom: 3. 20.* Verùm si operum nomine intelligat opera legis, non fidei, hoc est in lege solùm non in fide fundata; nihil verius, talia opera cùm non sint ex fide & gratia Domini, sed ex viribus naturæ, nullam vim habere ad salutem consequendam: propter quæ nec Iudæi per opera legis Iudaicæ, nec gentes per sola opera moralia saluari possunt, sed per fidem in Christum, & opera ex fide procedentia. At si de operibus fidei, hoc est in fide fundatis, & ex fide profectis loquatur, vti loqui videtur, in eo & toti Euangelio repugnat, & bona opera ex mundo exterminata cupit. Quid enim in Euangelio magis inculcatur, quàm operibus bonis reddendam esse mercedem regnum cœlorum? In extremo Christus iudicio sententiam dicet: *Venite benedicti, possidete regnum.* Quam ob causam? *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Matth: 25. Voca operarios, & redde illis mercedem, Matth: 20. Momentaneum*

Bona opera nihil ad salutẽ valere Zabo: approbat.

II. *Si de operibus ex fide profectis intelligit, repugnat Euangelio.*

neum hoc & leue tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis, 2. Cor: 4. *Tristitia quæ secundùm Deum est, pœnitentiam in salutem stabilē operatur.* 2. Corinth: 7. *Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Lucæ 18. Ex quibus & alijs innumeris locis patet, non solùm sine operibus homines non consecuturos vitam æternam, sed etiam propter opera; & in operum mercedem & operibus id efficientibus, quod est opera plurimùm valere ad salutem.

Nam cùm ait Zaborouius, Christum fide apprehensum esse regiam viam ad salutem. non videt Christum apprehensum per fidem, non esse nobis salutis causam, nisi per opera quæ fides per charitatem operatur, excitando videlicet in nobis opera Pœnitentiæ, & aliarum virtutum. *Factus est enim omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Hebr: 5.* Idem igitur est per Christum saluari & per opera, quæ ipse in nobis per fidem operatur saluari; nosque dum operibus ex fide factis saluamur, per Christum saluamur. Neque enim salus per Christum opponitur donis ipsius, cùm ea potius includat; sed opponitur ijs quæ à Christo non sunt, & eius gratiam non inuoluunt, qualia sunt opera legis & naturæ. Hac porrò operum via cœlum ingressi sunt, quotquot ingressi sunt, vti D. Iacobus Apostolus probat in sua Epistola Cap: 2. de Abraham & Rahab, & similiter de alijs, ostendens, ex operibus in fide fundatis iustificari homines, non ex fide tantùm.

Christus quomodo via ad salutem.

Iam verò quid aliud est operibus vim omnem salutem conferendi auferre, quàm omne studium operum bonorum extinguere. Quis enim ad opera bona excitabitur, si semel in animum induxerit, ea ad regnum cœlorum vim nullam habere? Nam etsi quædam sunt, ad quæ implenda lege Dei obligamur, nempe quæ præceptis Decalogi comprehenduntur: tamen plurima sunt alia opera bona, & sancta, ad quæ cum nulla lege Domini adstringamur, nisi regni cœlestis præmio ad ea inuitemur: languescet procul dubio in nobis omne studium virtutum, & bonorum operum exercitatio. Dauid quoque vniuersè loquitur: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem. Psal: 118. 112.*

Studium bonorum operū ex hominum animis tollat hac sua doctrina noui Euangelici.

Secundùm articulum de sola fide iustificante absque operibus, admittunt omnes Euangelici delusi locis quibusdam Scripturæ perperam intellectis, quibus ex fide non ex operibus homines iustificari dicuntur, cùm fides non ijs operibus in Scriptura opponatur quæ in ipsa fundantur, & ex ipsa oriuntur, sed operibus in fide non fundatis, & ex gratia Dei non procedentibus, qualia sunt opera legalia Iudæorum, & moralia gentilium in sola cognitione legis fundata. Alioquin quomodo D. Iacobus cap: 2. tam diserte docet, *ex operibus & non ex fide tantùm homines iustificari.* De ijs enim operibus

II. *Fidem sine operibus iustificare docendo, ab exercitio bonorum operum retrahunt.*

Fides quibus operibus opponitur in Scriptura. contra qualium operum est autor.

ribus loquitur quibus fides comparatur, & ex quibus fides perficitur & consummatur *ver: 22.* Cum igitur Scriptura negat operibus nos iustificari, sed per fidem, non loquitur de operibus fidei, sed de operibus in fide non fundatis. Alioquin idem est per fidem, & per opera fidei, hoc est ex fide procedentia iustificari: fide enim inducimur, ad spem, pœnitentiam, amorem Dei, opera misericordiæ, opera mortificationis, orationis, & cætera opera pietatis. Id quia Euangelici capere nolunt, sed opera cum operibus inepte confundunt, tam portentosum dogma de sola fide iustificante in Ecclesiam inuexerunt, maximo operum bonorum damno. Si enim nec ad acquirendã iustitiam, nec ad crescendum in iustitia, nec ad promerendam vitam æternam, bona nostra opera valent: qui fieri potest, vt animus ad studium bonorum operum incitetur, quorum nullam ad salutem & iustitiam vtilitatem sentit? Nam & ad ea quæ præcepta sunt alacriter implenda inclinatur cum Dauide Psal: 118. *Propter retributionem:* & ea quæ præcepta non sunt, nisi præmio vitæ æternæ condiantur, non curabit: dulcescunt enim labores præmiorum spe. Quod si præmium laboribus non debetur; non plus præmij in cœlo referet, qui multis laboribus fuerit perfunctus, quàm qui parum laborauit. Quo quid maius ad extinguendum in nobis bonorum operum studium dici potest?

Patres bona opera ex fide profluentia agnoscunt valere ad iustitiam & regni cœlestis præmium.

Ait quidem Zaborouius hanc de fide sola iustificante doctrinam amplexos esse sanctos Patres; at eadem æquiuocatione deluditur; Patres enim cum Scriptura loquuntur, & in fide comprehendunt opera ex fide profluentia, & solùm ijs operibus quæ ex fide non procedunt fidem opponunt; alioqui opera à fide profecta, omnes sancti Patres vno ore prædicant, eaque plurimùm tum ad iustitiam tum ad regnum cœlorum valere docent. Ad iustitiam quidem, quia eam per modum dispositionum operatur: ad regnum verò cœlorum in iustis, etiam per modum meriti, operibus enim iustorum per modum mercedis promittitur regnum cœlorum. Nec vnquam Patres eo sensu dixerunt solã fidem, iustificare, quo aduersarij sed excludendo tantùm vel opera ex fide non procedentia, vel opera meritoria iustificationis vel opera externa, quæ sæpe adhiberi non possunt. Quæ cùm tam copiose à Bellarmino Scripturæ, & sanctorum Patrum testimonijs demonstrata sint: miror quomodo etiã hiscere possint aduersarij. Porrò ad id absurdum quod ex hac fide sola iustificante consequitur, nempe vana & inania fore pœnitentiæ & sanctitatis opera. Respondet Zabor: minimè id sequi: quia fides inquit est anima veræ pœnitentiæ, sine qua nec pœnitentia, nec aliud quidpiam placere potest. At hoc ipsum est nihil dicere; Nam si tota pœnitentia fide continetur, hoc ipsum est, opera pœnitentiæ euacuare, ieiuniũ, carnis castigationem, & alias

Zabor: multis verbis aut nihil dicit.

alias corporis afflictiones. pro illis enim satis esset substituere fidem: frustraque Scriptura nobis tantopere hæc opera pœnitentiæ commendat. Deinde falsum est, vitam & animam pœnitentiæ & aliorum operum esse fidem: est enim solum fundamentum veræ pœnitentiæ & operum salutarium, vitam verò ipsam ex se non habet, sed ex charitate; nam & sine charitate nihil prodest. *1. Cor. 13.* & sine operibus mortua censeri debet, teste S. Iacobo. Denique Scriptura non quamcunque fidem ad salutem valere docet, sed eam tantummodo quæ per charitatem operatur. Potius ergo vitam à charitate & operibus ex charitate procedentibus accipit, quam ipsam charitati & operibus tribuit. *aut falsum.*

Aliter etiam respondet Zaborouius. Fidem saluificam esse per charitatem efficacem, bonorumque operum feracem, esseque illorum fontem & scaturiginem, facereque nos arbores bonas, quæ fructus bonos necessariò proferant. Quæ responsio, vt quam parum aduersarios iuuet appareat, distinctio adhibenda est. Duplicia enim sunt opera in fide fundata, quædam iustificationem antecedunt, quædam sequuntur. Ex fide enim mouemur ad spem misericordiæ diuinæ, pœnitentiam, & dolorem de peccatis, dilectionem Dei, & alios similes actus, sine quibus iustificari non possumus, sed per eos tanquam dispositiones ad iustificationem & consequendam remissionẽ peccatorum præparamur. Postquam verò iustificati fuerimus, exercemus nos deinde in varijs operibus bonis, misericordiæ, mortificationis, orationis, & similibus. Si igitur de primis operibus ad iustificationem requisitis loquamur, ea si nihil ad iustificationem conferant, sequitur esse inania prorsus & inutilia; sequetur etiam posse quem sine operibus ad iustificationem requisitis iustificari. v. g. sine spe, pœnitentia, timore, dilectione, contra Scripturam dicentem. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis;* Si verò non minus quàm fides conferant, sequitur non solam fidem sine operibus, sed fidem cum operibus, vel vt Iacobus loquitur, *fidem cooperantem operibus* iustificare: eodem enim modo vt fides, cooperabuntur in iustificatione ad misericordiam Dei prouocandam & flectendam. Vnde falsum erit solam fidem sine vllis omnino operibus iustificare, cùm ea opera non minùs quàm fides ad iustificationem collaborent. Nam sicut fides operatur iustificationem, credendo Dei misericordiam; ita spes confidendo in Dei misericordia, pœnitentia, per dolorem peccatorum subijciendo nos Dei misericordiæ; timor ex metu diuini iudicij conuertendo nos ad Dei misericordiam, charitas diligendo Dei misericordiam. Quamuis enim nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, iustificationem mercatur; tamen ad eam cooperatur, inclinando Domini misericordiam, quemadmodum fides ita & alij omnes actus ad iustificationem requisiti.

aut incassum.

Operum in fide fundatorũ quædam iustificationem antecedunt.

ea conferunt ad iustificationem.

Luc. 13.

eodem quo fides modo.

non ex condigno promerẽdo iustificationem sed cooperando ad eam & Dei misericordiam inclinando.

Minimè ergo otiosa & inutilia.

Friuola verò est illa aduersariorum responsio; hæc quidem opera requiri ad iustificationem, quia sine illis non potest esse iustificatio, non tamen propter illa, sed propter solam fidem hominem iustificari. Etenim si requiruntur, non requiruntur vt ociosa, & vt inutilia, sed vt iuuantia ad finem iustificationis consequendum, non minus quàm fides. Nam sicut fides operatur iustificationem, misericordiam Dei & Christi redemptionem credendo: ita spes confidendo in ea, charitas diligendo vti dictum est. Cum igitur commune sit fidei cùm alijs operibus inclinare suis modis Dei misericordiam; commune quoq; erit operari dicto modo iustificationem nostram. vnde fiet, vt sicut propter fidem, & ex fide, ita & propter pœnitentiam, dilectioné &c. iustificemur: non quod ea mereantur ex condigno iustificationé, sed quòd inclinent Domini misericordiam, & nos præparent ac disponant ad iustificationem consequendam. Quapropter si opera spei, charitatis, pœnitentiæ non operantur iustificationem, vti aduersarij volunt, rectè ex illorum sententia inferimus: talia opera inutilia & inania esse, & aduersarios verbis tantùm ea ad iustificationem requirere, re autem ipsa non requirere: siquidem illis omnem vim & vtilitatis fructum in iustificatione denegant, eaq; ociosa & sine etiam vtilitatis fructu esse volunt. quod enim ociose, & sine vlla vtilitate adhibetur, simpliciter non requiri, & non esse necessarium dicendum est.

Quædam verò operũ subsequuntur, quæ licet aduersarij verbo requirant reipsa tamen ab ijs auocãt.

Iam si de operibus quæ iustificationem consequuntur sermo sit: ea quidem fidem per charitatem operantem consequi verum est; fide enim & charitate impellimur ad ea facienda: verùm ideò consequuntur, quia creduntur Deo placere, & ab eo acceptari ad præmium, *qui reddet vnicuique secundùm opera sua.* Cùm igitur nos id de operibus iustorum credamus, aduersarij non credant: nos dignitatem & valorem bonorum operum agnoscimus, & ad ea homines promouemus, precio & dignitate eorum ob oculos posita. Aduersarij verò cùm nihil tale operibus iustorum tribuunt, quantum ex ipsis est, opera bona reddunt vana & inania, & inutilia: & licet verbis ea requirunt, reipsa tamen homines ab eis auocant. Quis enim laborem inutilem, cui precium nullum respondet, libens suscipiat? Etenim etsi mandato compellatur ad aliquem laborem suscipiendum, sponte tamen nemo laborem suscipiet, quem sibi non fore proficuum certò persuadebit. Quocirca vt minimum ad opera bona sponte suscipienda ex doctrina Euangelicorum nihil est quod hominem excitet, sed potius auocet propter operum inutilitatem.

Fucus Zaborouij in im-

Porrò Zaborou vt fucum faciat, ait; inuidiosè sibi obijci, quasi doceant opera bona, nullum nobis iustitiæ fructum conferre. Duplicem enim

iustitiam se statuere dicunt, alteram perfectam quæ est iustitia Christi nobis per fidem imputata; alteram imperfectam, quæ in hac vita, inquit, inchoatur per Spiritum sanctum regenerantem nos & sanctificantem, in futura autem perficientem. Ad hanc igitur iustitiam, ait, requiri bona opera. at fucum in vtroq; huius distinctionis membro, non est difficile agnoscere. Nam quoad iustitiam quæ est in Christo attinet, eam esse causam efficientem nostræ iustitiæ, non causam formalem agnoscimus: nullus enim aliena iustitia iustus esse formaliter potest, sicut nec aliena albedine albus, nec alieno calore calidus, hæc enim manifestam contradictionem implicant. Aliena verò iustitia ad id tantum alteri seruire potest, vt eius beneficio effectiuè quis iustus reddatur, quomodo Christum esse iustitiam nostram credimus, quia sua iustitia efficit in nobis veram, & in nobis inhærentem coram Deo iustitiã quæ nos verè iustos facit, ita vt hæc iustitia in nobis inhærens, sit & nostra & Christi; nostra quia in nobis est, Christi quia à Christo. illáq; solùm iustitia nostra damnatur in Scripturis, quæ sit ex nobis, non à Christo.

putanda nobis Christi perfecta iustitia.

Ex quibus hoc inferro illam iustitiam Christi nobis imputatam, non solùm non esse perfectam nostram iustitiam, sed etiam esse imperfectissimã. licet enim in Christo sit perfecta; in nobis tamen est imperfecta, tum quia modus illa habendi est imperfectissimus per solam imputationem & apprehensionem intellectus. sicut si quis cogitando imputaret Æthiopi nigro albedinem; tum quia re ipsa non esse talem, sed opinione tantùm censetur, maxima imperfectio: sic autem nos Euangelici censent bonos & iustos, non re ipsa (re ipsa enim aiunt nos esse peccatores, & peccatum in nobis verè & realiter manere, non tolli,) sed solùm per nostræ fidei cogitationem & apprehensionem, & diuinam imputationem nos esse iustos. Deniq; cùm eam iustitiam quæ contradictionem manifestam implicat, perfectam vocant. an non cum ratione insaniunt? non solùm enim perfectè non conuenit quod contradictionem implicat, sed nullo prorsus modo conuenit, nec conuenire potest. Itaq; dum aduersarij iustitiam nostram perfectam statuere volunt, omnium imperfectissimã statuunt, & sic fucum tantùm in verbis, & verba sola sine rebus nobis obtrudunt. Porrò cùm dicit ad hanc iustitiam perfectã nihil ex parte nostra concurrere potest, sed sola Christi iustitia nos iustificari; id si de concursu dispositiuo intelligat, falsum est: actus enim fidei, spei, pœnitentiæ, charitatis, concurrunt ad nostram iustitiam dispositiuè; si de concursu formali, consequenter quidem in sua sententia loquitur, sed falsum assumit, nos esse posse aliena & extrinseca iustitia formaliter iustos, etiãsi intrinsecè simus in nobis iniusti. hoc enim doctrinæ monstrum, ob manifestam quam inuoluit contradictionem, nulla vnquam ætas non dicam admisit,

Habendi modus imperfectissimus, sola imputatione & intellectus apprehensione.

Implicat contradictionem formaliter & intrinsecè esse iniustum: & nihilominus aliena iustitia perfectè iustificari.

 admisit,

admisit, sed ne suspicari quidem potuit. Præsentis seculi hoc monstrum proprium est ex Luteri doctrina prognatum. Alter fucus est in altero distinctionis membro, in iustitia imperfecta asserenda, quam regenerationem & sanctificationem, & fructum prioris iustitiæ vocat. Quid enim hæc sunt nisi verborum fuci? Nam quomodo dici potest hominem intrinsecè fieri iustum, intrinsecè regenerari & sanctificari, quem esse intrinsece peccatorem, iniustum, impium, ex ipsorum sententententia constat? Nunquam enim peccatum verè tolli ab homine iustificato docent, sed tantùm tegi & non imputari. Quomodo verò lux cum tenebris, Christus cum Belial, iniquitas cum iustitia stare simul potest? Falsum igitur est, quòd ipsi iustitiam aliquam intrinsecam admittant, cùm implicet contradictionem, eum qui est intrinsecè iniustus, dici & esse intrinsecè iustum. Deinde si hæc iustitia est vera iustitia, non imperfecta erit, sed perfecta; & multò perfectior quàm illa prior imaginaria, perfectius enim est intrinsecè iustum esse quàm extrinsecè, & verè potius ac realiter, quàm imaginariè & imputatiuè. Adhæc si hæc iustitia imputata est vera iustitia, efficit nos filios Dei & hæredes vitæ æternæ: omnis enim iustus, eò quòd iustus est, est filius Dei: si autem filius, & hæres; cùm igitur hæc iustitia autore Zaborouio, ex operibus bonis oriatur, imò nihil aliud est, nisi ipsa opera bona, vel vt Zaborouius ait, obedientia legi diuinæ; consequens est opera bona, nos verè iustificare, imò verò esse ipsam iustitiam nostram, ac proinde plurimum valere ad salutem, quia plurimum valent ad iustitiã iuxta illud *Apocal: 18. Quis iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* & *Iacobi 2. 24. Videtis quòd ex operibus iustificetur homo, & non ex fide tantùm.* Quod argumentum tantò magis vrget aduersarios, quòd ipsi ne in Christo quidem aliam iustitiam agnoscunt, nisi actualem; quæ in actibus iustis & obedientia legis diuinæ posita est: nec aliter euadere vim argumenti possunt, nisi negando opera iustorum esse verè iusta, cùm secundùm ipsos verè sint peccata (de quo mox) & solùm imputatiuè esse iusta, & haberi pro iustis. At hoc ipsum est quod causam ipsorum iugulat. Si enim opera verè non sunt iusta, veram & intrinsecam iustitiam causare non possunt: Quis enim credat per opera iniusta aliquem fieri verè iustum. At tot sunt in hac ipsorum doctrina contradictiones, vt eos talpis cæciores esse oporteat, qui tantas absurditates non vident, nec expendunt. Nunc satis est ostendisse, illos opera bona, vana & inutilia tam ad iustificationem, quàm ad salutem facere, licet verbis inanibus & fucatis id contegant.

Nec imperfecta Zaborouij iustitia consistit.

1. 2. 3. 4.

Ait quidem Zaborouius opera bona esse necessaria, tum ad gratiudinem & obedientiam Deo exhibendam, tum ad vocationem nostram firmã reddendam, tum vt proximos lucremur, & ad Dei laudes prouocemus. Sed hæc o-

hæc omnia vera sunt, supposità operum bonorum dignitate & valore, quam isti prorsus tollant. vel enim opera nostra placent Deo, vel non placent; si placent, faciunt nos Deo magis charos, & in Domini charitate crescentes, quæ est vera iustitia: Deus enim non amat ad vitam æternam, nisi iustum, & quem magis amat propter opera iusta, eum magis esse iustum propter opera oportet. Quodsi valent opera nostra ad veram coram Deo iustitiam, valent proculdubio plurimũ ad salutem. Si verò negent placere opera nostra Deo, quomodo per opera quæ Deo non placent, possumus Deo gratitudinem exhibere? quomodo operibus Deo displicentibus vocationem diuinam firmã reddemus, & proximos ad Deum laudandum prouocabimus? ea enim quæ Deo displicent, ad Dei laudem minimè cedunt. Illi ergo tres fines bonorum operum in nostra, non in Euangelicorum sententia locum habent; nihilque causam aduersariorum iuuant: ita vt dubitari non possit opera bona in eorum sententia inania & inutilia esse.

Censtes in Zaborouiũ.

Tertius articulus Euangelicorum est, quòd omnia opera nostra, quantumuis bona, peccata esse dicuntur, secundùm diuinum rigorem mortalia, secundùm misericordiam verò venialia. Queritur hic Zaborouius me non candide sententiam ipsorum proposuisse. At candidius proponere non potui quàm ipsius Luteri verbis, qui Articulorum Assertione 31 ait. In omni opere bono iustus peccat, *& in articulo. 32.* reuocat quod ante dixerat opus bonũ optimè factum est peccatũ veniale. Reuoco, inquit, & moderor hoc modo: Est veniale peccatum secundùm misericordiam Dei, sed mortale peccatum secundùm iudicium Dei. quod Caluinus *3. Inst:* alijs verbis dicit: Omne opus quantumuis sanctum, mereri iustam opprobrij mercedem. At ne Zaborouius ipse candidiùs proponit, cum ait: Bona opera esse ex suo genere actiones bonas, sed cùm è carne multis vitijs contaminata proficiscuntur, nec eo modo quo fieri debent, fiunt esse mala: secundùm quam expositionem sequitur, opera vt à nobis fiunt & mala esse & peccata mortalia, nec posse non esse peccata. Hoc autem tantùm absurdum est, vt nullum aliud absurdius; si enim opera bona sine peccato mortali à nobis fieri non possunt, sequitur nullo modo facienda esse: si quidem omne ius Diuinum & naturale peccata fieri prohibet. Sequitur etiam præcepta diuina seruanda non esse: Nã si seruando præcepta diuina pecco, implere illa non debeo: quod enim impleri sine peccato non potest, faciendum non est; si verò non pecco, sequitur contra aduersarios, non omne opus bonum peccatum esse. Imò etiam sequitur tã implendo Dei precepta, quàm non implendo hominem peccare: nam non implendo peccat contra preceptum diuinum, implendo verò quia implere sine peccato non potest, iterum peccat. ex quo fieret tanta animi perplexitas,

III. Omnia bona opera esse peccata.

Zaborouius dum Lutero & Caluino vult esse subtilior, haud paulo est absurdior.

1.

2.

3.

plexitas, vt homo in extremam desperationem incideret, cum siue faciat, siue non faciat, videret se peccatum vitare non posse. Frustra verò Zaborouius verba Iobi in suum errorem detorquet. *Verebar*, inquit, *omnia opera mea, sciens quia non parceres delinquenti. c. 9. 28.* Neque enim Iob certo sibi persuadebat vt Euangelici faciunt, omnia sua opera mala esse, sed verebatur ne mala essent, propter aliquam circumstantiam, quam nesciret; sicut & Paulus eodem modo verebatur cùm diceret; *1. Cor: 4. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me Dominus est.* Torquet etiam ad suum sensum dicta quædam Sanctorum, quorum nullus vnquam dixit: In omni opere bono iustum peccare, aut omnia opera bona peccata esse; sed vel quòd frequenter etiam iusti peccant venialiter saltem; vel quod etiam opera bona, quandoque intentione, vel circumstantia mala inficiantur. Cùm verò iustitiam nostram, in iustitiam appellant, id vel ob multa peccata admista, & multa etiam bona vitiata docent; vel nostram iustitiam cum diuina comparando; respectu cuius iustitia censeri debet iniustitia, quod non est verè esse iniustitiam, sed comparatiuè dûtaxat. Quæ omnia cum à Bellarmino *lib: 4. de iustif: q. 21.* declarata sint Zaborouius tamen ac si nihil à nobis responsum esset, sua repetit, & refutationes dissimulat, & audet nihilominus concludere nihil aliud Caluinum docuisse, quàm quod docuerunt SS. Patres, cùm SS. Patres nunquam id de singulis operibus bonis affirmârint, quòd affirmat cum Lutero Caluinus.

Malè tegit errorem Scripturis.

& fictis Sanctorum dictis

Negat quoque Zaborouius sequi ex hac doctrina vlla absurda. Præstat enim inquit, aliquid boni facere, quam nihil. Quis dubitat Zaboroui? at ex vestra doctrina, boni nihil fieri potest. Omne enim bonum, apud vos est peccatum. Præstat igitur nihil boni facere, quia reuera nihil boni secundùm vos fieri potest. Præstat inquit Deo exhibere obedientiam licet imperfectam quam nullam. Quasi verò hic de imperfectione & non de peccato verò agamus. Si enim omnis obedientia nostra verum peccatum est, & quidem natura sua mortale, præstat talem obedientiam Deo non præstari, quæ sine offensa Dei mortali, præstari non potest. Essetque potius ista obedientia grauis inobedientia, quia mandato diuino de non peccando mortaliter contraria. Bona inquit fidelium opera Deus acceptat non propter ipsorum dignitatem, sed propter Christum. At si opera bona vt à nobis fiunt, sunt peccata mortalia, quomodo illa Deus accepta, & cara habere etiam propter Christum potest? Nunquid enim peccata propter Christum cara, & accepta sunt Deo? Et si enim per Christum, & in Christo, opera nostra sint accepta Deo, tamen id ex eo prouenit, quòd per Christum & eius gratiam sint facta talia vt digna sint quæ placeant Deo, vt pote in Deo facta, & Spiritu sancto illu-

Peccare semper illicitum.

proinde Deo semper ingratum.

cto illuminante, inspirante, perficiente. Quidni enim gratiæ diuinæ, & Spiritus S. opera digna sint vt amentur à Deo? Licèt inquit à nobis non eo modo fiant quo debent, Deus tamen clementia sua defectus nostros contegit, at defectus isti non sunt qualescunque sed peccata mortalia, opus autem quod est peccatum mortale, impossibile est. vt Deus carum & acceptũ habeat, contegere quidem illud remittendo potest, at carum & gratum habere nequaquam. Per spiritum, inquit, suum, obedientiam suam in nobis inchoat, quam in vita æterna est perfecturus. at si hæc obedientia peccatum mortale est, quomodo à Spiritu S. inchoatur? nunquid Spiritus sanctus peccata in nobis inchoat & operatur? Nullo igitur modo Zaborouius tueri potest, quin ex hac doctrina sequatur, nulla opera bona facienda esse, si omne opus bonum quantumuis perfectum, in nobis peccatum mortale est.

Contegit Deus peccata remittendo, nõ grata habẽdo.

Fidem saluificam ait apprehendere gratiam Dei, quæ erudit nos vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sęculo. At Zaborouí nec fides vestra apprehendit quidquam nisi credendo, ita vt apprehendere nihil aliud sit quam credere, neque gratia Dei quam fide apprehendimus seu credimus (si vera vestra doctrina est) facit nos sobriè, iuste, piè, viuere. Sed in omni opere bono peccare, ita vt omnis nostra sobrietas, iustistia, pietas, sit peccatum mortale.

Sobrietas, iustitia, & pietas Luteranorum est peccatum mortale.

Hoc igitur lucri ex vestra doctrina habetis, quòd gratiam Dei funditus euertatis, eiusq; effectus omnes irritos faciatis. Nos Catholici talem gratiam credimus & habemus quæ nos faciat, sobriè, iustè, & piè viuere. Vos verò talem gratiam fide vestra iustificante appehenditis, quæ faciat vos in omni opere bono mortaliter peccare. Neque vobis seruit quod scribis Christum non ideò nos lauisse à peccatis, vt iterum tanquam sues ad volutabrum reuertamur, sed *vt seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Luc: 3. 75.* Vos enim cùm docetis, in omni opere bono iustum peccare, quid aliud docetis, quàm iustum postquam fuerit lotus à Christo, rursum in cœno & volutabro peccatorum, tanquam suem volutari, cùm nihil boni sine peccato mortali facere possit. Frustraq; fidei tuæ tribuis, quod fructus bonorum operum efficiat, potius enim contrarium verum est, quòd nullum fructum operum bonorum, sed peccatorum duntaxat efficiat.

Sanctitas, inquit, operum incerta est, à qua Sancti ad misericordiam Dei appellàrunt *Psal: 130.* Et quam Isaias pannum menstruatæ: *Esaiæ 64. 6.* Paulus verò σκύβαλα vocat. *Philipp: 3. 8.* At quomodo sanctitas operum incerta est, quæ verbo Dei nititur? Quid aliud est *seruire Deo in sanctitate & iustitia. Lucæ 1. 75.* nisi seruire in sanctis & iustis operibus? opera igitur sancta, sunt sanctitas nostra actualis, & quidem certissima, quia salus è promissa

Opera bona non opponenda misericordiæ & gratiæ Dei, cùm ex ea sequantur

promissa est. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata Dei. Matth: 19. 17.* Et Christus *omnibus obtemperantibus sibi factus est causa salutis æternæ. Heb: 5.* Apud vos cùm operũ sanctitas nulla sit, sed fæditate peccatorum omnia scateãt non incerta, sed nulla penitus dicenda est. Cur verò opera sancta opponis misericordię Dei, vt abillis ad misericordiam Dei sit appellatio? Anne opera sancta ex gratia & misericordia Dei non procedunt? dona enim sunt Dei & ex Deo, non ex nobis. Non igitur Sancti ab operibus sanctis ex gratia Dei procedentibus appellant, sed in ipsis operibus suis gratiam & misericordiã Dei agnoscunt, confitentes opera sua esse dona Dei, & merita sua opus diuinæ gratiæ in nobis. Abuteris verò Isaiæ loco, qui quòd de iustitia illius populi impij, omnibus sceleribus inquinata scribit, eam esse pannum menstruatæ, tu ad omnem etiam Sanctorum iustitiam applicas. Si enim illi opera illa iustitiæ externa quæ secundùm legem tenebantur facere innumeris peccatis contaminârunt; nunquid idem dici debet de hominibus verè sanctis & iustis & plenis (vt Scriptura loquitur) operibus bonis? Paulus etiam non opera sancta legis nouæ, quæ ex Christi gratia fiunt, nec charitatem quam Spiritus S. diffundit in cordibus nostris σκύβαλα appellat, sed legis veteris obseruantiam, quæ cùm Christum significârit ipso adueniente inutilis & quasi σκύβαλον ac excrementum quod reijcitur reddita est.

Isaiæ sensus.

& Pauli.

CAPVT XXII.

Legem Dei seruatu esse impoßibilem impiè docent noui Euangelici.

QVartum articulum legem Dei in hac vita impletu esse impossibilem confirmat Zaborouius. Quis enim inquit excepto Christo qui peccatum non fecit eam impleuit? Quis? quæris? Omnes qui Christi gratia freti implere voluerunt, omnibus enim Christus ad legem suam eos inuitans dixit: *Iugum meum suaue est, & onus leue. Matth: 29.* Et Apostolus testificatus est disertè *mandata Dei gratia non esse.* Si enim iugum legis Christi seruatu impossibile est, quomodo suaue, quomodo leue dici potest? Nil sanè durius & grauius quàm quod impleri non potest, nec maior quis Tyrannus animo fingi potest, quàm qui impossibilia mandat. Nam ridiculum est quod isti aiunt legem Dei esse leuem, quia peccata non imputantur; Si enim impleri non potest, est nimis grauis quamuis hoc illi non imputetur ad pœnam.

Nemo tyrannus maior quàm qui impossibilia mãdat.

pœnam. Quocirca disertis verbis Scriptura multos recenset qui legem Dei impleuerunt. *Luc: 1.* de Zacharia & Elyzabeth loquens; *Erant*, inquit, *ambo iusti ante Dominum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.* Si igitur erant incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus, impleuerunt omnia mandata & legem Dei, non enim incedit in mandatis qui mandata non implet. Et de Dauide dicit. *Act: 13. Quod omnes voluntates Dei fecerit.* Et expressius. *3. Reg: 15. Non declinauit ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ excepto sermone Vriæ*, Vnũ igitur præceptum Domini non seruauit, cætera omnia seruauit, post quam de illo peccato pœnitentiam egit, nullum Domini præceptum violauit. Iosue etiam idem dicitur. *Iosue 11.*

Ita verò argumentatur Zaborouius. Qui peccat, legem Dei non implet, sed violat. *Omnis homo peccat. Ioan: 1. 8. Rom: 3. 1.* Nullus igitur legem Dei implet. Verùm argumenti æquiuocatio distinctione peccati diluitur: qui enim peccat mortaliter, is legem Dei non implet sed violat, non verò qui peccat venialiter. lex enim Dei sub amissione diuinæ gratiæ & vitæ æternæ nos obligat, *Si vis*, inquit DEVS *vitam ingredi, serua mandata.* Is igitur legem Dei violat, qui tale quid admittit, quo & Dei gratia, & vita æterna amittitur, tale est peccatum mortale. Peccatum verò veniale, cùm salua Dei gratia & vita æterna committatur, legem Dei simpliciter nõn violat, nec est simpliciter contra legem sed præter legem. Quocirca vtrumq; in Scriptura legimꝯ de iustis, & quòd peccare nõ possint. *1. Io: 5. Qui natus est ex Deo non peccat, nec potest peccare, quia ex Deo natus est*: si autem peccare non possunt, implent legem. & quòd non possint esse sine peccato *1. Ioan: 1. 8. Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Vtrumq; igitur verum, & quòd iusti peccare non possint, peccato quo lex Dei violetur; & quòd quotidie peccata leuia & venialia admittant, quæ sicut iustos non faciunt non esse iustos, ita non faciunt eos legem diuinam non implere; quæ nisi impleatur, iustus nemo dici potest.

Peccatum duplex mortale & veniale.

Veniale peccatum legem Dei simpliciter nõ violat.

Instat Zaborouius. Regenerati in hac vita non sunt perfectè regenerati, de die enim in diem renouantur. *2. Cor: 4. 16.* inquantum verò renouantur, adhuc in corruptione sunt, nec itaq; legis impletio in hac vita perfecta esse potest. Sed nil concludit: aliud enim est regeneratio, aliud legis impletio: regeneratio ad diuinæ naturæ participationem spectat, impletio legis ad opera; & sicut esse & operari distinguuntur, ita hæc duo distingui necesse est. Errat etiam cùm omnem renouationem in nobis esse putat à corruptione peccati, cùm non solùm à peccato ad gratiam renouemur, sed à gratia ad gratiam, vt *qui Sanctus est sanctificetur adhuc, & qui iustus est, iustificetur adhuc.*

Renouatio nõ solùm à corruptione; sed etiam à gratia ad gratiã

tur adhuc. Locus verò *2. Cor: 4. 16.* non est ad propositum. In eo enim Paulus solùm ait, hominem internum quotidie renouari, nouas vires assumendo intuitu præmij cœlestis, *si ait: is homo qui foris est, quotidie corrumpitur* id est deficit: qui sensus colligitur tum ex antithesi, tum ex ratione, tum ex Patrum expositione. En quàm futilibus rationibus tanti momenti res, homines isti asserunt. Porrò ex hac ipsorum doctrina manifestè concluditur præcepta diuina, cum impleri non possint, impleri non debere, vanumque esse omnem laborem qui in illis implendis impenditur.

In particulari autem præceptum *Non concupisces*, impleri non posse concedit Zaborouius, eò quòd concupiscentia in nobis semper manet, hoc est lex illa in membris nostris repugnans legis mentis, & captiuans legi peccati. At manere concupiscentiam in carne nemo negat; concupiscentiã verò esse peccatum verè & propriè, nemo nisi stultus qui quod peccatum sit nõn intelligit, affirmat. Quod ea ipsa verba ex Paulo citata testantur, dicit enim hanc legem membrorum, captiuare ad legem peccati, non verò esse peccatum ipsum, ideòq; figuratè solum dici peccatum, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat: propriè tamen peccatum, nullo modo dici potest, quia non est voluntarium. Peccatum enim vitium voluntatis est, non carnis, alioqui in brutis quoq; peccatum esset. Quis verò alicui id vitio vertat, quod contra omnem ipsius voluntatem accidit? Cùm verò in præceptis Dei dicitur, *Non concupisces*, non carni sed voluntati dicitur. Idemq; est non concupisces, quod *post concupiscentias tuas non eas*, *Eccles: 18. 30. Non secũdùm carnem ambules Rom: 8. Spiritu facta carnis mortifices*, vti seipsam Scriptura exponit. Neq; vllum mandatum Dei extat de non sentiendis in carne concupiscentijs, hoc enim vt impossibile, ita & irrationabile esset, sed solùm de non consentiendo ipsis. Vanum verò est quod ait Zaborouius cõcupiscentiam in Baptismo tolli quoad reatum, non vt non sit, sed ne imputetur; hæc enim sunt mera figmenta Euangelicorum, neque enim opus est non imputatione, vbi nihil est quod imputari possit: cõcupiscentia enim voluntate resistente, non potest à Deo imputari in peccatum, cùm peccatum sit proprius voluntatis actus, implicat enim contradictionem imputari aliquid voluntati, quod à voluntate non sit. Non igitur nos sanctiores Paulo sumus, vt legem in membris repugnantem legi mentis non sentiamus; sed vos stulti estis qui peccatum absq; voluntatis, & mentis consensu admitti asseritis.

Concupiscentia figuratè solùm peccatum dicitur.

Implicat contradictionem imputari aliquid voluntati, quod voluntati non sint.

Similiter præceptum de diligendo Deo super omnia esse impossibile cum suis Magistris fatetur Zaborou. Si, inquit, de perfecta in suo genere & gradu dilectione intelligatur. quasi verò non perfecta sit in suo genere & gradu dilectio quæ est super omnia, quo enim altius ascendat non habet, si

Deum

Deum super omnia diligit. Talem dilectionem habuit Paulus cùm diceret: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? certus sum quòd neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; creatura vlla poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo* IESV *Domino nostro.* Est enim hæc dilectio perfectissima appretiatiuè, quia magis amari Deus appretiatiuè non potest, quàm cum super omnia amatur, sufficitq; ad impletionẽ præcepti de diligendo Deo ex toto corde; tũc enim Deus ex toto corde diligitur, cùm cor nil Deo maius habet, nil magis æstimat, sed ipsum omnibus alijs rebus antep onit. Hoc enim modo ex toto corde Deum quæsiuisse multos Scriptura commemorat, non quia nihil aliud præter Deum cogitârunt aut egerunt, sed quia super alia omnia Deũ sibi quærendum proposuerunt: eodemq; sensu Paulus ait: *Qui diligit, legẽ impleuit.* Non perfectè, inquit, in hac vita Deũ cognoscimus, quia per speculum & in ænigmate, *1 Cor: 13. 12.* nec perfectè igitur diligimus. Retorqueo, cùm perfectè Deum in hac vita cognoscamus, ea scilicet perfectione, qua nobis præcipitur diligendus; cognoscimus enim Deum esse super omnia diligendum, sequitur perfectè etiam à nobis in hac vita diligi, ea nimirum perfectione quæ nobis præcipitur, nempe vt eum super omnia diligamus; non enim omnis perfectio charitatis nobis est præcepta, sed ea tantùm, vt super omnia Deum diligamus. Hanc perfectionem dilectionis cùm implere possimus, implere quoque præceptum de diligendo Deo super omnia possumus. Deus, inquit, diligendus præcipitur super omnia, non solùm appretiatiuè, quia summum bonum est; sed etiam intensiuè quia ex omnibus viribus. At hoc falsum est. Multos enim legimus ex toto corde & consequenter ex omnibus cordis viribus quæsiuisse Deũ & dilexisse, qui tamẽ nõ summa intentione diligebãt, alioqui nec aliò mentẽ cõuertere, nec vires suas in alias res diuidere debuissent. Imò quia Deus ita vult vt ipsum diligamus, vt alias quoq; res non negligamus, sed eis vacemus, hoc ipsum inuictũ argumentũ est, nõ requirere à nobis summè intensam dilectionem, sed solùm appretiatiuè summam. Iam si per omnes vires intelligat Zaborouius, non vires cordis, sed aliarum quoq; potentiarum, quæ sunt in carne, ea perfectio nullo modo nobis præcipitur. Cordi enim non carni præcipitur diligendus Deus, cor enim non caro Deum cognoscit, ac consequenter diligit, & implet dilectionis præceptum. Præcipere enim vt omnibus etiam carnis viribus diligamus, est præcipere, vt caro non concupiscat: quale præceptum in tota lege Dei est inauditum, & quia de re impossibili esset, irrationabile esset, & diuinæ Sapientiæ ac Bonitati repugnans. Fateor si de dilectione Dei loquamur, non vt nobis præcepta est, sed secundùm eam perfectionem, quæ in illam cadere absolutè potest, eam perfectionem in hac vita ha-

Quid sit amare Deum super omnia.

Quæ perfectio charitatis præcepta in hac vita.

Quæ perfectio charitatis vitæ futuræ reseruatur

ta haberi non posse, vti Augustinus, & alij sancti Patres affirmant, eamque perfectionem cœlesti gloriæ reseruatā dicunt, eam tamen à nobis in hac vita sub amissione gratiæ diuinæ & vitæ æternæ, quæ propria obligatio est legis diuinæ, non requiri, & absque ea præceptum dilectionis nobis impositum, perfectè impleri posse, ea perfectione quæ nobis præcepta est.

Cuiusmodi peccatorum quotidie petatur remissio.

Miror, inquit Zaborouius, quomodo ista cohærere possunt: Dicitis vos legem Dei implere, interim tamen omnes quotidie oratis: Dimitte nobis peccata nostra. Quid autem vobis à Deo dimittitur si ei nihil debetis? Noli mirari Zaboroui, non enim eorum peccatorum dimissionem, quibus lex Dei violatur, nos quotidie petimus, sed venialium duntaxat & leuium peccatorum, quibus lex Dei absolutè non violatur. salua enim gratia Dei & vita æterna, committi talia peccata possunt. Quis enim credat, vno verbo otioso legem Dei ita violari, vt & gratia Dei amittatur, & damnatio æterna incurratur? Id igitur petimus quotidie dimitti, quod debemus. At non debemus id quo lex Dei violetur, & amissionem diuinæ gratiæ & gloriæ mereatur, sed quod salua diuina gratia, & vita æterna deberi à nobis potest, quæ sunt leuium aliquorum excessuum debita.

Supererogationis opera.

Affirmatis, inquit, supra legem ampliora vos posse facere. Rectè affirmamus; multa enim bona à nobis fieri possunt, quæ nobis sub amissione diuinæ gratiæ & salutis præcepta non sunt. Talia sunt quæ studio maioris perfectionis suscipiuntur, iuxta Christi verbum: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes & da pauperibus*, & alia id genus.

Zaborouius delirat in Pōtificis morientis absolutione.

Interim tot Sacramenta habetis, inquit, aduersus peccati remedia. Ita sanè, vt eorum præsidio & vitare peccata mortalia, quibus lex violatur possimus, & ad impletionem legis diuinæ peruenire. Pontifex, inquit, vester in fine vitæ absoluitur, at cur absolui debet, qui nullo peccati vinculo irretititus fuit? Stulta obiectio: nam nec Pontificem nos à peccatis immunem credimus, & dum in fine vitæ absoluitur, à peccatis absolui dicimus: quæ si venialia tantùm habeat, legem Dei non violauit: si grauia, pœnitentiæ remedio in eo statu constituitur, vt paratus sit ad omnem legem Dei implendam, imò & actu implet tunc, quicquid pro illo temporis articulo, lege Dei præcipitur, ad cætera suo tempore implenda animo paratus.

Et in Patribus adducendis.

Ineptè verò adducit Chrysostomū & Sedulium, qui de legis veteris impletione loquuntur, & eam opponunt gratiæ, dicuntq; quòd lex tota impleri non potest ex seipsa, nisi iuuetur gratia Dei, gratia autem est ex fide. Non igitur absolutè dicunt totam legem impleri non posse, sed solùm per seipsam, & sine gratia & fide, quod ad rem Euangelicorum non facit, qui etiam ex gratia & fide dicūt legem Dei impleri non posse.

CAPVT XXIII.

Nouos Euangelicos ob Sacramentorum defe-ctum necessariò deteriores euadere.

DVbium non est Sacramenta esse sanctitatis fontes, per quos diuina in nos gratia dimanat. Hos fontes Euangelici cùm non habeant nec admittant, seipsos diuinæ gratiæ copia priuant, qua & ad multa bona promoueri, & mala multa declinare possent. Ex septem enim Sacrameetis à Christo institutis, & in Ecclesia semper vsurpatis; vnicum tantùm verum retinent, nempe Baptismum. Nam ne Eucharistiam quidem veram habent, cùm pro vero Christi corpore panem simplicem proponunt, & veris sacerdotibus carent, quibus solis potestas Eucharistiam conficiendi à Christo tributa est. Siccatis igitur sanctitatis fontibus, quid mirum, nullam in eos sanctitatem promanare, peccataq; augeri in immensum? Testis huius rei inter cæteros Erasmus, qui de Euangelicis in Epistola ad Pseudoeuangelicum scriptum reliquit: Mihi, inquit, adhuc neminem contigit nosse, qui non videatur seipso factus deterior. Vnus vir, nullus vir, inquit, Zaborouius. At is vir Zaboroui eiusmodi est, quæ vestra omnia intimè nouerat, & etiam probauerat ab initio. Is itaque non aliquos solùm ait deteriores factos, quod mirum non esset, sed ne vnum quidem se nosse, qui non sit seipso deterior factus, quod maximum est; idq; ob solam religionis mutationem, & à Baptismo ad nouum istud Euangelium transitum: qui enim in Papatu erant, vbi ad Euangelicos transierunt, facti sunt deteriores, quod & Luterus in Postilla super Euangelium Dominicæ I. Aduentus confirmauit, cùm ait, Suos Euangelicos esse multò deteriores, quàm fuerint in Papatu. Ridiculè verò exponit Luterum Zaborouius, quasi auditores suos tanquam malos exagitaret, vt eò meliores redderet. Neque enim mentiebatur Luterus, sed seriò & vere illis obijciebat meliores illos fuisse in Papatu, & in Euangelio nouo factos deteriores. non est igitur bonum Euangelium, quòd non solùm meliores non facit, sed etiam deteriores efficit.

Sacramenta septem sanctitatis fontes dissiparunt nouatores vsq; ad vnũ Baptismum.

hinc seipsis deteriores facti Roterodamo teste.

Et ipso Lutero.

At, inquit, de vestra quoq; Ecclesia non semel idem authores grauissimi prodiderunt. Non diffiteor Zaboroui in Ecclesia quoque peccata sæpè grassari maxima: at nec in omnibus nec vitio, sed neglectu potius doctrinæ, & pastorum summa iniuria. Cùm enim dormirent Pastores, venit inimicus homo & superseminauit zizania. Doctrina enim Catholica pœnitentiã, confessi-

Vitia in Ecclesia, sed nõ doctrinæ vitio, verùm

Incuria, præsertim pastorum: contrà quàm apud sectarios.

confessionem peccatorum, Sacramentorum frequentiam, ieiunia, & omnem vitæ seueritatem proponit, quibus homines à peccatis deterreri necesse est, si pastores suo officio ritè fungantur : & quoties eam doctrinam suis auditoribus seriò inculcare incipiunt, toties maxima morum reformatio in Ecclesia consequitur. At in vestro Euangelio, cum Luterus & primi vestri Apostoli, primitias vestri spiritus habentes, nō dormirent sed laborarent acerrimè, tunc maxima ad licentiam & omnia mala declinatio facta est. Non igitur Pastorum incuriæ, sed doctrinæ ipsius vitio attribui debet, id enim quod homines maximè in officio continere potest, peccatorum confessio, pœnitentia opera & frequens Sacramentorum vsus, doctores istius noui Euangelij maximè damnant, & à verò Euangelio alienum putant. Testati verò sunt malo suo edocti eam præcipuam totius licentiæ Euangelicorum fuisse causam, quod confessionem peccatorum reiecerint, cùm in Comitijs quibusdam Imperialibus magna contentione postulârunt restitui confessionem, quod ea esset vnica via ad omnem licentiam còercendam, vti refert Sotus in *4. d. 18. q. 1. a. 1.* oculatus totius rei testis.

Conuincitur Zabor: pœnitentiam funditus sustulisse.

Frustra verò negare contendit Zaborouius se veram pœnitentiam sustulisse. Nam si de ea quæ in contritione interna, hoc est dolore peccatorum consistit, agatur : eam ipsi & peccatum mortale esse docent, & nullam vim ad remissionem peccatorum consequendam, sed solam fidem habere. Si de pœnitentiæ operibus sermo sit; ea prorsus tollunt, quia docent nullam prorsus remanere pœnam, quæ dimissa culpa, per opera pœnitentiæ luenda sit. Si
1. denique de confessione peccatorum ad consequendam à Sacerdote absolu-
2. tionem agatur, eam isti prorsus tollunt, cùm negant potestatem absoluendi à
3. peccatis Sacerdotibus factam esse, ita vt non veritus fuerit Luterus scribere, mulierem & puerum, & quemlibet posse à peccatis absoluere in *Assert: art: 13.* & optimam pœnitentiam esse nouam vitam *ibidem in art: 7.* Satisfecit quidem Christus pro peccatis, verùm non ita vt nos nihil pro peccatis ageremus: sed vt Christi satisfactionem per actus nostros nobis applicaremus.

Nostra satisfactio vim ex Christi satisfactione accipit.

Quamuis enim satisfactio Christi ex se sit sufficientissima, nisi tamen nobis per actus pœnitentiæ applicetur, nobis nihil proderit. Non igitur per opera satisfactoria derogamus satisfactioni Christi; sed eam nobis applicamus, siquidem opera pœnitentiæ vim satisfaciendi ex Christi satisfactione sortiuntur.

Zabor: Toletum aut non intelligit, aut calumniatur.

Porro cùm suam pœnitentiam tueri non possit Zaborouius, in Catholicorum pœnitentiam inuolat, sanè nugacissimis ratiunculis. Docet, inquit, Toletus vester, non teneri quemlibet statim post peccatum conteri, sed tunc tenuem dolorem sufficere. putatq; se oppugnare Toletum cùm

tum cùm probat ex Scripturis dolorem pro peccatis debere esse maximum. At quàm ineptè. Nunquid enim Toletus aut quispiam sanæ mentis negat dolorem pro peccatis debere esse maximum? Inepte igitur probat id, quod nemo negat. Quod igitur à Toleto cum omnibus Theologis dicitur, est, illum maximum dolorem, quem homo pro peccatis tenetur suscipere, non teneri sub nouo peccato mortali statim elicere in primè temporis articulo, quo peccati meminit; sed satisfacere præcepto diuino, si tempore opportuno illum eliciat: alioqui sequeretur hominem singulis momentis nouis peccatis mortalibus se obstringere, donec summum illum dolorem eliciat. Hoc si tu Zaboroui intellexisti, cur Toletum quasi summum dolorem pro peccatis neget, calumniosè oppugnas? si non intellexisti, cur scribis quæ non intelligis? at tibi sat video fuisse fucum aliquem apud tuos fecisse. Simile & illud est quod contra necessitatem formalis propositi non peccandi, opponis. Neq; enim quisquam Catholicorum, dixit non requiri ad pœnitentiã verum propositum non peccandi, siue illud sit formale, siue virtuale: sed inter Theologos tantùm controuersia est, an solùm virtuale sufficiat, vel an requiratur formale. Illud primum, cùm quidam probabiliter affirmant, tu illos oppugnas, ac si negarent verum propositum non peccandi, quod hominis parum res intelligentis est, non solidè docti. Similiter nec illud intelligis quod oppugnas, posse pœnitentiam externam per alium impleri: pœnæ siquidem externæ ex eo sunt genere, vt eas vnus pro alio suscipere possit, vti res ipsa & vsus quotidianus loquitur. Adducis quidem ex Scriptura vnumquenque portare onus suum, at cur aliam Scripturam non adducis in qua dicuntur peccata Patrum puniri in filijs in tertiã & quartam generationem? *Exod.20.5.*

æquè ac aliorum Theologorum sentẽtias quas oppugnandas sumit.

Carpis etiam absolutiones venalesque Indulgentias, quibus ais ad omnem turpitudinem fręna laxari. At quam imperitè? Absolutiones enim Catholicæ non sunt ex eo genere, vt per eas ab omni culpâ & pœna homines liberentur, & nulla pro peccatis pœnitentia irrogetur, sed cum culpa pœna quidem æterna aufertur, at temporalis non aufertur, sed pro ratione peccati maior vel minor iniungitur, Quomodo igitur puniendo peccata fræna ad peccandum laxantur?

Eodem stylo in absolutiones & indulgentias inuehitur.

Indulgentias verò cum venales vocas, calumnia mera est. Ego enim in curia Romana non semel varias pro varijs indulgentias impetraui, nullo pro ea re precio dato, ac ne nominato quidem. sed esto. fieri enim potest aliquando in ea re abusus. Num igitur propter abusum qui tolli potest; illicò vsus & res ipsa secundùm se damnari debet? Est hoc sanè non sapientis sed imperiti, propter abusum damnare vsum. Inter nos sanè modo agitur de doctrina, an tale quid doceamus, vnde laxitas morum & dissolutio sequatur; quod vti

quod vti in vestram doctrinam aptè conuenit, ita à nostra doctrina nihil magis alienum cogitari potest.

Quæ contra æquiuocationem mentalem disputas, ostendunt te in scripturis Doctorum virorum tam parum versatum esse, vt quod ab illis communi consensu & graui ratione docetur, non intelligas; quippe qui contentus es specie quadam veritatis fucum facere imperitis, nec cogitas quid sapientiores de te iudicaturi sint. Si enim æquiuocatione iusta in nullo casu vtendum censes, non solùm viris doctis, sed etiam Christo, & Scripuræ contradicis. Legimus enim & Christum & sanctissimos ac in Scripturis laudatos viros æquiuocatione vsos esse. Etenim Christus *finxit se longius ire, Luc: 24. 29.* siué ea fictio verbis, siue factis fuerit facta. Æquiuocè quoque dixit se non ascensurum ad diem festum, cùm tamen ascenderit, intelligens se non ascensurum manifestè, cum in occulto ascenderit, vt mox exponit Euangelista. Diem quoque iudicij nescire filium hominis asseruit, sensu quodam occulto, siue quia nesciret ad dicendum, siue quod ea modo quodam loquendi nescire dicimur, quæ definire & determinare non esse nostrum significare volumus, vt alibi contra Arianos ostendimus, lib: 2. de Christo. Apud Ioannem quoque Cap: 11. æquiuocè dixit: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum*, quæ verba tanquam de dormitione somni dicta intellexerunt Apostoli, cùm tamen de morte loqueretur. Abraham dixit vxorem suam sororem esse. Iacob dixit se Esau primogenitum. Quæ tamen æquiuocationes non mendacia fuerunt, sed occultationes necessariæ veritatis, in sensu recondito, sed vero. Nec etiam iniustæ aut temerariæ fuerunt, quia iusta occultandæ veritatis intercedente causa dictæ fuerunt. Sæpe enim veritatem aliquam occultare, citra mendacium necessarium est, cùm vel iniustè exigitur, vel in graue alicuius damnum cedit, vel bono alicui magno aduersatur. Id autem si citra mendacium fiat, vero scilicet & occulto sensu intento, nullum peccatum est: si verò & sine causa, & cùm mendacio, peccatum proculdubio est. Hæc cùm omnes viri Sancti ex Scripturis & sanctis Patribus doceant, tu ignorantia sola fretus, condemnare audes quod nescis, & clamores excitas, vbi nulla tibi suppetunt firmamenta rationum. Nam si rudem plebeculam iudicem statueris, lucrum aliquod referes; si doctorum & non vulgariter res expendentium iudicium subibis, totum perdes. Absurdè verò vereris, ne nostri Catholici hac æquiuocationis doctrina in faciendis suis confessionibus vtantur, vbi enim iustum & debitum est peccata confiteri, iniustum est ea æquiuocatione tegere.

Æquiuocatio an licita?

Ioan: 7. 8. 10.

Marc: 13. 32.

Gen: 12. & 20.

Gen: 27. 19.

Quando licitum occultare veritatem.

Sed quàm egregiè Zaborouius probat suos Euangelicos esse sanctos; quia, inquit, quotquot sancti fuère, non alia ratione quàm Euangelica fide sanctitatem

Zaborouianos spectatū

sanctitatem consecuti sunt. Quis risum teneat in tam acuta ratione? aut quis concedat Sanctos, aut fide Luterana sanctos fuisse, aut sola fide. Magis enim sanctis operibus ex fide procedentibus sancti fuerunt, quæ opera si ad fidem non adiunxissent, fide sola proculdubio sancti non fuissent. Nam & fidem Sanctus Iacobus vult ex operibus ostendi, & iustificationem ex operibus fieri a fide profectis, & Christus nonnisi *obtemperantibus sibi factus est causa salutis æternæ*: deniq; opera ad fidem comparata habere se vt animã ad corpus, & esse ipsius fidei vitã Iacobus docet, & omnem fidem sine charitate nihil valere Paulus affirmat, maioremq; fide esse charitatem. Plus igitur momenti ad sanctitatem habent opera, quam fides. Quare nullo iure potest Zabor. asserere suos fide Sanctos esse. Si enim omnia opera nostra quantumuis perfecta vt a nobis fiunt, peccata esse mortalia dicere non dubitat; quomodo idem de fide non fatetur? Quod si fides non sancta sit, sed verissimum peccatum, quomodo sanctos facere Euangelicos potest? Nullo igitur modo sanctos Euangelicos fides illorum facit. Quod si de Sanctitate imputata loquantur, eam habeant quantam volunt: nos enim non de ficta & in opinione posita sanctitate loquimur, sed de vera & reali in nobis inhærente sanctitate.

Sanctos admissi risum teneatis amici.

Iac: 2. 21.

Hebr: 5. 9.

1. Cor: 13.

Larua imputationis.

Ridicule vero quærit a me Zaborouius, quid ad veram sanctitatem ab Euangelicis requiram; nam in promptu responsio est, me requirere omnia. Requiro fidem Sanctorum, requiro opera Sanctorum, requiro testimonium de cœlo sanctitatis. Nam & fidem falsam habetis dissentientem a fide Sanctorum quotquot hucusq; fuerunt: & opera Sancta non habetis, cum ea omnia esse peccata mortalia fateamini, multo minus opera illa heroica sanctitatis; sed imaginariam tantum sanctitatem vobis comminiscimini in apprehensione fidei consistentem, cum realiter nunquam sancti sitis, sed semper peccatores: ita vt ad liberandos vos vere & realiter a peccato, nõ sufficiat totus Christi Sanguis, qui tam copiose pro vobis effusus est: post omnem enim Christi Sanguinem & redemptionem in Cruce nobis partam dicitis vos ita in peccato mersos, vt ab eo liberari vsq; ad mortem non possitis. Cum igitur nihil habeatis vnde sancti esse possitis, quis credere potest vos ad numerum sanctorum pertinere Non igitur mirum est vestram sanctitatem nullo vnquam diuino testimonio approbatam esse. Cum ex altera parte sanctitas plurimorum Catholicorum nouis quotidie miraculis illustretur, quæ negare nemo, nisi præiudicatæ opinionis homo, potest. Frustraq; ais Canonizationem vos non curare. Non est quod curetis, nunquam ea vestri ordinis hominibus contigit, nec continget vnquam. *Quæ est enim spes Hypocritæ* inquit Iob: aut quomodo Canonizationem sperare possitis, qui ab vniuersa

Omnia desunt Euangelicis ad sanctitatem. Fides,

deficit & Christi sanguis ipsorum opinione.

& diuinum testimonium.

Iob. 27. 7.

vniuersa Ecclesia proscripti, & Hæretici declarati estis. In dubium verò Canonizationes reuocas : at id non faceres, si tecum reputares, inter cætera quæ ad probandam alicuius Sanctitatem producuntur argumenta, diuina quoq; testimonia esse seu miracula, non leuiter narrata, sed grauissimis testibus confirmata : quæ si tu eleuare volueris, eleuare quoque poteris Christi ipsius & Apostolorum miracula, quod enim illis obijcies, idem quoque his obiicere poteris. Cùm verò linguam stringis ad ridendos sanctos Dei, Dominicum; Franciscum, Loiolam, non à nobis responsionem expecta, sed à Deo seuerum iudicium, quo blasphemum os æternis (nisi tempestiuè pœnitentiam egeris) cruciatibus addicetur.

Imprudenter primos sex seculorum Patres, secum in fundamentalibus sensisse iactant.

Tribus igitur ex causis fides Euangelicorum, fides sanctorum dici non potest, tum quod sanctos non faciat, tum quòd cum fide sanctorum minimè concordet, tum quod ne vnus quidem sanctorum illam sit secutus. Nam quod ait, primis sexcentis annis Patres in fundamentalibus cum Luteranis & Caluinianis concordâsse, id tam impudenter asseritur vt alia refutatione opus non habeat. Extant enim confessiones Augustini, Hieronymi, Ambrosij, Gregorij, quæ è diametro Luteranæ doctrinæ capitibus opponuntur. Trahunt quidem Euangelici locum aliquem obscurè sanctorum Patrũ contra omnem ipsorum mentem, at tot alijs locis illustribus, per quæ obscura exponenda sint, conuincuntur; vt dubium esse non possit omnes sanctos Patres in omnibus Luteranę doctrinæ capitibus ab illis dissensisse. Nam vt cætera taceam nemo quantumuis præiudicatæ opinionis negare potest, omnes ferè sanctos Patres & sacerdotes fuisse, & missam celebrâsse, in eaq; celebranda & verum corporis & sanguinis Christi sacrificium agnouisse & sanctos inuocâsse, & pro defunctis orâsse, & imagines ad altare adhibuisse, quæ omnia noui isti Euangelici præcipue oppugnant. Si hæc fundamentalia non sunt, nescio quid fundamentale, in religione censeri debet. Nam à sacrificio verus Dei cultus dependet. à veritate corporis Christi in Eucharistia vita æterna: Sanctorum quoque inuocatio & imaginum cultus, si vt isti volunt idololatria sit, verum Dei cultum impedit. Cùm igitur in his omnibus à Sanctis Patribus dissentiant Euangelici, in fundamentalibus dissentire omninò censendi sunt. Libros, inquit Sanctorum Patrum pro Canonicis non habemus, sed neque nos Zaboroui habendos pro talibus dicimus: Fidem tantùm Sanctorum pro vera & Catholica fide habemus, in qua nos Catholici à vobis Euangelicis differimus: nam vos in rebus fidei, næuos seu errores Sanctis Patribus tribuitis, vt in Missâ, purgatorio & similibus; nos quæcunque illi consensu vnanimi crediderunt, sanctè quoque credimus, nec ab eorum fide vel latum vnguem discedimus. In ijs verò quæ ad fidem non perti-

Vide in quibus palam ab ijs Patres dissentiant.

Non libros Patrum pro Canonicis, sed consensum eorum vnanimem in fide cõplectimur.

non pertinent, multa sancti Patres scripserunt, prout cuiq; probabile & scripturis conforme videbatur, hæc nos non pro articulis fidei, sed pro opinionibus probabilibus habemus, sicut & ipsi haberi voluerunt, & liberum esse dicimus in hoc genere, salua fide, quod probabilius visum fuerit sequi.

CAPVT XXVI.

Calumniæ nouem Catholicis à Zaborouio obiectæ diluuntur.

MAgnum causæ suæ præiudicium in iure facere censetur, qui calumnijs contra aduersarium agit, quòd is à veritate præsidium non habere, ideóq; ad mendacia merito confugere existimetur. Talis est Zaborouius hoc loco, cùm nouem calumnias pro rationibus nobis opponit, quibus se id assecuturum putat apud imperitos, vt Catholici Sanctorum honorem conculcare credantur.

Prima calumnia est. Apostolorum acta & scripta à populo legi prohibetis. At nec absolutè nec vniuersè legi prohibemus, sed ijs duntaxat, qui ob imperitiam & curiositatem sine errandi periculo legere non possunt; alioqui cum humilitate & subordinatione debita legere quilibet potest. Neque verò tam prohibemus lectionem, quàm occasione lectionis proprio sensu interpretationem, quæ omnes hæreticos in errores impulit. Nam & Petrus *2. Epistola 3. 16.* de talibus conquestus est, *quòd indocti & instabiles ad suam ipsorum perditionem Scripturas deprauant.* Æquius est igitur iudice Petro, indoctos & instabiles, Scripturas non legere, quàm ad suam ipsorum perditionem legere. Et sanctus Hieronymus sui temporis statum eo maximè nomine deplorat, quod cùm in cæteris omnibus artibus *tractant fabrilia fabri, sola Scripturarum ars sit, quam sibi passim omnes vendicant. Scribimus indocti doctiq; Poëmata passim, hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. In Epist: ad Paulinum de studio Scripturarum.* Quare ridendus est Zaborouius, cùm ait: Egregiam verò de Scriptis Apostolicis existimationem quòd aliquando hæresi inficiant; non enim id vitio sui, sed vitio legentium faciunt, quia vt ait S. Petrus, cùm ij qui legunt, sunt indocti & instabiles, Scripturas ad suam perditionem deprauant. Cùm igitur tales à Scripturarũ lectione auertimus, non contra honorem, sed pro honore Scripturarum & sacrorum scriptorum agimus, non dantes *sanctum canibus*, *nec projicientes margaritas*

Quomodo Ecclesia arceat vulgus à lectione Scripturæ.

Matth: 7. 6.

margaritas ante porcos: alios enim qui id cum fructu præstare possunt, non solùm non auertimus, sed etiam impellimus, nec quidquam Scripturarum studio maius ducimus.

Zaborouius in S. Stanislaum iniuriosus.

Secunda calumnia. De Sanctis fabulosa inquit, quæ Sanctos minimè decent spargitis, exempli gratia de Sancto Stanislao, quasi mortuum excitasset, & ad iudicium testimonij causa eundem produxisset. At huius calumniæ te Zaborouî tota Polonia & grauissimi gentis nostræ Scriptores conuincent: quippe cùm id in dubium reuocas, quòd tot seculis tanta constantia creditum est, non à vulgaribus duntaxat, sed vniuersè ab omnibus. An non pudet te hodie natum, nouas de præteritis sæculis fabulas texere, non alio, quàm temeritatis fundamento subnixũ? Dic eadẽ temeritate S. ipsum Stanislaũ nunquã extitisse. Ijdem enim autores qui S. Stanisl: extitisse tradũt, tradunt etiam mortuum suscitasse. Æquè igitur vtrumq; est, aut falsum aut verum, aut si alterum credendum ob eorum authoritatem putas, alterum quoque ob eorundem authoritatem credere te oportebit. At, inquis prohibuisse Deum ne quis à mortuis quærat veritatem. *Deuteron 18. 11.* Ergone tibi Piotrouinus postquam à mortuis excitatus fuit, mortuus videtur non viuus? & eius testimonium mortui non viui testimonium? Dic obsecro si quis à Lazaro quem Christus à morte resuscitauit, testimonium de Christo audiebat, num contra legem diuinam à mortuis quæsiuerit veritatem? Tamne ineptus es, vt non intelligas in Deuteronomio prohiberi ab ijs qui mortui sunt, non qui diuina virtute sunt ad vitam reuocati, inquisitionem veritatis. Deinde eam inquisitionem vetari quæ fit per incantationes, per Pithonas, per ariolos, vt ibidem expressè dicitur: non verò quæ diuino intercedente miraculo perficitur, Sanctus igitur Stanislaus non à mortuis qui essent mera spectra arte dæmonum apparentia, sed ab ijs qui verè ad vitam diuina virtute reuocati sunt, neq; per incãtationes, sed per miraculum diuinum quæsiuit veritatem, quod est ab ipso Deo impetrare veritatem. Nihil igitur contra legem Deuteronomij peccauit, ac proinde tua coniectura futilis est & inepta.

Acuiusmodi mortuis non quærenda veritas.

Historijs Sãctorum quæ fides habenda.

Iam quod ad rem ipsam attinet, ea quæ de sanctis apud nos dicuntur vel scribuntur, alia sunt certa & explorata & ab Ecclesia recepta, alia verò priuatos tantùm autores habent, absque alio Ecclesiæ testimonio. Vtrorumque non est par autoritas, nec par defendendi ratio. Cùm enim à grauibus autoribus asseruntur, æquum est eam ijs fidem adhibere, quam eorum autoritas meretur, etiamsi difficilia ad credendum videantur. Eæ enim quæ Deus præter ordinem naturæ facit cum seruis suis, prudentibus huius sæculi stulta videntur, at Diuinæ sapientiæ ratio in illis, si spiritu Dei expendantur

dantur, maximè elucet. Quod igitur ea quæ de sanctis dicuntur minus decentia Euangelicis videantur, tres esse causæ possunt. Primo. Quod non simplici oculo, sed oculo nequam facta sanctorum inspiciant. Voco oculum nequam qui ex liuore, ad deteriorem partem omnia trahit. Talis enim oculus teste Christo *totum Corpus tenebrosum reddit*, & lucem transformat in tenebras, bonum in malum. Secundo. Quod sibi non persuadent quanta sit amoris Christi magnitudo erga seruos suos; quibus etiam centuplum in hac vita promittit, & ea quæ exuperant omnem sensum & opinionem hominum, in ipsis operatur. Tertiò. Quia iudicat secundum carnem non secundùm spiritum, *Animalis enim homo non sapit quæ sunt spiritus: Spiritualis verò omnia diiudicat.* Cùm igitur in spiritualibus rebus profunde versati non sint, nec in seipsis diuinas affluentias; & dulcedines quas præbet Dominus diligentibus se degustârint; in infidelem enim & *maleuolam animam non intrat spiritus sapientiæ*: fit vt ea quæ de sanctis audiunt veluti stulta, indecentia, incredibilia, propter carnale ipsorum iudicium derideant. Etenim similiter præcipua fidei nostræ mysteria, stulta infidelibus videbantur, *Iudæis scandalum, gentibus stultitia*, at credentibus & spiritu Dei illuminatis erant *virtus & sapientia Dei.*

Cur ijs Hæretici fidem abrogent. 1. *Luc: 11. 34.* 2. *Ioan: 14. 12.* 3. *1. Cor: 2. 14.* *Sap: 1. 4.* *1. Cor: 1.*

Quod verò Canus ait *11. de Locis cap: 6.* ad negligentiam eorum, qui sanctorum vitas describunt pertinet, cùm id nulla cura de inquirenda & examinanda veritate præmissa faciunt. Quod tamen neque commune est omnibus scriptoribus, neque facit, quominus innumera de sanctis certa & explorata habeantur, non à vulgaribus, sed à grauissimis de fide dignis scriptoribus. Quod verò ex speculo Exemplorum à Wysocio edito producit Zaborouius de MARIA sudorem monachi noctu abstergente, impurum nescio quid suspicatur (mens enim impura qui potest purum quid cogitare?) quod nulli pio Catholico venit in mentem.

Zaborouius impurus suo pede alios metitur.

Tertia Calumnia est. Iniuriam, inquit, sanctis facitis, quia pro ipsis oratis. Mera hæc calumnia est. Quis enim pro sanctis orat? Oratis, inquit, cùm pro animabus omnium fidelium defunctorum oratis, Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni. At Zaboroui verba ipsa Orationis te docere debuerunt, pro ijs orari qui non dum in cœlo sunt, nempe vt à pœnis liberati, in cœlum recipiantur. Hoc igitur inter cæteras calumnias tuas meritò adnumerari debet.

Calumniatur fronte perfricta.

Quarta calumnia. Colluuiem, inquit, hominum, verè sanctis aggregatis, & impia Apotheosi superstitiosos Monachos inter eos refertis. Quid hac calumnia tetrius? Ergò ne tibi colluuies hominum videntur Monasticæ vitæ Professores, qui mundi vanitatibus conculcatis, vitam cœlestem &

Monachos colluuiem hominum reputat.

Angelicam; quò soli Deo vacent & viuant elegerunt. Basilius igitur, Chrysostomus, Gregorius magnus, S. Martinus & cætera Ecclesiæ Dei lumina, colluuies hominum tibi videtur? hi enim Monachi fuerunt. Reputa tecum Zaboroui, contemptibilia mundi elegisse Deum, vt vos qui nihil tale pro regno cœlorum meditamini confundat.

Quinta calumnia. Vestros superstitiosos Monachos Ioanni Baptistæ, & Apostolis præfertis. Ea quoq; calumnia est: nusquā enim Ecclesia Catholica tale quod statuit, aut declarauit. Ponderator enim spirituum Dominus est ipse solus nouit qui sunt eius. Si verò priuati aliqui pro sua deuotione de S. Dominico & S. Francisco aliqua scripserūt, eos cum Apostolis & Ioanne Baptista comparantes, non illico id quasi dogma Ecclesiæ obijci debet: neque ij etiam qui scripserunt condemnandi, sed pie secundùm sensum ipsorum dicta ab illis exponenda & accipienda sunt. Neque enim mens eorum fuit hos Sanctos absolutè Ioanni Baptistæ & Apostolis præferre, sed quòd aliqua in his Sanctis singularia eluxerunt, quæ in illis non ita conspicua erant, licet absolutè illos sanctitate superent. Aliqua enim in aliquibus sunt magis admiranda, vt studium paupertatis, castimoniæ, obedientiæ, pœnitentiæ, licet apud Deum is qui maiori charitate præditus est, maior Sanctus censeatur. Sed nescis tu Zaboroui piè interpretari, & in meliorem partem ac sensum facta Sanctorum accipere: qui cum tuis Euangelicis bellum Sanctis perpetuum intulisti, quo illos nec inuocatione, nec veneratione, nec cœli gloria vsque ad diem iudicij (si tuo Caluino *3. Inst: cap: 25.* credimus) dignos putas.

Prou: 16. 2.

Nihil potest candidè interpretari.

Sexta calumnia. Doctrinam Apostolorum nihili facitis, ad instituta Monachismi Fundatorum magis intenti. Confirmat autem id authoritate Erasmi (dignum tali patella operculum) qui ait, pluris fieri inter Monachos quod statuerit Benedictus, aut Bernardus, aut Franciscus, quàm quod is docuerit, de quo vna vox Patris audita: Ipsum audite. Calumnia hæc est Zaboroui, duplici ex causa; nam nos doctrinam Christi & Apostolorum, multò pluris quàm vos facimus, cùm non solùm scriptam, sed etiam traditam (quod vos non facitis) recipimus: neque solam literam, sed & sensum Apostolicum, qui nobis traditione innotescit, sequimur. Vos verò & doctrinæ sacræ magnam partem reijcitis, & verba Apostolorum sensu non Apostolico, sed ex capite vestro deprompto corrumpitis, vti supra satis abundè ostensum est. Quod etiam Benedicti aut Bernardi præcepta, Christi præceptis præponamus, ingens est, & in Sanctissimos viros iniuria, quasi ij præcepta, Christi præceptis contraria statuissent; & in Monachos calumnia quasi illi præceptis Benedicti aut Bernardi, non propter Christum se subiecerint;

Longè pluris fit doctrina Christi & Apostolorum à Catholicis, quàm à sectarijs.

cerint; quod si propter Christum, quomodo contra Christum? Non Monachi, Zaboroui, præceptis Christi sua dogmata Monastica præponunt, sed vos præcepta Christi Monasticis institutis contraria fingitis, cùm Christus ipse & Apostoli Monasticam perfectionem nobis commendarint, vti supra dictum est. Torques verò verba Crusij in explicatione Regularum Loiolæ (quē tu autorem ex altero mundo citas, in hoc enim mundo nullus ipsius in Regulas commentarius in lucem editus extat) quod dicat nostrum Decalogum esse Regulam votorum ab Ignatio Loiola traditum: imò Decalogi legibus præstantiorem, quòd in Decalogo tantùm sint mandatoria, in nostra autem plura sint quàm lex exigit, nempe consilia. Ea verba si recto sensu & ab autore incerto accipias, calumniam tuam facilè prodent, non enim spreto Decalogo Christi inducitur Decalogus Regularum, sed iacto fundamento in Decalogo Christi, additur ad Decalogum mandatorum, Decalogus cōsiliorum. quomodo Christus ipse adolescenti qui seruauerat omnia mandata Dei, ostendit Regulam maioris perfectionis: *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade & vende vniuersa.* Cùm verò ait: præstantiorem esse Decalogum nostrum, non opponit vnum alteri præcise, sed Decalogum mandatorum, cum Decalogo consiliorum, opponit Decalogo mandatorum tantùm, quæ oppositio est Christi ipsius, qui ad mandata addit perfectionem consiliorū.

Zaborouius autorem citat ex Vtopia eundemq; calumniatur.

Septima calumnia. Imaginibus magis Sanctorum quàm moribus oblectamini, vitamq; illorum minimè imitamini. Quàm pudenda calumnia? Quis enim nisi Catholicus Sanctos imitatur in ijs omnibus in quibus illi admirabiles fuerunt, hoc est in mundi contemptu, rerum omnium abdicatione, voluntaria paupertate, vitæ austeritate? Hæc vos Euangelici non solùm non imitamini, sed etiam damnatis & superstitiosa dicitis, & tamen Sanctorum imitatores haberi vultis. Proferte vel vnum ex vestro cœtu qui sit Sanctis illis, quos mundus pro Sanctis agnoscit, & Deus miraculorum gloria illustres fecit, comparandus. Sed de hoc supra. Sanctorum verò imaginibus si oblectamur vt asseris, in honorem illorum oblectamur. Quorum autem honore oblectamur, oblectamur & moribus. Imagines profectò nō placerent, si vita & mores non placerent, illudq; huius argumentum est.

Non magis imaginibus, quàm moribus ac imitatione sanctorum oblectanturCatholici.

Octaua calumnia. In Sanctos, inquit, honorem soli Deo competentem transfertis. Hæc calumnia est maxima. non enim illos vt Deos, sed vt Dei seruos & amicos inuocamus: neque ab illis beneficia, tanquam à prima omnis boni causa poscimus, quod proprium solius Dei est, sed vt nobis à Deo beneficia impetrent postulamus, quo ipso eos Deo inferiores, & non Deos agnoscimus. Neque enim Deo conuenit impetrare sed dare. Ex ipsa igitur ratione inuocandi & colendi manifestum est, nos Sanctos pro Dijs nō

Catholici non transferunt honorem Dei in sanctos.

habere, & ex consequenti per calumniam, nobis oppositum à Zaborouio obijci. Angelus, inquit, *Apocal: 19. & 22.* noluit à Ioanne adorari, ergo nec Sancti qui sunt similes Angelis. At in promptu responsio est: Si enim Ioannes nesciebat esse Angelum, sed Christum se videre putabat, tunc non mirum est Angelum, Christi honorem qui diuinus est recusasse. Neq; nos honorem eiusmodi sanctis impendi volumus. Si vero sciebat esse Angelum, tanta erat sanctitas Ioannis, & Angeli demissio, vt à tam sancto viro adorari meritò detrectaret. *Ne feceris conseruus enim tuus sum, Deum adora* Alioqui ni hoc dicatur, cùm perstaret Ioannes in eadem voluntate adorandi. *Apoc: 22.* idololatra proculdubio fuisset, si ille honor Angelo exhibitus illicitus fuisset & idololatricus. Humilitatis igitur certamen illud fuit inter Ioannem & Angelum, non diuini cultus diminutio aut translatio. Hæc cùm toties vobis responsa sint, ita vt nihil contra hiscere possitis, tamen ac si nihil responsum fuisset, idem nobis obijcere non erubescitis. Porrò infideliter more tuo adducis pro te Augustinum libro de Pastoribus c. 8. dicentem. Quando dixeris auxilium meum non à Sanctis sed à Domino, non solùm tibi non succensent Sancti; sed tunc amabunt, tunc magis fauebunt: sin in ipsis spem tuam posueris, contristabuntur. Neque enim Augustinus loquitur de Sanctis in cœlo regnantibus, sed de mentibus bonis & sanctis in terra, hoc est prædicatoribus & autoribus Scripturarum, qui nos suis laboribus & prædicationibus & Scripturis iuuant. Loquitur etiam de auxilio non quocunq; nec ministeriali tantùm, de hoc enim dubium non est, quin à prædicatoribus sanctis percipi possit dicente Paulo: *Ego plantaui, Apollo rigauit.* sed de auxilio principali ad salutem, quod non ab hominibus, sed à solo Deo habetur, dicente Paulo: *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis?* Hoc verò modo & Sancti in cœlo regnantes nobis non auxiliantur, tamquã principales causæ salutis, neque ægrè ferunt, si non ab illis; sed à Domino principale auxilium salutis expectamus, solùm verò nos suis orationibus adiuuant, & à Domino auxilium nobis impetrant.

Humilitatis certamen inter Angelum & S. Ioannẽ.

V.

1. Cor: 3. 6.

Sed cur Zaborouius, si candidè pro veritate agere voluit, non citauit Augustinum 22. de ciuitate Dei, cap: 8. plurima miracula referentem quibus ad inuocationem sanctorum varij adiuti sunt? Cur non citauit Augustinum ipsum inuocantem sanctos, nempe S. Mariam, SS. Angelos, sanctos Apostolos, Confessores, Martyres in libro Meditat: cap: 40. Et in particulari S. Cyprianum 7. de Baptismo contra Donatistas, cap: 1. *Adiuuet nos*, inquit, *Orationibus suis.* Et 20. contra Faustum cap: 21. docentem vniuersi populi Christiani consuetudinem in cultu & inuocatione sanctorum. *Populus*, inquit, *Christianus memorias Martyrum religiosâ solennitate concelebrat &*

S. Augustinus quid senserit de sanctorum inuocatione.

erat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamuis in memorias Martyrum, constituamus altaria. Hæc citare Zaborouius ad mentem & fidem Augustini exponendam debuit, non fraudibus agere & obscura loca torquere.

Similis dolus in Osorij verbis citandis apparet. Citat enim in concione de Assumptione dicentem, MARIA adeo bona est ac æternus Pater: cum Osorius non absolute in bonitate conferat Mariam cum Deo Patre; sed in ea bonitate quæ ei conuenit ex Filio, quia nimirum tam bonum imò eundem habet filium quem Deus Pater: vnde non dicit MARIA adeò bona est vt æternus pater, vti falsarius iste citat, sed adeò bona Mater, quod est solùm de ea bonitate, quæ est respectu Filij loqui, cum ibidem infinitam Dei præ Maria dignitatem agnoscat. Offendit verò Zaborouium quod Bellarminus in Conclusione operum adiungat: Laus Deo & Virgini Matri. Quid ita? An quia MARIA componitur Deo? at idem quoque fecerunt Apostoli cum dicerent: *Visum est Spiritui sancto & nobis*, neque enim ita componitur vt eadem laus Deo & MARIÆ tribuatur, sed sua cuique, Deo diuina, MARIÆ post Deum.

Quomodo intelligendum. L.D.&V.M. Act: 15. 28.

Nona calumnia. Sanctos Patres vbi pro vobis facere videntur, magni facere videmini, vbi contra vos vt cifras & calculos habetis. Non ita est Zaboroui, sed distinguimus cum Augustino ea quæ á sanctis patribus dicuntur, alia esse ad fidem spectantia, alia quæ salua fidei compage probabiliter ab ijs asseruntur, prout cuique verius videtur *primo, contra Iulianum, cap: 2.* In ijs igitur quæ tanquam ad fidem spectantia tradunt Patres, tanti facimus vt eorum fidem, fidem Christianam arbitremur. Constituit enim Deus in Ecclesia *Doctores in ædificationem corporis Christi, ad consummationem sanctorum, vt non sint fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ, Eph: 4.* Quare audenter ibidem Augustinus. *Quod*, inquit, *credunt, credo, quod tenent, teneo, quod docent, doceo, quod prædicant prædico.* In alijs verò quæ sancti Patres, non vt ad fidem spectantia, sed vt probabilia docuerunt, non tantum quidem illis deferimus, vt contrarium sentire, *salua honorificentia* vt loquitur Augustinus Epistola 111. ad Fortunatum, non liceat; cum nec ipsi tantum sibi deferri velint, sed quod cui verius videretur sequi. Non idcirco tamen eos contemnimus, & pro cifris & calculis, vt nos calumniatur Zaborouius, ducimus, cum veritatis amore non contemptu id faciamus. Neque vero vni aut alteri ita addicti simus, vt si á communi aliorum sensu discedat, eum non posse errare credamus. Sic enim á Cypriano quem tantopere semper coluit recessit Augustinus, doctrinam communem aliorum

Quanti fiant à Catholicis Patres.

rum Patrum & Ecclesiæ de non rebaptisandis Hæreticis sequutus. In aliis vero rebus quæ ex Philosophicis scientiis vel ex Historiarum, aut linguarum peritia, vel ex opinione dependent multò facilius error obrepere potest, vt mirum non sit aliqua talia, in aliquibus notata esse; nos enim consentientem sanctorum Patrum fidem pro regula veritatis statuimus.

Suum vitiũ irrogant Catholicis sectarij.

Vestrum est id, non nostrum Euangelici communem Sanctorum Patrum fidem reijcere, quod à vestro Euangelista Lutero didicistis, qui cùm alibi passim, tum in *libro de abroganda Missa priuata* talem protestationem contra Sanctos Patres scriptam reliquit: Protestor, inquit, aduersus eos qui insanis vocibus in me sunt clamaturi, quod contra ritum Ecclesiæ, contra statuta Patrum, contra probatas legendas, & receptissimum vsum docuerim: horum nihil me auditurum. Potestne maior cogitari Sanctorũ Patrum contemptus? Et in libro de seruo arbitrio, Patrum, inquit, authoritas susdeq; facienda est. Et in particulari singulos Patres proscindit in suis Conuiuialibus, capite de Patribus Ecclesiæ. Hieronymum, inquit, licet legere propter historiam, nam de fide & vera religione & doctrina, ne verbum quidem in ipsius scriptis extat. Origenem iamdudum diris deuoui, Chrysostomum nullo loco habeo, non est nisi loquaculus, Basilius nihil valet, totus est Monachus. Apologia Philippi omnes Ecclesiæ Doctores exuperat, etiam Augustinum. Bernardus omnes Ecclesiæ Doctores vincit concionando; sed cùm disputat, in alterum virum mutatur, ibi nimium tribuit præcepto & libero arbitrio. Tertullianus inter Ecclesiæ Doctores merus est Carolstadius, Cyprianus Martyr, infirmus est Theologus. Videte quales tenebræ sint de fide in Patrum scriptis. Deniq; in libro contra Regem Angliæ ait: Diuina maiestas mecum facit, vt nihil curem si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesiæ Henricianæ contra me starent, Deus errare & fallere non potest, Augustinus & Cyprianus sicut omnes electi errare potuerũt, & errauerunt. quasi solus Luterus multò magis errare nõ potuerit. Quæ sanè omnia & summam Luteri arrogantiam produnt, & ex qua schola prodierit ostendunt, quippe qui à dæmone suum Euangelium accepit, ab eoq; Missã priuatam rem esse abominandam didicit, vti ipse testatur in suo de Missa priuata, & Vnctione Sacerdotum libro.

Quàm abiectè senserit de Patribus Luterus

Luterus à Diabolo didicit abrogãdam Missam.

Negat quidem Zaborouius Luterum à dæmone Missam verè esse malã didicisse; at qui id negare potest, cùm ante disputationem cum dæmone cõtrariæ sententiæ esset, diuque in ipsa disputatione dæmoni repugnaret; tãdem argumentis dæmonis conuictus, in dæmonis sententiam concessit? Tentatus, inquit, fuit à Satana Luterus, qui eum in desperationis barathrum ob Missas quindecim annis in Papatu celebratas, agere voluit. Non tentatus

solum

solùm Zaborovi, sed etiam tentatione fuit à Dæmone victus. Tentationis autem materia præcipua, non desperatio fuit sed missa priuata, ad quam abnegandam argumentis à dæmone illicò compulsus est, cui postea altera quoque tentatio desperationis successit. Tentatus, inquit, etiam Christus fuit, tentati & alij Sancti. Rectè quidem; sed à dæmone persuasi non fuerunt, quin potius ei omnibus modis restiterunt. Non sequitur inquit Missam Priuatam, esse rem bonam, quòd eam Sathan oppugnauit, nam & è contrario quendã Abbatem, dæmõ apparens vt missam celebraret hortatus est vt refert Delrius 4. de Magia c. 5. At non id, hoc loco quærimus, An Missa priuata sit bona vel non? sed an Lutherus doctrinam de Missa priuata abroganda ab ipso dæmone hauserit eiusq; in ea re verus discipulus fuerit? quod ita esse ex eo ostẽdimus, quòd argumentis à dæmone propositis tandem persuasus fuerit, cùm ante oppositum semper sentiret.

Quis porrò non habeat suspectam eam doctrinam, quæ tam mendacem Magistrum authorem habuit? Friuola quoq; sunt quæ ad excusandam Lutheri arrogantiam adfert, quod initio quidem fuerit vehementioris ingenij, postea tamen mitis; etenim quàm hæc sint vera, vel ea quæ de contemptu Sanctorum Patrum ex Luthero adduximus testantur.

Ostensis itaque nouem Zaborouij calumnijs, liquidò apparet, quali spiritu Ministri isti Euangelici agitentur, simul etiam ex dictis manifestum est Euangelicam doctrinam neq; Sanctos homines facere posse, neq; cum Sanctorum doctrina congruere.

CAPVT XXV.

Ministros nouos Euangelicos cùm nulla vnquam miracula ediderint, veros Euangelij Ministros non esse.

DVbium non est ad nouam fidem vel extraordinariam missionem confirmandam, miracula necessaria esse, aut aliud Diuinum testimoniũ. Id ita verum est, vt & ipse Filius Dei qui erat ipsa veritas & sapientia Patris, quamuis Scripturæ veteris testimonijs, se esse verum Messiam comprobaret; miraculis tamen innumeris doctrinam suam, non solùm confirmare voluerit, sed & credi sibi sine miraculis noluerit. *Si non facio* inquit, *opera Patris mei nolite credere. Si autem facio, etsi mihi non vultis credere, operibus*

Neque Christus neque Apostoli sibi, credi voluerunt sine miraculis.

ribus credite. Imò etiam disertè dixerit, si nulla edidisset miracula, Iudæos peccatum non habituros illi non credendo. *Si opera, inquit, non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Neque contentus fuit Christus suis quæ fecit miraculis, sed Apostolis quoque & alijs Discipulis suis potestatem miraculorum contulit, vt fidem doctrinæ suæ facilius facerent.

Ioan: 10. 37.

Ioan: 15. 24.

Imò & cæteris fidelibus qui in ipsum credituri erant, id ipsum promisit: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet Ioan. 14. 12.* Quæ Christi promissio cùm non possit ita intelligi, vt ad omnes & singulos fideles pertineat; necesse est, vt minimum, aliquos in Ecclesia esse, in quibus hæc promissio locum habeat; quando id diuinæ gloriæ necessitas postulauerit. Si igitur nec Christus, nec Apostoli credi sibi voluerunt sine miraculis, qui fieri potest, vt nouis istis noui Euangelij Ministris sine miraculis credamus, & eos pro veris Euangelij Ministris agnoscamus?

Etiam in veteris testamẽti Ecclesia miracula vsque ad Christum viguerunt. Ioan: 5.

Hic primum Zaborouius excipit. Non enim semper nec omnes Ministri miracula facere debent; quod Chrysostomi & Gregorij testimonio confirmat. Fateor, nec semper, nec ab omnibus Ministris miracula edi debere: attamen in Ecclesia semper fuisse, & esse aliquos, & ad finem vsque mundi futuros, qui miracula edant. Quod non solùm ex promissione Christi, sed etiam ex ipso vsu & perpetua experientia probatur. Nam & veteris testamenti Ecclesia nunquam fuit sine miraculis, quæ Deus per Moysen & Prophetas edebat, vsq; ad ipsa Christi tempora: quo tempore præter alia extabat Hierosolymis Probatica piscina, in quam ad aquæ motum ab Angelo factũ, qui primus descendebat, liberabatur ab omni qua detinebatur infirmitate. Christusq; ipse testatus est, Iudæos dæmonia eijcere solitos: Filij, inquit, vestri in quo eijciunt? *Matth. 12. 27.*

Et deinceps seculis omnibus.

In Ecclesia quoq; noui Testamenti non solùm Christi & Apostolorum tempore, sed etiam post Apostolos omnibus seculis Sancti miraculis claruerunt, vt vel ex ipsis eorum vitis à grauissimis autoribus conscriptis constat. Nostro quoq; tempore plurima loca diuinis miraculis abũdant, in quibus homines multa à Domino beneficia consequuntur Częstochouiæ in Polonia Oetingæ in Germania, Laureti in Italia, & alibi alia plurima, quæ negare, est sensum negare. Sensui enim patent curationes morborum, dæmonum expulsiones, & alia beneficia, quæ in dictis locis à Domino obtinentur.

atque adeò hoc nostro.

Nec desunt nostro tempore viri Sancti, quorum vitam & miracula magni & fide digni scriptores prodiderunt. Demum ad finem vsq; mundi duratura miracula ex Apocalypsi manifestum est: vbi duo illi viri Enoch & Helias ad obsistendum conatibus Antichristi extraordinariè à Deo mittendi, cum potestate miraculorum describuntur. Apo. 11

Nunquam

Nunquam igitur Deus est sine miraculis, siue ad fidem hominibus persuadendam, siue postquam recepta est confirmandam, siue ad gloriam & omnipotentiam suam manifestandam, quæ maximè miraculis innotescit; siue ad sanctitatem seruorum suorum demonstrandam; siue ad beneficia extraordinaria hominibus conferenda, & alios plurimos qui esse possunt miraculorum fines.

Quare cùm Patres citati aiunt, miracula nunc cessasse, de ordinaria tantùm miraculorum effectione, non de extraordinaria loquuntur, quod ex eo patet: quia iidem Patres plurima suorum temporū miracula in suis libris recensent. Neq; enim his temporibus necesse est ordinariè miracula fieri ab Euangelij Prædicatoribus, sicuti in primitiua Ecclesia fiebat, quod id tum necessitas Euangelij inducendi exposceret: extraordinariè tamen Deus non cessat miraculis gloriam suam manifestare, & hominibus beneficia miraculose præstare. Non enim abbreuiata est manus Domini, nec fons bonitatis ipsius exaruit. Et licet ad fidem inducendam miracula iam necessaria non sint; sunt tamen necessaria ad confirmandam, & vt tam Dei, quàm fidei nostræ maiestas magis appareat, & propter alios fines iam dictos.

Vt ordinaria effectio miraculorum cessauerit, extraordinaria tamen semper est in Ecclesia.

Cùm igitur Chrysostomus ait *homil: 49. Operis imperfecti*, nunc signorum operatio penitus sublata est. de ordinaria signorum operatione; qualis fuit Christi & Apostolorum tempore, loquitur: extraordinaria verò facta miracula plurima ipsemet recenset de Angelis Missæ tempore apparentibus & Christum in altari venerantibus *6. de Sacerdotio libro.* de miraculis catenarum S. Petri & alijs. Similiter Gregorius Magnus *homilia: 29. in Euangelia* loquitur: *Nunquid fratres mei quia ista signa non facitis, minimè creditis? sed hæc necessaria in Ecclesiæ exordio fuerunt, vt multitudo ad fidem cresceret: quia & nos cum arbusta plantamus, tam diu eis aquam infundimus, quousque ea in terra coaluisse videamus: & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.* Hæc & de ordinaria patratione miraculorum à sancto Gregorio dicuntur, & respectu vnius tantùm finis, qui est fidei in mundum introductio. Alioqui si de extraordinarijs sermo sit, pleni sunt S. Gregorij libri, innumeris, quæ ipse recenset miraculis, suo tempore à Deo extraordinariè factis, vt vel ex ipsis quatuor Dialogorum libris perspicuum est.

Nihil igitur Sancti Patres causam Zaborouij iuuant, quominus teneatur ostendere miracula à suæ sectæ hominibus, quos tales esse certo constet; edita: nisi ostendat, non erit verus Euangelij minister. Nugatur enim cùm ait, nunc damnum potius allatura. Quis enim non videt miracula gloriam Dei amplificare, maiestatem fidei nostræ declarare, homines ad Dei admirationem & laudem commouere? hæccine igitur damna censeri possunt?

Subterfugia Zaborouij præcluduntur.

Inepto verò exemplo id declarare nititur. Puer, inquit, cùm ambulare nequit, vehiculo iuuatur, quod homini adulto est impedimento. scilicet adulto currus erit ad profectionem impedimentum. Non igitur pueri solùm, qui ambulare non possunt, vehiculo iuuantur, sed & adulti qui per se ambulare possunt, curru plurimum adiuuantur.

Zaborouius affirmat quæ nec ipse ex animo credere potest.

Sed lepidum aliud Zaborouij responsum audiamus, Omnes, inquit, illi qui miracula patrârunt, Euangelici fuerunt. O rem incredibilem quam nec orbis Christianus credit, nec vos ipsi Euangelici ex animo creditis! Nã & vester Luterus omnes Sanctos Patres, vt paulò ante ostendimus, cõdemnat & hæreticos facit, quod non faceret si Euangelici fuissent: & res ipsa loquitur Sanctos Patres tam in doctrina, quàm in moribus tantùm à vobis distare, quantum cœlum à terra. Illi fere omnes Sacerdotes fuerunt, plerique Monahi, Missas celebrârunt, & in Missa sacrificiũ Corporis & Sanguinis Domini Deo obtulerunt, Sãctos inuocârunt, pro mortuis orârunt, Purgatoriũ crediderunt, imagines venerati sunt. Quid horum vos creditis, aut facitis? Quomodo te Zaboroui non pudet tam impudenter asserere, in quo mendacij ab omnibus conuinci possis? Nam cùm Gregorium Thaumaturgum & sanctum Martinum vestros fuisse Euangelicos asseris: conuincet te Gregorius Nissenus, qui vitam Gregorij Thaumaturgi, & Seuerus Sulpitius qui S. Martini vitam conscripsit. Sanctum Martinum enim fuisse Monachum & Missæ sacrificium celebrasse, Sanctos inuocasse & coluisse, & cætera omnia more Catholico obseruasse disertè Sulpitius testatur. Si tales vestri Euangelici ante fuerunt, vos aut Monachi & Sacerdotes esse debebitis, aut cogemini fateri vos tales non esse, ac proinde immerito illos vestros vocare, cum quibus vos nil commune habetis. Libenter vos quidem alienis plumis conuestitis: at eis detractis, quæ nullo iure vobis competunt, mouebit cornicula risum. Non solùm enim Sancti illi Patres vestri non fuerunt, sed ne vnum quidem ex omnibus ante Luterum seculis proferre potestis, quem constet vestræ sectæ in omnibus fuisse.

Cornicula Æsopica.

Scriptura sola nihil euincunt Nouatores.

Non tenemur, inquit, miraculis fidem nostram confirmare. Scriptura enim sacra ad id negotij sola sufficit. Imò tenemini. Nam nec Christus sola Scriptura fuit contentus suam doctrinam probare, sed sine miraculis credi sibi noluit, & cùm totus mundus credat vos Euangelium contrarium Euangelio Christi & Apostolorum docere, & perperam Scripturas interpretari, hoc est proprio non ab Apostolis tradito sensu, tenemini miraculis & diuinis testimonijs Euangelium vestrum comprobare: alioqui demens sit qui à vobis tam incertis auctoribus fidem habeat. Asseritis vos quidem Sacram Scripturam intelligere, sed totus orbis Christianus vos falli & fallere

iudicat

iudicat, & vestras interpretationes dæmonis illusiones & dementationes esse pro certo habet. Nullum enim aliud argumentum pro vestra interpretatione affertis, quàm opinionem vestram, & quod ita vobis Scripturas cum Scripturis conferentibus videatur. Quæ ratio probandi omnibus hæreticis est communis, & si in vobis valere debet, in omnibus hæreticis valere debet. Ridiculè enim euadere vultis, cùm Arianos id dicere, sed non probare respondetis. Idem enim vobis Ariani & eodem iure obijciunt, cùm id nonnisi vestra opinione probare possitis, sicut & Ariani sua opinione suas interpretationes veras esse comprobant.

Confictum verò esse ait à Bolseco & Staphilo miraculum à Lutero & Caluino attentatum, quos autores ex mero liuore mendacissimos scriptores appellat, cùm ab omnibus probati scriptores habeantur, nec aliud illis obijci potest nisi quod illorum miracula detexerunt, & ridenda toti mundo proposuerunt. At Staphilo Zaborouius nunquam fidem detrahet, cùm & in cæteris omnibus probatæ fidei sit, & hoc quod de Lutero narrat, cum alijs plurimis testibus proprijs oculis vsurpârit. Ita igitur Fridericus Staphilus de hac re scribit.

Anno M. D. XLV. dæmoniaca quædam puella è Misniæ ditione adducta fuit Wittembergam ad Luterũ, ea spe quòd Luterus, ceu tertius Elias, puellam illam à malo dæmone liberaturus esset. Quamuis autem Lutherus ad hoc admirandum & magni momenti opus initio non parum difficilem se ostenderet, at tandem tamen iussit puellam duci in parochianæ Ecclesiæ Wittembergensis sacrarium, illicq; coram alijs plerisq; Doctoribus & eruditis viris (inter quos ego tum quoq; iuuenis Magister aderam) dæmonem cæpit adiurare & exorcizare, sed id tamen more suo, non eo qui apud Catholicos receptus & vsitatus est. Cum autem ille diu multumq; coniurasset Dæmonem, cedere ille noluit, sed eas in angustias, (sit venia verbo,) Lutheri caligas redegit, vt is quam primum è sacrario se proripere vellet. At quid accidit? Malignus ille Dæmon vsq; adeo fores sacrarij obstruxerat, vt neq; forinsecus neque intrinsecus aperiri possent. Quæ res Luterum in maiores etiam angustias adduxit, ita vt iam ad fenestram properaret, sperans per eam se posse effugere & exilire. Verum obstabant illi cancelli ferrei, sicque compulsus est vnà nobiscum tantisper inclusus hærere in sacrario, donec per cancellos ferreos, ab æditu valida nobis esset oblata securis, mihiq; ceu iuueni viro traditur, vt ea fores effringerem: quod equidem tum conatus sum, & ad effectum perduxi. Interea verò visu admirandum erat, vt Luterus angoribus correptus, sursum deorsùm cursitaret, atque instar ouis parturientis huc illucque sese inuerteret.

Luterus infelix Exorcista.

Porrò hoc miraculum Luteri, illi est perquam simile quod legimus Actor: 19. cùm quidam circumeuntes tentarent exorcisare dæmonem *per nomen* IESV, *quem Paulus prædicabat. Respondens autem spiritus nequam dixit eis: Iesum noui, & Paulum scio. Vos autem qui estis? Et insiliens homo in eos, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa.*

Caluinus etiam infelicior Thaumaturgus.

Simile miraculum Caluini qui ex viuo mortuum fecit, narrat Hieronymus Bolsecus in vita Caluini cap: 13. Præterire, inquit, non debeo, vafram eius & subtilem machinationem, qua tum vsus est, cum quendam, cui Bruleo nomen, & patria Octunum, in vitam reuocare cogitaret, moliretur que, vt sancti atque gloriosi Dei Prophetæ miraculorumque patratoris nomen sibi & famam pararet. Historia talis est. Is quem dixi Bruleus Octuno, Geneuam demigrarat, & cum inops esset, ipse & vxor eius Caluini gratiam aucupabantur, vt ei commendati peculi; pauperum fierent participes. Eis Caluinus vitæ subsidia benigne pollicetur, si ipsi contra, suam operam sibi non negarent ad rem quandam, quam per eos fieri vellet, sed opus esse fide & magna taciturnitate. Vicisim illi ad id quod iubere vellet, promptos se offerunt, & quemadmodum à Caluino instructus fuerat miser hic Bruleus morbum simulat. Ministri pro concione populo commendant, vt precibus iuuarent, & eleemosynis paupertati succurrerent. non diu post, personam mortui induit,& mortuum se simulat.

Hic Caluinus clam admonitus, quasi tum rerum omnium ignarus deambulatum prodit; sed comitatus magna caterua amicorum; postquam eo ventum esset, vbi clamores & eiulatus vxoris, quæ misellam & desolatam egregie exprimebant, exaudiret, quidnam hoc esset sciscitatus, domum ingreditur, vbi in genua ipse & reliqua caterua prouoluitur, precibusque alta voce profusis Deum obtestatur, potentiam suam ostendere & mortuo huic vitam restituere, gloriamque suam sic vniuerso populo declarare vellet, simulque manifestum facere se Caluinum peculiarem sibique gratum seruum esse, & à se ad Euangeli sui ministerij atque Ecclesiæ refomationem singulariter & verè vocatum. Post quas preces ad mortuum appropinquat miseri hominis manu apprehensa in Dei nomine imperat, vt se erigat; repetit iterum sæpiusq; eosdem sermones voce etiam altius eleuata. Quid fit? neque audit, neque loquitur, neque se commouet mortuus: iusto enim Dei iudicio, qui fucos mendaciaque detestatur, is qui se mortuum simulabat, verè esse mortuus, repertus est. Et vxor quicquid eum agitaret, quomodocunque impelleret, neque vocem extorquere, neque vt se commoueret efficere potuit; sed totus frigebat, rigebat totus.

Quo

Quo animaduerso, plorare, vlulatus serio edere & ex animo cœpit vxor, & in Caluinum inuecta, impostorem eum, sicarium, latronem, qui maritum interemisset, appellans, ex ordine rem quo modo erat gesta, clara clataque voce exposuit. Et addit idem author. Negent hoc quantum velint Caluini mancipia, exploratum & cognitum satis fuit, veritasque rei probata, imo per ipsammet vxorem confirmata. Certe rem tam publice actam & probatam, & quæ vxoris testimonio reuinci facile poterat, scriptis publicis euulgare etiam volenti mentiri, integrum non erat. At, inquit, qua ratione Luterus & Caluinus tentare miracula voluerunt, toties professi se suã doctrinam non teneri miraculis confimare. Verum non mirum illos miracula attentasse, cum satis frigidam illam de miraculis excusandis rationem esse apud omnes intelligerent.

Non potestis, inquit, nos miraculis vrgere, cum ipsi nulla faciatis. Possumus Zaboroui & vrgemus potentissime. Etenim duplicia pro nobis & contra vos miracula proferimus. Alia Sanctorum qui ante nos fuerunt, & eandem nobiscum doctrinam tenuerunt, & quod caput est, in attestatione eorum articulorum, quos vos negatis, miracula fecerunt. *Duplicis generis miraculis vrgentur aduersarij.*

Alia quæ nostri temporis & sæculi Catholici faciunt, vtraque sunt nostra, quia á nostræ religionis hominibus facta, & nostram fidem illustrant. Neque enim requiritur, vt singuli nostrûm miracula faciant, quod ne Apostolorum quidem tempore fuit; sed vt nostræ religionis & professionis homines faciant. Summa vero impudentia asserit Zaborouius, eos qui in Ecclesia miracula patrârunt, Euangelicos fuisse: quæ ex eo patet, quod Sancti illi non solùm vt dictum est, monasticam professionem (pleriq; saltem) coluerunt, Missæ sacrificium obtulerunt, Sanctos inuocârunt, imagines venerati sunt, verum Corpus Christi in Eucharistia crediderunt & adorârunt, pro mortuis orârunt, quæ omnia Euangelici abominantur & detestantur; sed etiam ad horum articulorum confirmandam veritatem miracula fecerunt innumera.

Sanctus Augustinus *22. de Ciuitate Dei cap: 8.* testatur Sacrificio Corporis Christi in domo á dæmonibus infestata oblato, omnem vexationem cessasse. Sanctus Chrysostomus in Missæ incruento sacrificio, Angelos circũstantes, & Christum in Eucharistia adorantes, non solùm ipse vidit, teste S. Nilo *in Epist: ad Anastasium*, sed etiam alios seruos Dei eadem visione á Deo honoratos fuisse commemorat *in lib: 6. de Sacerdotio*. D. Martino sacrificium offerente, globum igneum splendoris eximij super eum apparuisse, & manus eius eleuantis Eucharistiam, pretiosis margaritis ornatas publice conspectas fuisse, Seuerus Sulpitius *in eius vita* commemorat. S. Gregorius *Missæ sacrificium miraculis comprobatur.*

4. *Dialog:*

4. Dialog: cap: 55. Missæ sacrificio cuiusdam animam, quæ id postulans apparuerat, à purgatorio igne scribit liberatam. Etenim vt ait sanctus Augustinus *Serm: 34. de Verbis Apostol. Orationibus sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari.* (sicut dubitant Euangelici) *vt cùm ijs misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt, hoc enim à Patribus id est Apostolis traditum, vniuersa obseruat Ecclesia.* Augustini igitur iudicio ad Ecclesiam Apostolicam & Catholicam non pertinent Euangelici, quia ea nō obseruant, quæ vniuersa hactenus obseruauit Ecclesia.

Inuocatio quoque sanctorum. Innumera porro miracula facta commemorat Augustinus *22. de Ciuit: cap: 8.* ad inuocationem Sanctorum, ad sanctas eorum reliquias, in dæmonibus expulsis, in cæcis illuminatis, morbis curatis, mortuis suscitatis, quæ tot esse & tanta ait, vt libris comprehendi facilè non possint.

Imaginum cultus. De Sacrarum quoque imaginum miraculis plurima sunt, quæ tum à scriptoribus Ecclesiasticis, tum à Sanctis Patribus traduntur. Basilius filius Leonis Armeni ad imaginem sancti Gregorij Nazianzeni orans vocem exectione virilium amissam accepit, & ex Iconomacho cultor imaginum extitit, vt ex Curopalata & Cedreno constat. S. Ioanni Damasceno ad imaginem B. Virginis oranti manus abscissa sub Leone Isaurico restituta: vt refert Ioannes Hierosolymitanus *in vita ipsius* remanentibus in brachio ex vulnere lineolis.

Signum crucis. Quid? quòd signo crucis (quod Euangelici execrantur) plurima fecisse miracula Sancti leguntur? Refert Augustinus supra, fæminam quandam signo crucis à cancro liberatam. Testatur Sulpitius B. Martinum, Theodoretus in Philoteo Aphraatem; Palladius Isidorum & Beniamin *in vita ipsorum*; Gregorius Patriarcha Alexandrinus in vita S. Macarij, Macarium desperatos morbos signo crucis imposito expulisse. Ruffinus *lib: 1. cap: 25.* Iulianum Bistriensem Episcopum calcie ter signo crucis signato, venenum sine noxa bibisse. Gregorius Nissenus scribit S. Gregorium Nazianzenum dæmonum præstigias signo crucis dispulisse. Quin & Iulianus Apostata cum iamiam discerpendus esset à dæmonibus, signo crucis dæmones fugauit teste S. Gregorio Nazianzeno *Orat: 1. in Iulianum.*

Miracula domestica in Poloniæ Regno. Qua fronte igitur Zaborouius audet tales viros Euangelicos appellare, qui prorsus contraria doctrinæ Euangelicorum fecerunt, & contra doctrinā ipsorum tot miracula ediderunt? Nihil hìc commemoro antiquissima Poloniæ nostræ miracula, pro veritate & veneratione Corporis Christi in Eucharistia diuinitus edita, ad quorum miraculorum perpetuam memoriam templum alterum Casimiriæ ad Cracouiā Magnificentia Regis Casimiri II. Magni extructum, vt testatur Cromerus *lib: 12. de Reb: Polon.* Alterum Posnaniæ dictum

niæ dictum Corporis Christi apud Carmelitas, quod recenset Thomas Treterus in libro de hac re edito: vbi etiam plurima miracula quæ indies fiunt recensentur in varijs morbis sanatis, periculis auersis, dæmonibus expulsis, cæcis illuminatis, mortuis ad vitam reuocatis, quæ proculdubio Euangelicorum miracula non sunt, sed Euangelicorum errores euertentia.

Nihil dico de B. Virginis Częstochouianæ antiquissima imagine, à D. Luca Euangelista (vti perpetua traditione constat) depicta, ad quam quotidie tot patrantur miracula, vt numerum omnem excedant, totq; sunt eorum miraculorum testes, quot sunt ij qui diuina beneficia ad inuocationem B. Mariæ Virginis eo in loco consecuti sunt & consequuntur in dies: quæ negare nemo potest, nisi qui frontem ad omnia neganda quæ in mundo fiūt exporrectam habet; quiq; pari ratione negare posset Christum & Apostolos fuisse in rerum natura & ea ipsa quam habemus, Euangelia & Epistolas nequaquam ab Apostolis conscriptas, sed suppositicias esse. qua enim temeritate vnum negatur, negabuntur & omnia.

In Claro Mōte B. V. Imago.

Alterum genus miraculorum contra aduersarios proferimus ad nostra tempora, & nostri seculi homines spectans. Vix enim est vllus orbis terræ angulus, in quo Dominus miraculis suam diuinam potentiam in hominum beneficium non manifestet. In singulis enim prouincijs sunt multa templa miraculis insignia, inter quæ hæc præcipua numerantur. In Polonia nostra templum B. Virginis Częstochouiense. In Germania templum D. Virginis Hallensis & Sichomiensis, quorum historiam scripsit Iustus Lipsius. In Bauaria templum D. Virginis Oetinganum, In Heluetia templum S. Mariæ in eremo, In Italia templum Lauretanum, In Hispania S. Iacobi in Compostella & plurima alia: de quibus illud dici potest, quod Theodoretus de Basilicis seu templis Martyrum suo tempore, hoc est circa Annum Domini 430. scripsit, *lib. 8. de curandis Græcorum affectionibus.* *Neque verò*, inquit, *huc per annum semel aut bis aut quinquies aduentamus, sed in eis sæpenumero dies festos peragimus, sæpe diebus singulis eorum Martyrum Domino laudes hymnosque cantamus. Qui ij, homines prospera sunt valetudine, conseruari eam sibi à Martyribus petunt, qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, sanitatem exposcunt. Insuper & steriles viri & mulieres ibi filios petunt. Non, qui se ad Deos accedere arbitrantur, sed qui orent Dei Martyres tanquam diuinos homines intercessoresq; sibi eos apud Deum aduocent ac precentur. Piè verò fideliterque precatos, ea maximè consequi quæ desiderant, te stantur illa quæ votorum rei dona persoluunt, manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porrò manuum simulachra suspendunt, argento auroué confecta. Gratissimè namque,*

Miracula præsentis temporis in varijs Europæ templis.

Ccc accipit

accipit eorum Dominus qualiacunq; sunt dona, nec exigua nec vilia dedignatur, quippe qui ea proferentis facultate metitur.

Hæc itaq; omnium spectaculo exporrecta testantur morborum depulsionē, cuius ipsa certissima signa sunt, à sanitatem consecutis allata. Hæc, inquam, sepultorum ibi Martyrum quæ sit virtus ostendat; Martyrum autem virtus quē ipsi coluerunt Deum verum esse Deum declarant. Ita Theodoretus antiquissimus scriptor.

A varijs memoria nostra hominibus.

Eadem miracula in templis suis viuis, hoc est sanctis seruis suis exhibet Deus nostro hoc seculo, quæ recensent ij qui vitas horum Sanctorum cōscripserunt. Miracula sancti Caroli Boromæi describit Augustinus Valerius; B. Franciscæ Romanæ, Iulius Vrsinus; B. Ignatij Loiolæ, Petrus Ribadeneira; B. Francisci Xauerij, Horatius Turselinus; B. Aloysij Gonzagæ, Virgilius Cæparius; B. Stanislai Kostká, Franciscus Sachinus; Beatæ Teresæ Franciscus Ribera; Bernardini Reatini S. I. qui anno proxime elapso obijt, miraculis tam in vita, quàm post mortem editis plena est Italia. Quæ omnia & alia plurima scio te Zaboroui negaturum esse vera, ea solùm ratione, quòd illa tu proprijs oculis non videas, nec sentias, nec videri ab alijs velles, quod insanissimum est. Pari enim ratione, omnia quæ cæteri in mundo vident negaturus es, si tu solus ea non videas nec visa velles: nisi dicere malis ista esse miracula falsa, quòd tuis in fide opinionibus sunt contraria. Verùm inde non sequitur miracula esse falsa, sed tuas opiniones esse falsas. Nam etiā Euangelium Christi & Apostolorum erat opinionibus totius mundi contrarium; miracula tamen effecerunt, vt mundus totus opinionibus suis reiectis & condemnatis crederet Euangelio. Cur igitur idem in opinionibus vestris condemnandis, non efficiant miracula innumera, quæ à Deo patrantur: maximè cùm pro vestro Euangelio, vt à vobis docetur & intelligitur, nullum proferri possit miraculum?

Nouatores ne claudum quidem equū sanasse vnquam ait Erasmus.

Insulsum verò est quod obijcit, nos Lublini nulla miracula edere; quasi necesse sit quosuis & vbiuis locorum patrare miracula. Satis est ad vestros reuincendos errores, quod nostræ professionis & fidei homines ediderint, edantq; miracula innumera. Vestrum porrò Euangelium tam sterile & miserum est, vt ne vnum quidem miraculum à vobis proferri possit, & vt Erasmi verbis vtar, ne claudum quidem equum sanare possitis.

Insulsa & illa probatio, cùm ait nostros non verè expellere dæmones, quia ægros sanare non possunt: quasi necesse sit vt, cùm quis potestatem ad vnum aliquod miraculum à Deo accipit, omnia miracula efficere possit. Nostri igitur Sacerdotes etsi potestate ordinaria infirmos curandi careant: inde tamen minime sequitur, eos potestate expellendi dæmones carere: cùm Paulus dilertè

lus disertè dicat, Deum distribuere has gratias prout vult; non vni omnes, sed vni *gratiam sanitatum, alij operationem virtutum, alij genera linguarũ. 1. Cor: 12 6.*

Falsum est igitur & contra Scripturam quod ait Zaborouius, eandem potestatem & spiritum esse ad ægros sanandos, & dæmones expellendos: cùm Paulus diuersa hæc spiritus dona pronuntiet. At neque gratia curationum nobis deest, siue per manuum impositionem, siue per Sanctorum inuocationem & vota, siue per sacrarum Reliquiarum applicationem, quæ ego plurima eaque probatissima in Regno nostro enumerare possem, si historias scribere vellem. Vnam fide dignam tibi narro. piæ memoriæ Matthiam Pstrokonski Episcopum Cuiauiensem, & Regium Cancellarium in grauissimo quodam morbo admotis quibusdam Reliquijs B. Stanislai Kostcæ, illico & dolore liberatum, & sanitati restitutum fuisse. Cuius rei & grati pro accepto beneficio animi testimonium, ipsemet Romam ad B. sepulchrum misit tabellam cum literis fidei causa, iuramento, manu, & sigillo proprio munitis.

Non deest sanitatis gratia præsenti Ecclesiæ.

Iam cùm Francisci Xauerij miracula eleuat, ineptissimam sanè rationem affert, eò quod ipse Franciscus in suis literis, ea non descripserit. Hoc enim modo omnia Apostolorum miracula eleuare liceret, quod ea illi non conscripserint. Francisci verò miracula licet ab ipso scripta non sint (quod modestia Sanctorum facit, ne laudes suas ipsi prædicent) sunt tamen publicis tabulis consignata, ea certitudine & fide quæ in rebus humanis potest esse maxima. Cùm verò Acostam & Victoriam adducit negantes in conuersione Indorum extitisse miracula, non de ea conuersione isti locuti sunt, quæ per viros Apostolicos facta est, sed quæ primo ab Hispanis Indias armis occupantibus facta est. Si, inquit, vestri in India miracula edendi facultate pollerent; donum linguæ Indorum collatum sibi diuinitus haberent; cùm tamen linguæ Indorum sint prorsus ignari. Ineptissima ratio & contra Paulũ, donum linguarum distinguentem à virtute operationum. *Nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? 1. Cor: 12. 30.*

Cur B. Xauerius de suis miraculis nihil scripserit.

Asserit suos Euangelicos tam fidei Apostolicæ, quàm miraculorum hæredes esse. At huic assertioni totus mundus non credit; nec eam Euangelici aliter probant, nisi proprio testimonio; quòd ita illis scripta Apostolica intelligenda videantur, etiamsi contrarius sit totius Ecclesiæ, & SS. Patrum sensus & consensus. Nonne eodem argumento Ariani probant se homines Apostolicos? nunquid illis credunt Caluinistæ? Nam quod dicunt Arianos tantùm dicere non probare, hoc idem Ariani dicere possunt Caluinistis, cùm vtrique sua opinione videantur sibi & dicere & probare.

Ariani & Caluiniani eodem gladio depugnant.

Perinde ac si quis dicat Zaborouius fingit se viuere, non viuit re vera.

Ait Pontificiorum Miracula in rei veritate esse nulla sed ficta. At qui ficta dici possunt, si ea fide & certitudine, quæ in rebus humanis esse solet maxima, examinata & tabulis publicis consignata habentur? Si grauissimos & Sāctissimos viros autores & narratores habent? si effectu ipso & beneficiis re ipsa à Deo obtentis cōfirmantur tot testibus, quot ij sunt qui miraculose diuina beneficia consequuntur? Summa certè temeritas est, talia ficta vocare quæ ijs testimonijs comprobantur, quibus in mundo maiora dari nō possunt. Nam hoc etiā modo, Christi quoq; & Apostolorū miracula ficta dicere possunt. Nam quod aiunt Pontificijs miraculis euerti Euangelium, verum est, si de Euangelio Luteri & Caluini intelligatur, non de Euangelio Christi: Euangelium enim Christi est ferax miraculorum, nec vnquam fuit aut erit sine miraculis: Luteri verò Euangelium frigidum est ac sterile, nec vnum quidem miraculum parere ex se potest. Qui verò credibile est, vt Euangelium innumeris confirmatum miraculis omnibus seculis in omnibus Prouincijs, non sit Christi Euangelium; illud verò habeatur pro Christi Euangelio, quod nulla vnquam miracula & testimonia habuit? maximè cùm talia miracula proferamus, quæ pro Missa, pro Purgatorio, pro Sanctorum inuocatione, cultu reliquiarum, & cæteris repugnantibus Luteri Euangelio articulis edita sunt. Qualia inter cætera fuerunt illa S. Bernardi contra hæresim Henrici Apostatæ edita, qui ridebat orationes oblationesq; pro mortuis, Sanctorum inuocationes, Sacerdotum excommunicationes, fidelium peregrinationes, basilicarum ædificationes, dierum solemniū vacationes, Chrismatis & olei consecrationes.

Tam Scripturis quàm miraculis oppugnat Ecclesia Hæreticos.

Sanctus Bernardus enim signo crucis panes benedixit. & *In hoc*, inquit, *sciatis vera esse quæ à nobis; falsa quæ ab hæreticis suadentur, si infirmi gustatis panibus istis, adepti fuerint sospitatem: vt veros nos & veraces Dei nuncios esse cognoscant.* Vnde ingens multitudo ægrorum, gustato eodem pane conualuit, & innumeri sanati sunt vt refertur. in vita eius *lib: 5. cap: 5.*

Scripturis ait, non miraculis agendum. At Christus & Apostoli, non Scripturis modo, sed & miraculis egerunt, vt se veros Scripturæ interpretes probarent: alioqui fidem sibi adhiberi nolebant. Cur idem vos quoque facere non tenemini? nos enim tam Scripturis quàm miraculis contra vos exemplo Christi & Apostolorum agimus. Neque enim Scripturæ sufficiunt, cùm de illarum sensu & interpretatione controuersia est, ita vt idcirco Christus ad Scripturas miracula adhibuerit. Quis enim credat, sine miraculis Luterū contra communem Ecclesiæ sensum, Scripturas verè interpretari?

Miracula, inquit, ex Scripturis examinanda sunt. At si id intelligatur de Scripturis, quarum sensus est certus & indubitatus, fateor ex talibus Scri-

pturis de miraculis iudicari posse. Si enim certò constat esse Scripturis contraria, minimè dubitandum est ea esse falsa: At si de Scripturis, de quarum sensu controuersia est, agatur; quasque quilibet pro sua opinione sic vel sic interpretatur, non potest ex talibus Scripturis de miraculis iudicari: hoc enim esset ex incerto certum, & ex opinione cuiusque, quam quis de Scripturarum sensu habet, iudicare. Ita verò Euangelicis accidit. Dum enim Scripturas sua opinione dementati pessime interpretantur, contra communem Sanctorum & Ecclesiæ sensum; volunt ex Scripturis à se male intellectis, de nostris miraculis iudicare, cum certiora sint nostra miracula quàm illorum expositiones & interpretationes Scripturæ. Postquam verò de Scripturarũ sensu semel constiterit vel ex traditione Apostolica, vel ex definitione Ecclesiæ, vel ex miraculis ad eum sensum confirmandum factis, licebit tunc de miraculis contrarijs iudicare: siquidem veris miraculis, & fidei à Deo miraculis confirmatæ repugnant. Hoc autem modo soli Catholici possunt de miraculis contrarijs fidei iudicare: quia soli de sensu Scripturarum fidei certitudinem diuinis miraculis confirmatam habent; Hæretici verò tantum opinionem. Merito igitur S. Augustinus, *lib: de Vnitate Ecclesiæ cap: 6.* Donati mirabilia falsa fuisse pronunciauit, quòd essent fidei Catholicæ, quam certum est innumeris miraculis confirmatam, contraria.

Ex incerto certum probari nequit.

Quando ex Scriptura de miraculis iudicandum.

Addo si Euangelici ex Scripturis de miraculis iudicare volent necesse est vt iudicent eam Religionem, quæ est miraculis omnibus destituta, esse falsam: siquidem Scripturæ docent eos qui ritè in Christum credunt & credituri sunt, miracula patraturos, Christo id promittente illis verbis Ioan. 14. 12. *Et maiora horum facient:* vti reipsa nunquam in Ecclesia Dei cessarunt miracula. Quod quia non apud illos, sed apud nos reperitur; tenentur pro veritate religionis nostræ & contra se secundũ Scripturas sententiam ferre.

Hæretici, inquit, vera miracula facere possunt, teste Maldonato *in cap: 7. Matth:* Esto. Nam & falsi Prophetæ die iudicij dicent: Nonnè in nomine tuo dæmonia eiecimus? Et Balaam gentilis, verè prophetauit. Et asina Balaam verè locuta est. Et Iulianus Apostata cum à Dæmonibus discerpendus esset, signo crucis facto dæmones repulit, Greg: Nazian: teste, *Orat: 1. in Iulian.* Verum cum contingit Hæreticos Dei virtute aliquod miraculũ edere, quod tamen contingit rarissimè (sicut & Asinam loqui rarò contingit) id non ad suam malam fidem sed ad fidem Ecclesiæ Catholicæ confirmandam vel ad aliud quodpiam bonum eiusdem Ecclesiæ editur. Nam & Balaam in vtilitatem populi Dei locutus est, & Iulianus fidem Catholicam de virtute signi sanctæ crucis confirmauit. Nunquam verò Hæretici pro sua fide vlla miracula vera fecerunt, nisi dæmonum præstigijs, vti Donatistæ,

Qualia Hæretici facere possint miracula.

Mirabilarij ab August: dicti, & talia quæ etiam opera dæmonum & virtute creata fieri possunt. Atq; hoc est quod dicimus, Hæreticos vera miracula pro sua fide facere non posse.

Nihil igitur hoc officit Ecclesiæ Catholicæ, quòd etiam ab Hæreticis aliquando sint facta miracula. Nam Ecclesiæ Catholicæ reliquit Deus generalem potestatem faciendi miracula: ita vt in nulla communitate præter Ecclesiam Catholicam ordinarie fiant, ac proinde rectè ex continuo miraculorum vsu, vera Ecclesia cognoscitur. Hæreticis verò nonnisi rarissime (vti & asinæ Balaam) contigit aliquod miraculum. idque tale quod ad dogma Catholicum, non ad fidem Hæreticam confirmandam editur. Nam & Caiphas homo impius cùm esset Pontifex anni illius, de Christi morte prophetauit. Et cum discipuli dicerent ad Iesum Mar: 9. 27. *Magister vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum. Iesus autem ait: Nolite prohibere eum. Nemo enim qui faciat virtutem in nomine meo, & possit citò loqui malè de me:* ac si diceret; non potest facile videndo meam virtutem in miraculis patrandis contra me loqui, & impedire fidem aliorum in me, quin potius eam promoturus est.

Falsa miracula haud difficilè deprehēdi possunt.

Porrò quod ad falsa miracula attinet, quæ tum ab Antichristo, tum à falsis Prophetis futura in Scriptura prædicuntur; diuina prouidentia facit, vt tali modo, cum talibus circunstantijs fiant; vt non difficile falsa esse deprehendi possint, non solum ab electis, sed etiam ab alijs. Non patitur enim nos tentari supra id quod possumus, Quare si qui decipiuntur, inexcusabiles sunt cum mendacio credunt, quod poterant si animum bene aduertere nt, deprehendere.

Hæc regula Catholicis seruit, non Hæreticis.

Dat porrò Zaborouius regulam cognoscendi falsa miracula ex *Deut: 13. v. 1. Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium se vidisse dicat, & prædixerit signum atque portentum & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi Eamus & sequamur Deos alienos (quos ignoras) & seruiamus eis, non audies verba Prophetæ illius, quia tentat vos Dominus, vt palam fiat vtrum diligatis eum an non?* Hanc igitur regulam si fideles secuti fuerint nūquam à miraculis se decipi patientur. Verùm Zaborouius non aduertit hanc regulam proponi de ea tantum doctrina, ob miraculum non deserenda, quā certo constat à Deo esse traditam, ac diuino & miraculorum testimonio ante comprobatam; qualis erat illa doctrina de non sequendis Dijs alienis: talem enim doctrinam semel receptam ob nulla quæ fieri possunt miracula deserendam ait: non verò de doctrinis controuersis. in his enim locus miraculis & diuinis testimonijs datur. Quæ enim humano ingenio & viribus assequi non possumus; cur diuinum auxilium aut testimonium contemnamus?

Deinde

Deinde ea regula vti optimè seruit Catholicis, ita Hæreticis minimè. Catholici enim doctrinam suam vti ab ipsis intelligitur & docetur, habent infinitis miraculis & omnium seculorum vsu comprobatam. Quocirca ab illa propter nulla hæreticorum miracula (si quæ facerent) recedere debent aut possunt. Hæretici verò cùm doctrinam suam, vti ab illis docetur, nondũ habeant vllo diuino testimonio aut miraculo, sed tantùm opinione sua comprobatã, non possunt esse certi, eam esse diuinam, ac proinde non esse ab ea tanquam à diuina ob vlla miracula recedendum. Quamuis enim iactent suã doctrinam esse Apostolicam, & Apostolicis miraculis confirmatam, quod idem & Ariani, & omnes alij Hæretici faciunt: tamen id asserunt suo tantùm hoc est opinionis propriæ testimonio, quod illis eo sensu Apostolos Scripturas intellexisse & exposuisse videantur; & vt diuersa sunt capita, ita diuersas de Apostolico sensu opiniones habent. Non possunt ergo hac regula vti, sed miraculis & diuinis testimonijs locum necessariò dare debere conuincuntur. Hocq; est quod in Nodo Gordio scripsi Catholicos miracula non requirere, siquidem pro ipsorum doctrina, vt ab ipsis intelligitur, infinita facta sunt miracula. Hæreticos verò ad suam doctrinam probandam egere miraculis, cùm ea doctrina vt ab illis docetur, non sit vllis miraculis confirmata. Frustra verò se torquet Zaborouius dicens pro Catholica non pro Pontificia doctrina esse facta miracula. Luce enim clarius est illos miraculorum effectores Sacerdotes vel Monachos fuisse, Missæ sacrificium obtulisse, tam pro viuis quàm pro defunctis, Sanctos inuocasse, & omnia cum Pontificijs sensisse & fecisse, contra quam Euangelici sentiunt & faciunt.

Ex animo, inquit, & candidè cum nostris auditoribus agimus, quòd nõ à miraculis, sed à solo verbo Dei scripto pendere volumus. Istum animũ Zaborouí ob desperationem miraculorum induitis; quæ si ad vos quocunq; modo attrahere possetis, aliam cantilenam occineretis. Hic porro animus vester licet ex vna parte candidus sit, quod fateamini id quod in re est, vos omnibus miraculis destitutos; ex altera tamen parte ater est, cùm Ecclesiam dote miraculorum priuatis, quàm illi perpetuis temporibus Christus communicauit, constituendo *Primùm in ea Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, gratiam linguarum, interpretationem sermonum. 1. Cor: 12. 28.* quam Ecclesiæ constitutionem repetit Paulus *ad Ephes: 4. 11.* & ait duraturã ad finem vsque mundi, cùm perficietur ædificatio Corporis Christi ex fidelibus, quæ sunt huius corporis membra. *Candor ater Zaborouij.*

Multò verò atriores estis, cùm solam Scripturam vestro priuato sensu expositam, pro regula fidei vestris traditis, cum maxima fidei iactura & ani-

marum damno. Ea siquidem regula est errandi non credendi, & fidem a-mittendi, non acquirendi. Cùm vero verbis Chrysostomi dicitis vos sæpius alloqui vestros auditores ex *homil: 22 in Ioannem.* Si fidelis es vt oportet, si Christum diligis vt diligendus est, miraculis non indiges: signa enim incredulis dantur: ea S. Doctoris verba docere vos deberent, nonnisi ea conditione vos miraculis non egere, si fideles sitis vt oportet. At cùm de vestra fide dubitet vniuersus mundus, imò vos etiam ipsi, qui in sectas alias atq; alias perpetuò commutamini, à Luteranis ad Caluinistas & Arianos deficientes, & solidam conscientiæ & fidei pacem non habentes; quis non videt, vos certo fideles (nisi opinione vestra) non esse, ac proinde miraculis ad fidem ducentibus maximè indigere, quæ in Ecclesia Catholica in maxima copia inuenire, si voletis, præiudicata opinione deposita, potestis.

Luterani S. Augustino iudice, magnũ mundi prodigium.

Testimonium etiam Augustini ex *lib: 22. de Ciuit: c. 8.* non minus vos vrget cùm is ait: Quisquis adhuc prodigia vt credat quærit, ipse est magnũ mundi prodigium; qui mundo credente non credit. Vos enim Euangelici, Augustino iudice, estis magnum mundi prodigium, qui quod mundus vniuersus credit, vos soli non creditis, & toti mundo vos opponitis. Aut enim mundus (vt argumentatur Augustinus) incredibilia credidit, aut credibilia. Si credibilia: cur ea non creditis? si incredibilia, hoc ipsum est miraculorũ maximum, quòd ea cùm incredibilia essent, mundus totus ab Apostolis edoctus crediderit. Non potest verò id nisi in diuinam virtutem referri. Vnde vos cùm ea non creditis, estis magnum mundi prodigium. Solus enim Luterus erat ab initio sui noui Euangelij, & totus mundus contrariam doctrinã credebat & sequebatur, ipseq; se toti mundo summa temeritate opposuit.

Non possum verò consuetam Zaborouij falsificandi consuetudinem etiam in hoc testimonio Augustini non detegere. Addit enim ad verba Augustini illa verba, Antiqua miracula, quæ vbique recitantur & memoriæ populorum inhærent, sufficiunt: cùm Augustinus non dicat antiqua sufficere, sed

F. in Canone Scripturarum vbiq; recitari & memoriæ populorum inhærere; & ideò illustriora esse quàm noua, quæ non vbiq; sciuntur. Nam ibidem dicit: nunc etiam *fieri miracula in eius nomine, siue per Sacramenta eius, siue per orationes vel memorias Sanctorum eius, sed non tanta claritate illustrantur, vt tanta quanta illa gloria diffamentur.* Falsò igitur & contra mentem Augustini addidit antiqua miracula sufficere, cùm Augustinus, non solùm non dicat sufficere; sed etiam præter illa esse plurima alia miracula quæ ibi recenset. Vt verò magis tam nostra veritas, quàm aduersariorum in Sanctorum miraculis sibi arrogandis impudentia pateat, describam mox ex lib: 22. de Ciuitate Dei Caput octauum, ex quo luce clarius miraculorum maiestas, quæ pro fide Catholica facta sunt, apparebit.

Non est autem verum quod vltimò addit Zaborouius, fidem ipsorum non miraculorum, sed operum bonorum fæcundam & feracem esse: singulareq; miraculum esse, mores cum fide congruentes. Hoc enim & improprie dicitur miraculum cùm miracula sola Dei virtute præter naturæ ordinẽ fiant: & in Euangelicos nullo modo conuenit. Illi enim secundùm doctrinam suam, nulla habent opera verè bona; cùm omnia opera quantumuis perfecta, dicant esse peccata, & iustum in omni opere bono peccare. Non igitur operum bonorum, sed malorum fæcunda & ferax est ipsorum fides.

CAPVT XXVI.

De Miraculis pro Religione Catholica factis Sancti Augustini Vigesimo secundo de Ciuitate Dei, Capite octauo, testimonium.

Cur, inquiunt, nunc illa miracula quæ prædicatis facta esse, non fiunt? Possem quidem dicere necessaria fuisse priusquam crederet mundus, ad hoc vt crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia, vt credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit. Verùm hoc ideò dicunt, vt nec tunc illa miracula facta fuisse credantur. Vnde ergo tanta fide Christus vsquequaq; cantatur in cœlum cum carne sublatus? vnde temporibus eruditis, & omne quod fieri non potest respuentibus, sine vllis miraculis nimiũ mirabiliter incredibilia credidit mundus? An forte credibilia fuisse, & ideò credita esse dicturi sunt? Cur ergo ipsi non credunt? Breuis est igitur nostra complexio; aut incredibilis rei quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ tamen fiebant & videbantur, fecerunt fidem; aut certè res credibilis vt nullis quibus persuaderetur miraculis indigeret, istorum nimiam redarguit infidelitatem. Hoc ad refellendos vanissimos dixerim. Nam facta esse multa miracula, quæ attestarentur illi vni grandi salubriq; miraculo, quo Christus in cœlum cum carne in qua resurrexit, ascendit; negare non possumus. In eisdem quippe veracissimis libris cuncta conscripta sunt; & quæ facta sunt, & propter quod credendum facta sunt. Hæc vt fidem facerent innotuerunt, hæc per fidem quam fecerunt, multo clarius innotescunt. Leguntur quippe in populis vt credantur; nec in populis tamen, nisi credita legerentur. Nam etiam nunc fiunt miracula in eius nomine, siue per Sacramenta eius, siue per orationes, vel memorias

Miracula per Sacramenta & memorias Sanctorum.

morias Sanctorum eius sed non eadem claritate illustrantur, vt tanta quantæ illa gloria diffamentur. Canon quippe Sacrarum literarum quem diffamatum esse oportebat, illa facit vbique recitari & memoriæ cunctorum inhærere populorum: hæc autem vbicunque fiunt ibi sciuntur; vix a tota ipsa ciuitate, vel quocunq; commanentium loco. Nam plerumq; etiam ibi paucissimi sciunt, ignorantibus cæteris, maximè si magna sit ciuitas; & quando alibi alijsq; narrantur, non tanta ea commendat auctoritas, vt sine difficultate, vel dubitatione credantur, quamuis Christianis fidelibus à fidelibus indicentur.

Cœcus illuminatur ad corpora Martyrum.

Miraculum quod Mediolani factum est cùm illic essemus, quando illuminatus est cæcus, ad multorum notitiam potuit peruenire, quia & grandis est ciuitas, & ibi erat tunc Imperator, & immenso populo teste res gesta est concurrente ad corpora Martyrum Protasij & Geruasij. Quæ cùm laterent & penitus nesciretur Episcopo Ambrosio per somnum reuelata, reperta sunt; vbi cæcus ille depulsis veteribus tenebris diem vidit.

Innocentius exaduocatus Vicariæ Præfecturæ fistulæ morbo laborans.

Apud Carthaginem autem quis nouit, præter admodum paucissimos, salutem, quæ facta est Innocentio exaduocato vicariæ præfecturæ, vbi nos interfuimus & oculis aspeximus nostris? Venientes enim de transmarinis, me & fratrem meum Alipium, nondum quidem Clericos, sed iam Deo seruientes, vt erat cùm tota domo sua religiosissimus ipse susceperat, & apud eũ tunc habitabamus. Curabatur à medicis propter fistulas, quas numerosas atq; perplexas habuit in posteriore atque ima corporis parte. Iam secuerant eum, & artis suæ cætera medicamentis agebant. Passus autem fuerat in sectione illa & diuturnos & acerbos dolores. Sed vnus inter multos sinus fefellerat medicos, atque ita latuerat, vt eum non tangerent, quem ferro aperire debuerant. Denique sanatis omnibus quæ aperta curabant, iste remanserat solus, cui frustra impendebatur labor. Quas moras ille suspectas habens, multumq; formidans ne iterum secaretur, quod ei prædixerat alius medicus domesticus eius, quem non admiserant illi, vt saltem videret, cùm primùm sectus est, quomodo id facerent, iratusq; illum domo abijecerat, vixque receperat, erupit, atque ait: Iterum me secturi estis? Ad illius quem noluistis esse præsentem verba venturus sum? Irridere illi medicum imperitum, metumq; hominis bonis verbis promissionibusq; lenire. Prætererunt & alij dies plurimi, nihilq; proficiebat omne, quod fiebat. Medici tamen in sua pollicitatione persistebant, non se illũ sinum ferro, sed medicamentis esse clausuros. Adhibuerunt & alium grandæuum iam medicum, satisq; in illa arte laudatum, adhuc enim viuebat, Ammonium, qui loco inspecto, idem quod illi eorum diligentia peritiaq; promisit. Cuius ille factus auctoritate securus, domestico suo medico, qui futuram prædixerat

xerat aliã sectionẽ faceta hilaritate, velut iã saluus illusit. Quid plura? Postea tot dies inaniter consumpti transierunt, vt fessi atque confusi faterentur eum nisi ferro nullomodo posse sanari. Expauit, expalluit nimio timore turbatus, atque vbi se collegit, farić potuit: abire illos iussit. & ad se amplius non accedere, nec aliud occurrit fatigato lachrymis, & illa iam necessitate constricto, nisi vt adhiberet Alexandrinum quendam, qui tunc hirurgus mirabilis habebatur, vt ipse faceret, quod ab illis fieri nolebat iratus. Sed posteaquam venit ille, laboremq́ illorum in cicatricibus sicut artifex vidit, boni viri functus officio, persuasit homini, vt illi potius qui in eo tantùm laborauerant, quantum ipse inspiciens mirabatur, curationis suæ fine fruerentur, adijciens quod reuera nisi sectus esset, saluus esse non posset: valde abhorrere à suis moribus, vt hominibus quorum artificiosissimam operam, industriam, diligentiam admirans in cicatricibus eius videret, propter exiguum quod remansit, palmam tanti laboris auferret. Redditi sunt animo eius, & placuit vt eodem Alexandrino assistente ipsi sinum illum ferro, qui iam consensu omnium aliter insanabilis putabatur, aperirent. Quæ res dilata est in consequentem diem. Sed cùm abijssent illi, ex mærore nimio Domini tantus est in domo illa exortus dolor, vt tanquam funeris planctus vix comprimeretur à nobis. Visitabant eum quotidie sancti viri Episcopus tunc Vzalensis beatæ memoriæ Saturninus, & presbyter Gelosius, ac Diaconi Carthaginensis Ecclesiæ. In quibus erat & ex quibus solus est nunc in rebus humanis iam Episcopus cum honore à nobis debito nominandus, Aurelius, cùm quo recordantes mirabilia opera Dei, de hac re sæpe collocuti sumus, eumq́ valde meminisse, quod commemoramus inuenimus. Qui cùm eum sicut solebant vespere visitarent, rogauit eos miserabilibus lachrymis vt mane dignarentur esse præsentes suo funeri potiùs quàm dolori. Tãtus enim eum metus ex prioribus inuaserat pœnis, vt se inter medicorum manus non dubitaret esse moriturum. Consolati sunt eũ illi & hortati, vt in Deo fideret, eiusque voluntatem viriliter ferret. Inde ad orationem ingressi sumus. Vbi nobis ex more genua figentibus atq́ incumbentibus terræ, ille se ita proiecit, tanquã fuisset aliquo impellente grauiter prostratus, & cœpit orare. Quibus modis, quo affectu, quo motu animi, quo fluuio lachrymarum, quibus gemitibus atque singultibus succutientibus omnia membra eius, & penè intercludentibus spiritum, quis vllis explicet verbis? Vtrum orarent alij, nec in hæc eorum auerteretur intentio, nesciebam. Ego tamen prorsus orare nil poteram, hoc tantummodo breuiter in corde meo dixi: Domine quas tuorum preces exaudis, si has non exaudis? Nihil enim mihi videbatur addi iam posse, nisi vt expiraret orando. Surreximus, & accepta ab Episcopo benedictione discessimus; rogante illo vt mane adessent, illisq́ vt æquo animo esset hortantibus. Illuxit dies

Malè à medicis curatus

Oratione sanatur.

qui metuebatur, aderant serui Dei, sicut se affuturos esse promiserant. Ingressi sunt medici, parantur omnia quæ hora illa poscebat, tremenda ferramenta proferuntur, attonitis suspensisq; omnibus. Eis autem quorum erat maior auctoritas defectum animi eius consolando erigentibus, ad manus secturi membra in lectulo componuntur, soluuntur nodi ligamentorum, nudatur locus, inspicit medicus, & secandum illum sinum armatus atque intentus inquirit. Scrutatur oculis, digitisq; contrectat. Tentat deniq; modis omnibus, inuenit firmissimam cicatricem. Iam illa lætitia & laus atque gratiarum actio misericordi & omnipotenti Deo, quæ fusa est ore omnium lachrymantibus gaudijs, non est committenda meis verbis: cogitetur potiùs quàm dicatur.

Innocentia Carthaginensis primaria matrona à cancro signo crucis sanata.

IN eadem Carthagine Innocentia religiosissima fæmina de primarijs ipsius ciuitatis, in mamilla cancrum habebat: rem sicut medici dicunt nullis medicamentis sanabilem. Aut ergo præscindi solet, & à corpore separari membrũ vbi nascitur: aut vt aliquanto homo diutius viuat, nam inde mortem quantumlibet tardius affuturam, secundùm Hippocratis, vt fertur sentẽtiam, omnis est omittenda curatio. Hoc illa à perito medico, & suæ domui familiarissimo acceperat, & ad solum Deum se orando conuerterat. Admonetur in somnis appropinquante Pascha, vt in parte fæminarum obseruanti ad baptisterium, quæcũque illi baptizata primitus occurrisset, eundem locum signo Christi signaret: fecit, & confestim sanitas secuta est. Medicus sanè qui ei dixerat, vt nihil curationis adhiberet si paulo diutius vellet viuere, cùm inspexisset eam postea & sanissimam comperisset, quam prius habere illud malum tali inspectione cognouerat, quæsiuit ab ea vehementer quid adhibuisset curationis, cupiens quantũ intelligi datur nosse medicamentũ, quo Hippocratis definitio vinceretur. Cùmque ab ea quid factum esset audisset, voce velut contemnentis & vultu, ita vt illa metueret ne aliquod contumeliosum verbum proferret in Christum, religiosa vrbanitate respondisse fertur, putabam, inquit, magnum aliquid te mihi fuisse dicturam. Atque illa iam exhorrescente mox addidit: Quid grande fecit Christus sanare cancrum, qui quatriduanum mortuum suscitauit? Hoc ergo cùm audissem & vehementer stomacharer in illa ciuitate atque in illa persona, non vtique obscura, factum tam ingens miraculum sic latere, hinc eam & admonendam & penè obiurgandam putaui. Quæ cùm mihi respondisset nõ se inde tacuisse, quæsiui ab eis quas forte tunc matronas amicissimas secum habebat, vtrum hoc antea scissent. Responderunt se omninò nescisse. Ecce inquã quomodo non taces, vt nec istæ audiant, quæ tibi tanta familiaritate iunguntur? Et quia breuiter ab ea quæsiueram, feci vt illis audientibus multumque mirantibus & glorificantibus Deum, totum ex ordine quemadmodum gestum fuerit, indicaret.

Signũ Christi.

Medicum

Medicum quendam podagricum in eadem vrbe, qui cùm dedisset nomen ad baptismum, & pridie quàm baptizaretur, in somnis à pueris nigris cirratis, quos intelligebat dæmones esse, baptizari eodem anno prohibitus fuisset, eisq; non obtemperans, etiam conculcantibus pedes eius in dolorem acerrimum qualem nunquam expertus fuisset, magisq; eos vincens lauacro regenerationis, vt vouerat ablui non distulisset, in baptismate ipso non solùm dolore, quo vltra solitum cruciabatur, verumetiam podagra caruisse, nec amplius cùm diu postea vixisset pedes doluisse quis nouit? Nos tamen nouimus, & paucissimi fratres ad quos id potuit peruenire è vicino.

Per Baptismum sanitas podagræ Medici.

Quidam Curubitanus non solùm à paralysi verumetiam ab informi pondere genitalium cùm baptizaretur saluus effectus est, & liberatus vtraq; molestia, tanquam mali nihil habuisset in corpore de fonte regenerationis ascendit. Quis hoc præter Curubim nouit, & præter rarissimos aliquos qui hoc vbicunque audire potuerunt? Nos autem cùm hoc comperissemus iubente sancto Episcopo Aurelio, etiam vt venirent Carthaginem fecimus: quamuis à talibus prius audierimus de quorum fide dubitare non possemus.

Alius itidem baptismo à paralysi & hernia curatus.

Vir Tribunitius Hesperius qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, vbi cùm afflictione animalium & seruorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros me absente presbyteros, vt aliquis eorum illo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium Corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante, cessauit. Acceperat autem ab amico suo terram sanctam de Ierosolymis allatam, vbi sepultus Christus, die tertio resurrexit: eamque suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur. At vbi domus eius ab illa infestatione purgata est, quid de illa terra fieret, cogitabat: quam diutius in cubiculo suo reuerentiæ causa habere nolebat. Forte accidit, vt ego, & collega tunc meus Episcopus Synicensis Ecclesiæ Maximinus, in proximo essemus: vt veniremus rogauit, & venimus. Cùmque nobis omnia retulisset, etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret: vbi etiam possent Christiani ad celebranda quæ Dei sunt, congregari. Non restitimus, factum est. Erat ibi iuuenis paralyticus rusticanus, qui hoc audito petiuit à parentibus suis, vt illum ad eum locum sanctum non cunctanter afferrent. Quo cùm fuisset allatus, orauit: atque inde continuo pedibus suis saluus abscessit.

Per sacrificium Missæ domus ab infestationibus dæmonum liberata.

Miraculum terræ sanctæ.

VIctoriana villa dicitur, quæ ab Hippone Regio minus triginta millibus abest. Memoria Martyrum ibi est Mediolanensium, Geruasij & Protasij: portatus est die eo quidam adolescens, qui cùm die medio tempore æstatis equum ablueret in fluminis gurgite, dæmonem incurrit. Ibi cùm iaceret, vel morti proximus, vel simillimus mortuo: ad vespertinos illuc hymnos & orationes cum ancillis suis, & quibusdam sanctimonialibus ex more Domina possessionis intrauit: atque hymnos cantare cœperunt. Qua voce ille quasi percussus, excussus est: & cùm terribili fremitu altare apprehensum mouere non audens siue non valens, tanquam eo fuerit alligatus aut fixus, tenebat: & cùm grandi eiulatu parci sibi rogans confitebatur, vbi Adolescentem & quando & quomodo inuaserit. Postremo se exiturum esse denuntians, membra eius singula nominabat, quæ se amputaturum exiens minabatur: atque inter hæc verba discessit ab homine. Sed oculus eius in maxillam fusus tenui venula ab interiori quasi radice pendebat, totumq; eius medium quod nigellum fuerat, albicabat. Quo viso, qui aderant, concurrerant autem etiam alij, vocibus eius acciti & se omnes in orationem pro illo strauerunt: quamuis eum sana mente stare gauderent, rursus tamẽ propter oculũ eius contristati, medicũ quærendum esse dicebant. Ibi maritus sororis eius, qui eum illo detulerat: potens est, inquit, Deus Sanctorum orationibus, qui fugauit dæmonem lumen ei reddere. Tunc sicut potuit oculum lapsum atque pendentem, loco suo reuocatum ligauit orario: nec nisi post septem dies putauit esse soluendum. Quod cùm fecisset, sanissimum inuenit. Sanati sunt illic & alij: de quibus dicere longum est.

Altaris vsus.

Adolescens à dæmone liberatus oculum recuperat.

HIpponensem quandam virginem scio, cùm se oleo perunxisset, cui pro illa orans Presbyter instillauerat lachrymas suas, mox à dæmonio fuisse sanatã.

Olei sacri vnctione sanatur.

SCio etiam Episcopum semel pro adolescente, quem non vidit orasse: illumq; illicò dæmone caruisse.

An hic Episcopus Augustinus?

ERat quidam senex Florentius Hipponensis noster, homo religiosus & pauper: qui sartoris se arte pascebat: casulam perdiderat, & vnde sibi emeret, non habebat: ad viginti Martyres quorum memoria apud nos est celeberrima, clara voce vt vestiretur, orauit. Audierunt eum adolescentes, qui forte aderant, irrisores: eumq; discedentem exagitantes prosequebantur: quasi à Martyribus quinquagenos folles, vnde vestimentum emeret, petiuisset. At ille tacitus ambulans, eiectum grandem piscem palpitantem vidit in littore, eumq; illis fauentibus, atque iuuantibus apprehendit, & cuidam coco Carchoso nomine bene Christiano, ad coquinam conditariam, indicans quid gestum sit trecentis

Miraculum vigin Martyrum.

centis follibus vendidit, lanam comparare inde disponens, vt vxor eius quomodo posset ei quo indueretur, efficeret. Sed cocus conscidens piscem, annulum aureum in ventriculo eius inuenit, moxq; miseratione flexus & religione perterritus, homini eum reddidit dicens: Ecce quomodo viginti Martyres te vestierunt.

AD aquas Tibilitanas Episcopo afferente Proiecto reliquias Martyris gloriosissimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concursus, & occursus. Ibi cœca mulier, vt ad Episcopum portantem pignora sacra duceretur, orauit: flores quos ferebat, dedit: recepit, oculis admouit, protinus vidit. Stupentibus qui aderant, præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem vlterius non requirens. Reliquiarũ S. Stephani Martyris miraculum.

MEmorati memoriã Martyris quæ posita est in castello Synicensi, quod Hipponensi coloniæ vicinum est: eiusdem loci Lucillus Episcopus, populo præcedẽte atque sequente portabat: fistula cuius molestia iam diu laborauerat, & familiarissimi sui medici qui eam secaret, operiebatur manus, illius piæ sarcinæ vectatione, repentè sanata est. Nam deinceps eam in suo corpore non inuenit. Aliud.

EVcharius Presbyter ex Hispania Calamæ habitans veteri morbo calculi laborabat, per memoriam supradicti Martyris, quam Possidius illo aduexit Episcopus saluus factus est. Aliud.

IDem ipse postea morbo alio præualescente mortuus sic iacebat, vt ei iam pollices ligarentur; opitulatione memorati Martyris, cùm de memoria eius reportata fuisset, & superiacentis corpus missa ipsius Presbyteri tunica, suscitatus est. Aliud.

FVit ibi vir in ordine suo primarius, nomine Martialis, æuo iam grauis, & multum à religione abhorrens Christiana. Habebat sanè fidelem filiam, & generum eodem anno baptizatum, qui cùm ægrotantem multis & magnis precibus & lachrymis rogarent, vt Christianus fieret, prorsus abnuit: eosq; à se turbida indignatione submouit. Visum est genero eius vt iret ad memoriam Sancti Stephani, & illic pro eo quantum posset, oraret: vt Deus illi daret mẽtem bonam, qua credere non differret in Christum. Fecit hoc ingenti gemitu & fletu, & sinceriter ardente pietatis affectu: deinde abscedens aliquid de altari florum, quod occurrit, tulit: eiq; cùm iam nox esset ad caput posuit. Tũc dormitum est: & ecce ante diluculum clamat, vt ad Episcopum curreretur, qui mecum forte tunc erat apud Hipponem. Cùm verò audisset eum absentem, Aliud.

venire

venire Presbyteros postulauit. Venerunt, & statim se credere dixit: admirantibus atque gaudentibus omnibus baptizatus est. Hoc quamdiu vixit in ore habebat; Christe accipe spiritum meum: cùm hæc verba Beatissimi Stephani, quando lapidatus est à Iudæis, vltima fuisse nesciret: quæ huic quoque vltima fuerunt. Nam non multo post etiam ipse defunctus est.

Altare.

SAnati sunt illic per eundem Martyrem etiam podagrici duo, vnus ciuis, peregrinus vnus. Sed ciuis omnimodo: peregrinus autē per reuelationem quid adhiberet quando doleret, audiuit: & cùm hoc fecisset, dolor cōtinuò cōquieuit.

Mortui suscitati per reliquias S. Stephani. puer paruulus.

AVdurus nomen est fundi vbi Ecclesia est, & in ea memoria Stephani Martyris. Puerum quendam paruulum cùm in area luderet, exorbitantes boues qui vehiculum trahebant, rota obtriuerunt, & confestim palpitauit expirans. Hunc mater arreptum ad eandem memoriam posuit, & non solùm reuixit, verum etiam illæsus apparuit.

Sanctimonialis.

SAnctimonialis quædam in vicina possessione, quæ Caspaliana dicitur, cùm ægritudine laboraret, ac desperaretur, ad eandem memoriam tunica eius allata est: quæ antequam reuocaretur illa defuncta est: hac tamen tunica operuerunt cadauer eius parentes, & recepto spiritu, salua facta est.

Puella.

APud Hipponem Bassus quidam Syrus ad memoriam eiusdem Martyris orabat pro ægrotante & periclitante filia, eoq; secum vestem eius detulerat: cùm ecce pueri de domo concurrerunt, qui ei mortuam nuntiarent. Sed cùm orante illo, ab amicis eius exciperentur, prohibuerunt eos illi dicere, ne per publicum plangeret. Qui cùm domum redisset, iam suorum eiulatibus personantem, & vestem filiæ quam ferebat, super eam proiecisset, reddita est vitæ.

Filiusfam.

RVrsus ibidem apud nos, Irenæi cuiusdam collectarij filius, ægritudine extinctus est. Cùmque corpus iaceret exanime, atque alijs gementibus & plangentibus exequiæ pararentur, amicorum eius quidam inter aliorum consolantium verba suggessit, vt eiusdem Martyris oleo corpus perungeretur. Factum est, & reuixit.

Infantulus.

ITemque apud nos vir tribunitius Eleusinus super memoriam Martyris, quæ in suburbano eius est ægritudine exanimatum posuit infantulum filium suū: & post orationem quam multis cum lachrymis ibi fudit, viuentem leuauit.

Quid fa-

QVid faciam? vrget huius operis implendi promissio, vt non hic possim omnia commemorare quæ scio: & proculdubio plerique nostrorũ cùm hæc legent, dolebunt me tam multa prætermisisse, quæ vtrique mecum sciunt. Quos iam nunc vt ignoscant, rogo: & cogitent, quàm prolixi laboris sit facere, quod me hic non facere suscepti operis necessitas cogit. Si enim miracula sanitatum, vt alia taceam, modo velim scribere, quæ per hunc Martyrem, id est gloriosissimum Stephanum facta sunt in colonia Calamensi & in nostra, plurimi conficiendi sunt libri: nec tamen omnia colligi poterunt: sed tantùm de quibus libelli dati sunt, qui recitarentur in populis. Id namque fieri voluimus, cùm videremus antiquis similia diuinarum signa virtutum, etiam nostris temporibus frequentari: & ea non debere multorum notitiæ deperire. Nondum est autem biennium ex quo apud Hipponem regium cœpit esse ista memoria, & multis quod nobis certissimum est non datis libellis, de ijs quæ mirabiliter facta sunt, illi ipsi qui dati sunt ad septuaginta fermè numerum peruenerant, quando ista conscripsi. Calamæ verò vbi & ipsa memoria prius esse cœpit, & crebrius dantur, incomparabili multitudine superant. Vzali etiam, quæ colonia Vticæ vicina est, multa præclara per eundem Martyrem facta cognouimus: cuius ibi memoria longè priusquam apud nos ab Episcopo Euodio constituta est. Sed libellorum dandorum ibi consuetudo non est, vel potius non fuit: nam fortasse nunc esse iam cœpit.

Miracula per inuocationẽ S. Stephani innumera.

CVm enim nuper illic essemus, Petroniam clarissimam fœminam, quæ mirabiliter ex magno atque diuturno, in quo medicorum adiutoria cuncta defecerant, languore sanata est, hortati sumus volente supradicti loci Episcopo, vt libellum daret qui recitaretur in populo, & obedientissimè paruit. In quo posuit etiam quod hîc reticere non possum, quamuis ad ea quæ hoc opus vrgent, festinare compellar.

A Quodam Iudæo dicit sibi fuisse persuasum, vt annulum capillatio cingulo insereret; quo sub omni veste ad nuda corporis cingeretur, qui annulus haberet sub gemma lapidem in renibus inuentum bouis. Hoc alligata quasi remedio ad sancti Martyris limina veniebat. Sed profecta à Carthagine cum in confinio fluminis Bagradæ in sua possessione mansisset, surgens vt iter perageret, antè pedes suos illum iacentem annulum vidit, & capillatiam zonam qua fuerat alligatus, mirata tentauit. Quam cùm omnino suis nodis firmissimis, sicut fuerat, comperisset adstrictam, crepuisse, atque exiliisse annulum suspicata est. Qui etiam ipse cùm integerrimus fuisset inuentus, futuræ salutis quodammodo pignus de tanto miraculo se accepisse præsumpsit, atque illud vinculum solues simul

Ex miraculo annuli suadet S. Augustinus de perpetua integritate Deiparæ fidem.

simul cum eodem annulo proiecit in flumen. Non credunt hoc, qui etiam Dominum IESVM *per integra virginalia matris enixum, & ad discipulos ostijs clausis ingressum fuisse non credunt. Sed hoc certè quærant, & si verum inuenerint, illa credant Clarissima fœmina est nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat: ampla ciuitas, ampla persona, rem quærentes latere non sinunt. Martyr certè ipse, quo impetrante illa sanata est, in filium permanentis virginis credidit, in eum qui ostijs clausis ad discipulos ingressus est, credidit. Postremò, propter quod omnia ista dicuntur à nobis, in eum qui ascendit in cœlum cum carne, in qua resurrexerat, credidit: & ideo per eum tanta fiũt quia pro ista fide animam posuit suam.*

Fiunt ergo etiam nunc multa miracula, eodem Deo faciente, per quos vult, & quemadmodum vult, qui & illa quæ legimus fecit: sed ista nec similiter innotescunt, neque vt non excidant animo, quasi glarea memoriæ cerebra lectione tunduntur. Nam & vbi diligentia est, quæ nunc apud nos esse cæpit, vt libelli eorum, qui beneficia percipiunt, recitentur in populo, semel hoc audiunt, qui adsunt, pluresq; non adsunt, vt nec illi qui adfuerunt, post aliquot dies quod audierunt, mente retineant, & vix quisquam reperiatur illorum, qui ei, quem non adfuisse cognouerit, indicet quod audiuit.

A tremore membrorũ frater & soror Cappadoces Cęsarienses sanati.

Vnum est apud nos factum non maius quàm illa quæ dixi: sed tam clarum atque illustre miraculum, vt nullum arbitror esse Hipponensium, qui hoc non vel viderit, vel didicerit, nullum qui obliuisci vlla ratione potuerit. Decem quidam fratres fuerunt, quorum septem sunt mares, tres fœminæ, de Cæsarea Cappadociæ suorum ciuium non ignobiles: maledicto matris recenti patris eorum obitu destitutæ, quæ iniuriam sibi ab eis factam acerbissimè tulit, tali pœna sunt diuinitus coërciti, vt horribiliter qua terentur omnes tremore membrorum: in qua fœdissima specie oculos suorum ciuium non ferentes, quaquauersum cuique ire visum est, toto penè vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater & soror, Paulus & Palladia, multis alijs locis miseria diffamante iam cogniti. venerunt autem ante Pascha ferme dies quindecim, Ecclesiam quotidie, & in ea memoriam gloriosissimi Stephani frequentabant orantes, vt iam sibi placaretur Deus, & salutem pristinam redderet. Et illic, & quacunque ibant, conuertebant in se ciuitatis aspectum. Nonnulli qui eos alibi viderant, causamq; tremoris eorum nouerant, alijs, vt cuique poterant, indicabant. Venit & Pascha, atq; ipso die Dominico mane cùm iam frequens populus præsens esset, & loci sancti cancellos, vbi martyrium erat, idem iuuenis orans teneret, repente prostratus est, & dormienti simillimus iacuit: non

cuit: non tamen tremens, sicut etiam per somnium solebat, stupentibus qui aderant, atque alijs pauentibus, alijs dolentibus, cùm eum quidam vellent erigere, nonnulli prohibuerunt, sed potius exitum expectandum esse dixerunt. Et ecce surrexit & non tremebat, quoniam sanatus erat, stabat incolumis, intuẽs intuentes. Quis ergo intuentium se tenuit à laudibus Dei? clamantium, gratulantiumq; vocibus Ecclesia vsquequaq; completa est. Inde ad me curritur vbi sedebam iam processurus: irruit alter quisq; post alterum, omnis posterior quasi nouum, quod alius prior dixerat, nuntiantes. Meq; gaudente, & apud me gratias Deo agente, ingreditur etiam ipse cum pluribus: inclinatur ad genua mea, erigitur ad osculum meum. Procedimus ad populum: plena erat ecclesia, personabat vocibus gaudiorum: Deo gratias, Deo laudes, nemine tacente, hinc atque inde clamantium. Salutaui populum, & rursus eadem feruentiore voce clamabant. Facto tandem silentio, Scripturarum diuinarum sunt lecta solennia. Vbi autem ventum est ad mei sermonis locum, dixi pauca pro tempore, & pro illius iucunditate lætitiæ. Magis enim eos in opere diuino quandam Dei eloquentiam non audire, sed considerare permisi. Nobiscum homo prandit, & diligenter nobis omnem suæ ac maternæ, fraternæque calamitatis indicauit historiam. Sequenti itaque die post sermonem redditum, narrationis eius libellum in crastinum populo recitandum promisi. Quod cùm ex Dominico Paschæ die tertio fieret in gradibus exedræ, in qua de superiore loquebar loco, feci stare ambos fratres, cùm eorum legeretur libellus. Intuebatur populus vniuersus, sexus vtriusq; vnum stantem sine deformi motu: alteram membris omnibus contrementem. Et qui ipsum non viderant, quid in eo diuinæ misericordiæ factum esset, in eius sorore cernebant. Videbant enim quid in eo gratulandum, quid pro illa esset orandum. Inter hæc recitato eorum libello, de conspectu populi abire eos præcepi: & de tota ipsa causa aliquanto diligentius cœperam disputare, cùm ecce me disputante, voces aliæ de memoria Martyris nouæ gratulationis audiuntur. Conuersi sunt eò qui me audiebant, cœperuntq; concurrere: illa enim vbi de gradibus descendit, in quibus steterat, ad sanctũ Martyrem orare perrexerat. Quæ mox vt cancellos attigit, collapsa similiter velut ad somnum sana surrexit. Dum ergo requireremus quid factũ fuerit, vnde iste strepitus laetus extiterit, ingressi sunt cum illa in basilicam, vbi eramus, adducentes eam sanam de Martyris loco. Tum verò tantus ab vtroq; sexu admirationis clamor exortus est, vt vox continuata cum lachrymis non videretur posse finiri. Perducta est ad eum locum, vbi paulò antè steterat tremens. Exultabant eam similem fratri factam, cui doluerant remansisse dissimilem. Et nõdum fusas preces suas pro illa, iam tamen præuiam voluntatem tam citò exauditam esse cernebant. Exultabant in Dei laudem voces, sine verbis tanto sonitu, quan-

tu, quantum aures nostræ ferre vix possent. Quid erat in cordibus exultantium nisi fides Christi, pro qua Stephani sanguis effusus est?

Miracula hæc errores Luteranos Caluinianosque condemnant.

Hactenus Augustinus de miraculis sui temporis per Sanctorum cultum & inuocationem factis. Prodeat iam Zaborouius, & fronte deposita dicat Augustinum & alios miraculorum patratores Euangelicos fuisse. Si enim qui sacrificia offerunt, Sanctos inuocant, eorum reliquias venerantur, Euangelici dicendi sunt; proculdubio Luterani & Caluinistæ, qui hæc execrantur, Euangelici non erunt, nisi æquiuoce: aut si volunt esse Euangelici Sacrificium Missæ, cultum & inuocationem Sanctorum admittere debent. Adhæc cùm fides de oblatione sacrificij & de cultu ac inuocatione Sanctorum, de Reliquiarum veneratione, de Sacri Olei vsu, sit miraculis à Deo confirmata, vt Augustinus testis est, consequens est, ijsdem miraculis errorem & perfidiam Luteranam & Caluinianam diuinitus, condemnatam esse.

Peroratio operis.

His ita discussis, quàm vana fuerit & sine viribus Zaborouij ira, in nostro Nodo Gordio dissoluendo, & decem inuictis demonstrationibus, aduersus Ministrorum Euangelicorum Missionem refutandis, cuiuis cordato manifestum esse potest. Magna enim ex parte à falsificatis Sanctorum Patrum testimonijs potiùs, quàm à veritate & solidis rationibus, præsidium suæ causæ quæsiuit. quod ex annotatis falsificationibus apparet. Rationes verò tam infirmas adhibuit, vt eas, vel leuiter in arte argumentandi versato, non difficile sit refellere. Deus Opt: Max: faciat, vt tandem Euangelici perspiciant, in quas tenebras à suo Lutero & Ministris sint coniecti: & vanitate doctrinæ ipsorum perspecta, ad Ecclesiam Catholicam, quæ sola columna & firmamentum est veritatis, dum tempus est reuertantur.



FINIS.




IHS